RERUM

AB ARABIBUS IN ITALIA INSULISQUE

ADJACENTIBUS,

SICILIA MAXIME, SARDINIA ATQUE CORSICA GESTARUM COMMENTARII.

SCRIPSIT

JOANNES GEORGIUS WENRICH,

LITERATURAE BIBLICAE IN INSTITUTO THEOLOGICO AUGUST. ET HELVET.
CONFESS. ADDICTOR. VINDOBONENSI PROFESSOR C. R.

LIPSIAE MDCCCXLV

SUMTIBUS FR. CHR. GUIL. VOGELII.

Praefatio.

Res ab Arabibus in Hispaniâ, Galliâ, Sabaudiâ, Pedemontio et Helvetiâ gestae ab auctoribus probatis memoriae proditae sunt; quorum e numero duumviros literarum Arabicarum peritissimos, Conde et Reinaud, nominasse sufficiat. Ille Hispaniae historiam, dominantibus illic Arabibus, e scriptoribus Arabicis, quorum magnam copiam bibliotheca Escurialensis Regiaque Madritensis ipsi suppeditabant, luculenter illustravit [1]); hic Arabum in Galliam, Sabaudiam, Pedemontium Helvetiamque incursiones ex auctorum Christianorum atque

1) Historia de la dominacion de los Arabes en España, sacada de varios manuscritos y memorias arabigas, Madrid, 1820, 1821, 3 vol. 4.

Mohammedanorum monumentis accurate enarravit [2]), in quo negotio bibliothecae Regiae Parisiensis thesauris egregie adjutus fuit. Supererat, ut, quae in Italiâ insulisque adjacentibus, Siciliâ maxime, Sardiniâ Corsicâque ab Arabibus gestae essent res memorabiles, conscriberentur, eoque modo universa populi illius historia, quantum ad Europam pertinet, absolveretur. Haud quidem desunt, qui Arabum in Siciliâ res gestas memoriae prodiderint, in quibus prae ceteris Martoraua nobis memorandus [3]); at vero, quae in Italiâ, Sardiniâ Corsicâque Arabes gessêre, nemo, quantum quidem compertum habemus, ex proposito enarravit [4]). Quare haud inutilem operam nos navaturos existimavimus, si quaecunque in Italiâ, Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque ab Arabibus gesta fuère, in unum corpus redigeremus. Quem in finem haud exi-

2) Invasions des Sarrazins en France et de France en Savoie, en Piémont et dans la Suisse, pendant les 8e, 9e et 10e siècles de notre ère, d'après les auteurs Chrétiens et Mahométans, Paris, 1836, 8.

3) Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, Palermo, 1832, 1833, 2 vol. 8.

4) Sudantibus jam sub prelo commentariis nostris, venit nobis ad manus tomus primus libri eandem materiam tractantis, cujus inscriptio in huncce modum: Histoire des invasions des Sarrazins en Italie du VIIe au XIe siècle, par César Famin, Paris, 1843, 8 — In quo volumine cum rerum ab Arabibus in Italiâ Siciliâque gestarum historia nonnisi ad annum 833 p. Chr. usque deducatur, omni censurâ abstinemus, auctoremque Ulyssis ad Irum verbis (Odyss. XVIII, 16, 17.) salutamus: οὐ φθονέω — — οὐδὸς δ' ἀμφοτέρους ὅδε χείσεται.

guum auctorum Arabicorum, Graecorum atque Latinorum numerum perlustravimus; quorum recensum in Introductione exhibuimus. Omnem autem materiam in duos disposuimus libros, quorum alter ipsam rerum ab Arabibus gestarum memoriam, alter Italiae insularumque adjacentium, dominantibus Arabibus, statum exponit. Mirum fortasse cui videri possit, nos Latino potius, quam vernaculo sermone in scribendo usos fuisse; verum enim vero cum in votis esset, ut libellus noster Germaniae fines transgrederetur, compertumque haberemus, librum Latinum ab Italis, Gallis Anglisque facilius legi atque intelligi, quam Germanicum: consultius visum fuit, Latinum adhibere sermonem, qui insuper mirâ brevitate, dignitate atque elegantiâ sese commendat.

Sûperest, ut viro doctissimo atque officiosissimo Reinaud, Regiae inscriptionum literarumque elegantiorum Academiae, quae Lutetiae Parisiorum floret, sodali, pro suis in librum nostrum meritis debitas referamus grates. Cum enim commentariorum conscribendorum materiam multo ante conquireremus, quam Noel des Vergers Ebn Chalduni historiam Africae atque Siciliae Aghlabidarum sub imperio in lucem edidisset, juveni humanissimo Alberto Cohn, qui tum temporis literarum orientalium studiis Lutetiae operam navabat, injunximus, ut ex Ebn Chalduni annalibus ea, quae ad Arabum in Siciliâ res

gestas pertinerent, in usum nostrum exscriberet. Qui cum hujus rei causâ doctissimum Reinaud adiret, is egregium Ebn Chalduni codicem non tantum commodavit, verum etiam locos, qui exscribendi essent, officiosissime notavit. Quinimo, cum jam dudum commentarios nostros absolvissemus, et, quo minus publici juris eos faceremus, tritissimum illud Horatii: nonum prematur in annum, nos detineret: idem doctissimus vir literis benevolentiâ plenis nos hortatus est, ne lucubrationem nostram ulterius in tenebris latere sineremus. Cujus viri exhortationi ubi obtemperandum esse duximus, nil magis in votis fuit, quam ut libellus noster et ipsius et reliquorum, qui hoc studiorum genere delectantur, virorum eruditorum exspectationi aliquo modo satisfaceret.

Vindobonae, mense Octobri a. MDCCCXLIV.

Rerum

ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus, Siciliâ maxime, Sardiniâ atque Corsicâ, gestarum commentarii.

Introductio.

Auctorum, quos in conscribendis commentariis duces secuti sumus, recensio.

§. I.

Rerum ab *Arabibus* in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestarum commentarios conscripturi, haud alienum a proposito nostro existimamus, auctorum, quos duces maxime secuti sumus, succinctam praemittere recensionem. Hoc namque facto pronius erit lectori dijudicare, quâ fide quaeque narrentur, quid indubitatâ, quidve minus certâ nitatur auctoritate. Qui Graecorum vel Romanorum res gestas memoriae produnt, in citandis tantummodo auctorum, quos sequuntur, nominibus acquiescere possunt; siquidem *Herodotus, Thucydides, Sallustius, Livius,* ceterique Graecae atque Romanae historiae auctores, omnibus cogniti, omniumque manibus teruntur. At secus res se habet, si *medii*, quod dicunt, *aevi* historiam componere sumas, cujus auctores non eam, quam Graeci veteres atque Romani, nominis celebritatem consecuti sunt; neque in manibus versantur, nisi eorum, qui singulari aliquo studio ad incultorum illorum temporum hominumque res gestas cognoscendas feruntur. Quare nequaquam operam nos perdituros existimamus, si non, quod multi solent, nuda tantummodo auctorum nomina referamus, verum et ea, quae ad dijudicandum eorum ingenium fidemque pertinere videntur, breviter exponamus.

§. II.

Auctorum, qui *Arabum* res, in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestas, memoriae prodidêre, *triplex genus:* sunt enim vel *populares, Arabes*, vel

Graeci, Byzantini, vel denique *Latini.* Auctores Arabici, unum alterumve si excipias, rarius de popularium suorum rebus in *Italiâ* gestis mentionem injiciunt; cujus rei causam eam existimaverim, quod rerum, in longinquis illis terris ab Arabibus gestarum fama vel parcius ad scriptores domesticos pervenerit, vel ipsae etiam non tanti viderentur res, ut ad posterorum memoriam conservarentur. Haud quidem dissimulandum, maximam historicorum Arabicorum partem in bibliothecarum scriniis adhuc delitescere, neque igitur idem de omnibus tuto statui posse; verum si ex illis, quos cognitos habemus, *Arabum* historicis fas est conjicere, reliquos quoque, quos adire non licuit, vix uberiorem messem exhibituros censuerim. Quod de *Arabum* pronuntiavimus scriptoribus, parcius nempe illos rerum, a popularibus suis in *Italiâ insulisque adjacentibus* gestarum, injicere mentionem, idem et de historiae *Byzantinae* statuendum auctoribus. Quorum etsi magna pars in lucem protracta sit, paucissimos tamen invenies, qui res ab *Arabibus in Italiâ* gestas adtingant. Probabile videtur, graviora, quae imperio Byzantino, ejusque capiti, Byzantio, ab iisdem *Arabibus* imminebant pericula, scriptorum animos ab iis, quae in remotioribus imperii gerebantur provinciis, avocasse. Multo frequentius, quam *Arabes* atque *Byzantini, Latini* scriptores *Arabum* in *Italiam* incursiones commemorant. Qui res in *Italiâ* a seculo nono ad decimum quartum usque gestas memoriae prodidère auctores *Latini*, tantum non omnes et infensissimi illius *Christicolarum hostis* facinora (auctorum illorum more loquimur) deplorant atque detestantur. Neque mirandum, *Latinos* diligentius, quam *Arabes Byzantinos*que, in iis, quae in *Italiâ* ab *Arabibus* gesta fuêre, notandis versatos fuisse. Namque in patriâ terrâ, et quasi in conspectu ipsorum ea gerebantur, in conspectu ipsorum templa, coenobia aliaque sacraria ab *Arabibus* diripiebantur; quam jacturam homines illi nonnisi aegerrime patiebantur, quippe qui maximam partem ipsi coenobiorum erant alumni.

§. III.

Quodsi ad ingenium auctorum illorum animum advertas, facile deprehendes, omnes, quamvis genere, linguâ, cultu moribusque diversissimi

fuerint, communem quendam in scribendo habitum, communia vitia prae se ferre. Si historiam contexere non is dicitur, qui, nonnisi quidquid quovis anno gestum sit, commemorat; verum is, qui, quibus causis, quibusve auxiliis quaeque gesta fuerint, quos denique eventus res gestae habuerint, exponit: profecto auctores illi, de quibus agimus, vix historicorum nomine digni videntur. Tantum enim abest, ut in causas rerum gestarum eventusque inquirant, ut saepius, ubi naturales rerum causae in aperto positae sunt, miraculis narrandis delectentur; id quod *Latinis* scriptoribus prae ceteris solitum. Adde, quod tam *Arabes*, quam *Graeci* et *Latini* in tempore, quo quaeque gesta fuêre, notando raro eam adhibeant diligentiam, quam merito a rerum gestarum scriptoribus repetere possis; unde saepius evenit, ut eaedem res a diversis scriptoribus diversis etiam temporibus contigisse memorentur. Quod denique minime decet historicos, ut partium studio abripiantur, id tantum non semper in auctoribus nostris offendes. Namque quod a primordio religionis Islamiticae inter *Christi* et *Mohammedis* sectatores flagravit odium, ab utrorumque historicis quoque exercetur; quo fit, ut, quotiescunque rerum inter *Christianos* et *Mohammedanos* gestarum mentionem faciunt, de veritate minus solliciti, id maxime agere videantur, ut suorum gloriam augeant, adversariorum vero minuant atque deprimant. Hinc sexcenties tam in *Arabum*, quam *Graecorum* et *Latinorum* commentariis relatum leges, exiguam admodum suorum manum maximas hostium copias profligasse, imo ad internecionem delevisse.

§. IV.

Sed sufficiat, in universum haec monuisse; transeundum ad singulorum, quos duces secuti sumus, auctorum recensionem. Inter *Arabum* historicos primo loco nobis ponendus

Ebn Alathir.

Abulhasan Ali Azzuddin ebn Alathir Aldschazari in Mesopotamiae oppido *Dschazirat ebn Omar*, anno Hedschrae **555**, p. Chr. n. **1160**, in lucem editus fuit. Transactâ in loco natali aetate juvenili, urbem *Mosul*

cum parentibus petiit, ibique maximam vitae partem degit. Inde saepius *Bagdadum* adiit; quo in loco doctissimorum illius aetatis virorum scholis interfuit. Insequenti tempore Syriam peragravit, *Hierosolyma*que visitavit, ubique locorum virorum eruditione clarorum utens commercio. Ab itineribus suis redux totum se literarum studiis dedidit; ante omnia autem cognoscendae rerum gestarum memoriae indefessam navavit operam. Eâ re magnam nominis existimationem consecutus est; adeo quidem, ut domum ejus non solum cives sui frequentarent, verum etiam alienigenae, qui *Mosulum* adirent, familiaritatem ejus adfectarent. Provectâ jam aetate denuo Syriam petiit, *Halebi*que per aliquod tempus commoratus est; ubi notissimus ille vitarum scriptor *Ebn Challekan* ejus consuetudine usus est. *Halebo* in patriam urbem reversus, biennio post diem supremum obiit, anno Hedschrae 630, p. Chr. 1233. — Inter *Ebn Alathiri* opera principem locum obtinet *Historia universalis*, كامل التواريخ, a mundo condito ad annum Hedschrae 628 deducta. Quae historia lucalentissimis id genus accensetur operibus, et quam saepissime ab *Abulfedâ* in annalibus suis exscripta fuit. Ex hoc opere plura, quae ad Siciliae historiam, dominantibus Arabibus, pertinent, depromsit *Noel des Vergers* in libro, qui inscribitur: *Histoire de l'Afrique sous la dynastie des Aghlabites, et de la Sicile sous la domination Musulmane, texte Arabe d'ebn Khaldoun, accompagné d'une traduction Française et de notes. Paris*, 1841, 8. — Praeter historiam universalem alia adhuc *Ebn Alathiro* debentur opera historica; in his: *Historia Atabekiorum, qui Syriae atque Mesopotamiae praefuerunt;* cujus operis summam exposuit *De Guignes* in *Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du Roi*, t. I, p. 542 — 578. Adde *Historiam sociorum Mohammedis*, كتاب اخبار الصحابة, cujus *Ebn Challekan* mentionem injicit. Sunt, qui et *Historiam Chalifarum*, quae inscribitur عبرة اولى الابصار, *Ebn Alathiro* tribuant. Cui opinioni ansam dedit *Hadschi Chalifa*, qui ad vocem تأريخ ابن الاثير historiam illam ad *Ebn Alathirum* refert. At vero idem auctor ad vocem عبرة اولى الابصار tradit, historiam memoratam ab *Emaduddino Ismaele Ahmedis filio, Halebensi*, cui itidem *Ebn Alathiri* co-

gnomentum, conscriptam fuisse; quare perperam ad *Ebn Alathirum Dschazirensem* refertur, quod *Ebn Alathiro Halebensi* debetur [1]).

§. V.

Ebn Alathiro aetate quidem inferior, sed dignitate aequiparandus Nowairi.

Ahmed ben Abdulwahhab Albakri Altaimi Alkarschi, cognomento *Alnowairi*, vixit vergente aerae Christianae seculo decimo tertio, et ineunte decimo quarto, obiitque anno Hedschrae 732, p. Chr. n. **1331, 32.** Scripsit historiam universalem, magnae molis opus, quod inscribitur: كتاب نهاية الارب في فنون الادب i. e. *Summus terminus studiorum in diversis generibus eruditionis.* Omnis *Nowairii* historia in V partes, فنون, dividitur, quarum quaevis itidem in V segmenta, اقسام, scinditur. In prioribus quatuor partibus historia naturalis tractatur; agitur enim parte primâ de coelo et terrâ, secundâ de homine, tertiâ de animalibus, quartâ de plantis. Pars quinta historiam civilem exponit; agitur illic prioribus tribus segmentis de veteris Testamenti viris memorabilibus, quarto de diversorum populorum regumque rebus gestis, quinto de Arabum fatis factisque, nempe de *Mohammede*, de Chalifis legitimis, de principibus Omajjidis, Abbasidis, de Omajjidis in Andalusia, denique de Africae rebus. Quod postremum segmentum maxime ad rem nostram facit; namque inter cetera etiam *Arabum in Siciliam incursiones*, resque in eâ insulâ gestas enarrat. *Nowairii* historiam multigena commendat eruditio; quare a *Golio Reiskio*que, duumviris literarum Arabicarum peritissimis, haud immerito literaturae Arabicae bibliotheca, sive encyclopaedia dicitur. In antiquiorum temporum exterorumque populorum historiâ tradendâ parum accuratus parumque fidus; ac-

1) Vies des hommes illustres de l'Islamisme par Ibn Khallikan, publiées par le Baron Mac Guckin de Slane, p. 482 — 483; Hadschi Chalifa ad vocem تاريخ ابن الاثير et عبرة اولى الابصار; D'Herbelot bibliothèque orientale, ad vocem Athir, nec non Reiskii ad eandem vocem additamenta, Germanicae Herbelotii editioni inserta.

curatior fideque dignior in recentiorum temporum populariumque suorum rebus exponendis. Siciliae historiam inde a primis Arabum in insulam illam incursionibus ad Normannorum usque adventum deducit; et licet persaepe justo brevius et defunctorie rem agat, tamen haud pauca depromit, quae apud alios auctores nequidquam requiras. *Nowairii* libellum de Arabum rebus in Siciliâ publici juris fecit Arabice et Latine *Rosarius Gregorius* in libro, qui inscribitur: ***Rerum Arabicarum, quae ad historiam Siculam spectant, ampla collectio. Panormi*, 1790**, fol. Ejusdem libelli versionem Gallicam vulgavit ***J. J. A. Caussin***; prodiit ea unâ cum libro: ***Voyages en Sicile, dans la Grande Grèce et au Levant, par M. le Baron de Riedesel. Paris, A. X.* (1802) 8.** [2]).

§. VI.

Schehabuddin.

Nowairium excipiat *Schehabuddinus*. ***Alkadhi Schehabuddin ben Abildam Alhamawi, Hamâh***, Syriae urbe, oriundus, aetate *Nowairio* quidem superior, sed utilitate, si res ab Arabibus in Italiâ Siciliâque gestas spectes, inferior. Vixisse eum seculo p. Chr. nat. XIII inde conjicias, quod chronica ejus in seculum decimum secundum usque excurrant, et jam ab *Abulfedâ*, qui inde ab anno **1273** ad annum **1331** usque vixit, in annalibus suis saepius laudentur. Scripsit *annales rerum a Moslemis gestarum*, التاريخ المظفرى, VI voluminibus comprehensos, quibus et Siciliae res memorabiles, Arabibus in eâ insulâ dominantibus, perstringuntur. Horum annalium exemplum olim in bibliothecae Escurialensis thesauris adservabatur, ex quo ***Marcus Dobelius Citero***, linguae Arabicae quondam professor, ea, quae ad Siciliae historiam pertinent, in usum ***Antonii de Amico***, Canonici

2) Plura de Nowairio habentur in J. J. Reiskii prodidagmatibus ad Hadschi Chalifae tabulas, quae adjecta sunt Abulfedae tabulis Syriae a J. B. Koehlero editis. Conf. etiam Casirii Biblioth. Arab. Escur. t. II, p. 27; nec non Gregorii in Nowairii historiam Siculam praefat. p. III — VII.

Panormitani, excerpsit, atque linguam Latinam convertit. Postea illud *Schehabuddini* exemplum intercidisse videtur; namque, qui diligentissime bibliothecae Escurialensis codices Arabicos recensuit, *Casirius*, nullam exempli illius injicit mentionem. Credibile est, fatali illo incendio, quod a. MDCLXXI magnam codicum Escurialensium partem absumsit, *Schehabuddinum* quoque in cineres conversum fuisse. *Dobelii* ex *Schehabuddino* excerpta Latine vulgavit *Carusius* in *Bibliothecâ historicâ regni Siciliae*, tom I, p. 19 — 23; emendatiora postmodum exhibuit *Gregorius* in collectione jam laudatâ, p. 59 — 63. [3]).

§. VII.

Abulfeda.

Quae *Schehabuddinus* de Italiae Siciliaeque rebus tradit, ea *Abulfeda* maximam partem, additis aliis, in annales suos transtulit. *Ismaël ben Ali ben Mahmud Abulfeda*, clarâ *Ajjubidarum* prosapiâ oriundus, natus fuit *Damasci*, anno Hedschrae 672, p. Chr. 1273. Literarum studiis pariter atque belli artibus jam inde a teneris imbutus, eximiam in utroque genere consecutus est laudem. Egregie de Aegypti Sultano *Almaleco Alnasero* meritus, provinciae Hamatensis in Syriâ primo praefectus, deinde rex, ملك, denique Sultanus creatus fuit. Obiit anno Hedschrae 732, p. Chr. 1331, vel, ut alii contendunt, a. H. 733, p. Chr. 1332. Inter plura, quae *Abulfeda* excellentis ingenii reliquit monumenta, duo praeprimis nobis memoranda, *geographicum* alterum, alterum *historicum*. Geographicum *Abulfedae* opus inscribitur تقويم البلدان, i. e. *correctio*, sive *correcta descriptio terrarum*. In illo opere agitur primo in universum de climatibus, de mari, fluviis montibusque, sequitur deinde singularum terrarum descriptio, quae etsi haud eam prae se ferat accurationem, quam nostrâ aetate exigere solemus, tamen quam plurimas res scitu dignissimas exhibet. Historici

3) Vide Abulfedae in Annales suos prooemium, in praefatione, quam auctoris hujus editioni praemisit Adlerus, p. X; nec non Carusii et Gregorii in Schehabuddini excerpta praefationes.

operis inscriptio المختصر في اخبار البشر, i. e. *compendium historiae generis humani.* Absolvitur compendium hoece VI partibus, quarum priores V Judaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum Arabumque ante *Mohammedem* historiam exponunt; pars sexta, et mole et dignitate reliquas superans, Arabum inde a *Mohammede* ad auctoris usque tempora res gestas enarrat. Quod jam de *Nowairio* pronuntiavimus, in antiquiorum nempe temporum exterorumque populorum historiâ parum accuratum parumque fide dignum, accuratiorem vero fideque digniorem esse in recentiorum temporum populariumque suorum rebus exponendis, id ipsum et de *Abulfedae* historiâ statuendum. In quam sententiam et *Reiskius*, cui certe *Abulfeda* familiarissimus, descendit, hunc in modum de auctoris nostri antiquiori externâque historiâ sentiens: „Initio chronici sui in rebus antiquis et a gente Arabicâ religioneque Muhammedanâ alienis versatur *Abulfeda*, sed tam perfunctorie, et velut trepidus, ut satis adpareat, cum et ipsum earum rerum perquam fuisse rudem, usumque fontibus inquinatis, et veritum fuisse, ne uberius exsequendis illis rebus gentilium cieret stomachum captumque superaret.“ Mitius deinde idem doctissimus vir, recentiorum temporum respiciens historiam, judicat in hunc modum: „Si quae habet minuta, quorum nosmet quidem ipsi gratiam libenter fecerimus, historias interdum jejunas etc., aestimandus non e nostris, sed e suis populariumque moribus ac studiis. Multa certe in eo reperiuntur, quae aliunde frustra petas; non ea tantum, quae in oriente interiore gesta nostrates latuerunt, sed illa quoque, quae ipsi nostrates, si satis sapuissent, praestare debebant, cumulatiora et luculentiora tradit. — — Absque nostro qui sciremus, qualis fuisset octavo nonoque seculo et proximo Siciliae rerum facies.“ [4]) Edendis *Abulfedae* scriptis plures operam navarunt viri docti. Geographici operis partes singulas publici juris fecerunt *Gravius*, *Köhler*, *Michaelis*, *Eichhorn*, *Rink*,

4) Postrema haec verba quo pacto proferre potuerit Reiskius, non videmus. Namque Nowairius, quem Reiskius probe cognitum habebat, res Siciliae Arabum sub imperio diligentius quam Abulfeda uberiusque exponit. Vide Adleri praefationem in Abulfedae annales, p. VI.

*Rommel, Rosenmüller, Wüstenfeld, Demetrius*que *Alexandrides;* integrum ediderunt *Reinaud* et *de Slane;* Latine vertit *Reiskius.* Historici operis segmenta publicarunt *Gagnier, Schultens, de Sacy, Fleischer, Adler,* qui amplissimam operis partem, sextam videlicet, cum *Reiskii* versione Latinâ notisque historicis vulgavit, Hafniae, 1789—94, tom. V. 4. [5]).

§. VIII.

Ebn Chaldun.

Neque praetereundus nobis hoc loco *Ebn Chaldun,* gravissimus inter Arabes historiarum auctor. *Abdulrahman ben Mohammed ben Chaldun Alhadhrami* natus fuit *Tuneti* anno Hedsehrae 732, p. Chr. n. 1332. Postquam literarum studiis, inque primis Alcorano, Sonnae, grammaticae, poëticae jurisque prudentiae haud mediocrem operam in patriâ urbe navasset, ab ejusdem urbis praefecto, *Mohammede, Tafarkini* filio, a. H. 749, p. Chr. 1348, scriba adscitus est, qui principis *Abu Isaci Ibrahimi* nomen symbolumve, quod *Togra,* طغرا, adpellant, diplomatibus inscriberet. Relicto inter turbas, quibus tum temporis Africa exagitabatur, Tuneto, *Ebn Chaldun* Fessam delatus est, quo in loco principi *Abu Othman Fares* primum, deinde illius post mortem sultano *Abu Salem* operam suam dicavit. Postquam diversis inde Africae principibus ministerium praestitisset, a. H. 784, p. Chr. 1382, *Alexandriam*, deinde *Cahiram* petiit, quo in loco Sultani *Barkuk* gratiam mox in tantum sibi conciliavit, ut *Kadhi Alkodhât*, i. e. *judicum supremus*, sectae Malekitarum ab illo constitueretur. Defuncto *Barkuko Ebn Chaldun Faradschium, Barkuki* filium regnique heredem, in Syriam comitatus est, quam magnus ille Asiae domitor, *Timur*, invaserat. Victricibus *Timuri* armis cum resistere non posset *Faradschius*, principes

5) De Abulfedâ consulendi ipsius annales, t. V, p. 231, 239, 259, 275, 291, sequ. Conf. etiam Gagnieri praefat. in Abulfedam de vitâ et rebus gestis Mohammedis; Adleri praefat. in Abulf. annal. Moslem., nec non Reiskii Prodidagmata ad Hadschi Chalifae tabulas, in Köhleri tabb. Syriae, p. 228, sequ.

Syriae urbes, ***Haleb, Emisa, Damascus*** aliaeque in victoris potestatem devenerunt. Expugnatâ ***Damasco Ebn Chaldun*** captus fuit; sed, relinquente Syriam ***Timuro,*** in libertatem restitutus [6]). Reversus ***Cahiram,*** dignitatem, quam jam antea illic sustinuerat, denuo recepit, vitamque ad sextum et septuagesimum annum usque protulit. *Obiit anno H. **808**, p. Chr. **1406**. — Inter diversa, quae ***Ebn Chaldun*** reliquit, ingenii monumenta, principem procul dubio obtinet locum opus historicum, quod in hunc modum inscribitur: كتاب العبر وديوان المبتدآء والخبر فى ايّام العرب والبربر ومن عاصرهم من ذوى السلطان الاكبر, i. e. *liber exemplorum atque syntagma* ***subjecti et praedicati (originum et eventuum) in diebus Arabum Berberorumque, nec non principum potentissimorum, qui illis coaevi fuere.*** Praestantissimum hocce opus, quod vulgo تأريخ ابن خلدون, ***Annalium Ebn Chaldun,*** nomine insignitur, tribus absolvitur partibus, quarum prima, المقدّمة فى التأريخ, ***Prolegomena in historiam,*** inscripta, magnam apud orientis populos consecuta est existimationem. Agitur autem in prolegomenis illis de historiae utilitate, ejusque conscribendae ratione, de societatis humanae origine, de diversis orbis terrarum partibus atque climatibus, quan-

---

6) Si Hadschi Chalifam, ad vocem تأريخ ابن خلدون, audiamus, tempore illo, quo Timur Syriam invasit, Ebn Chaldun Halebi judicis munere fungebatur, eoque oppido expugnato in victoris manus incidit. Neque a Timuro dimissus, verum in ejus familiaritatem acceptus atque Samarcandam deductus fuit. Nos Abulmahasenum secuti sumus, qui in enarrandâ Ebn Chalduni vitâ diligentius, quam Hadschi Chalifa versatus est. Certe in eo alucinatur Hadschi Chalifa, quod referat, Ebn Chaldunum dixisse Timuro, timere se, ne historia sua, quam in Aegypto reliquerit, in manus stulti illius, principis Barkuk, incidat. Namque eo tempore, quo Syria a Timuro occupata fuit, principisque illius in potestatem Ebn Chaldun devenit, Barkuk jam de vitâ decesserat. Obiit enim Barkuk anno H. **801**, bienniοque post, a. H. **803**, Syria a Timuro impugnata fuit. Hinc facile colligas, Ebn Chaldunum nequaquam apud Timurum verba ea potuisse facere, quae ab Hadschi Chalifâ illi tribuuntur.

tumque ea climatum diversitas ad corporis animique humani indolem formandam valeat. Agitur porro de diversis societatis humanae generibus, de populorum nomadum, eorumque, qui oppida incolunt, conditione, de variis, quibus vita sustentatur, negotiis, opificiis, artibus, mercaturâ, scientiis etc., quae omnia exemplis, ex *Arabum, Persarum, Berberorum* aliorumque populorum historiâ petitis, ornantur atque illustrantur. Secunda laudati operis pars *Arabum* res gestas inde ab antiquissimis temporibus ad seculi octavi Hedschrae exitum usque exponit, interspersis passim ex *Nabathaeorum, Syrorum, Persarum, Judaeorum, Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum Turcarum*que historiâ fragmentis. Tertia denique pars populorum Africae septentrionalis, sive *Berberorum* historiam describit. — Jam quod ad operis hujusce indolem pertinet, omnes uno ore summam ejus praedicant utilitatem. Quare summopere dolendum, non nisi rarissima ejus esse exempla. In amplissimâ bibliothecâ regiâ Parisiensi integrum operis laudati habetur exemplum, VIII tomis comprehensum, quod viri clariss. *de Sacy* interventu bibliothecae illi accessit. In ejus exempli tomo IV *Siciliae dominantibus illic Arabibus*, exponitur historia, quam *Noel des Vergers* in libro superius memorato publici juris fecit. Fragmenta ex *Ebn Chalduni* opere historico ediderunt *de Sacy* in Relation de l'Egypte, p. 509 sequ. 518 sequ; Idem vir doctiss. in Chrestom. Arab. edit. II, t. I, p. 118 — 137; t. II, p. 106 — 133; *Coquebert de Montbret*, in Ephemerid. Asiat. (Journal Asiatique) a. 1824, t. V, p. 148 — 156; 1825, t. VI, p. 106 — 113; 1827, t. X, p. 3 — 19; *Schulz* in Ephemerid. Asiat. a. 1825, t. VII, p. 213 — 226; 279 — 300; nec non in Ephemerid. Asiat. a. 1828, t. II, p. 117 — 142. [7]).

7) Ebn Chalduni vita, a doctiss. de Sacy composita, in opere, quod inscribitur Biographie universelle ancienne et moderne, t. XXI, p. 153 — 156. Conf. ejusd. Chrestom. Arab. ed. II, t. I, p. 390—394; De Hammer Notice sur l'introduction à la connaissance de l'histoire, ouvrage Arabe d'Ibn Khaldoun, in Ephemerid. Asiat. a. 1822, t. I, p. 267 — 276; Garcin de Tassy Supplément à la Notice de M. de Hammer, Ephemerid. Asiat. a., 1824, t. IV, p. 158 — 161; Schulz

§. IX.

Chronicon Cantabrigiense.

Memoratis scriptoribus addendum incerti auctoris *chronicon rerum ab Arabibus in Sicilia gestarum,* quod a loco, ubi adservatur, *Cantabrigiensis* nomen traxit. Chronici hujus inscriptio in hunc modum: كتاب تأريخ جزيرة صقلية من حين دخلها المسلمون واخبار ما جرا فيها من الحروب وتبديل الامرآء وغير ذلك i. e. *Chronicon insulae Siciliae, ex quo tempore eam ingressi sunt Moslemi, cum enarratione bellorum, quae illic gesta sunt, et Emirorum mutatione, et cetera id genus.* —. De chronici hujus auctore in diversas partes virorum doctorum abeunt sententiae. Fuere, qui *Eutychium,* (*Said ebn Batrik*) patriarcham Alexandrinum, auctorem existimarent; quae opinio inde videtur enata, quod chronicon nostrum calci codicis Arabici annalium, ab *Eutychio* conscriptorum, adjectum sit. Verum falso ad *Eutychium* auctorem *chronicon Cantabrigiense* referri vel inde elucet, quod *Eutychius* jam anno **940** p. Chr. diem obiverit supremum, cum tamen chronicon illud ad annum **965** usque excurrat. Accedit, quod chronici auctor in computandis annis Byzantinorum morem sequatur, quod *Eutychio,* Alexandrino, minime convenit, qui procul dubio Alexandrinorum aerâ usus fuisset. *Carusius* chronicon nostrum ab Arabe Siculo, Mohammedis sectatore, fortasse a *Sanhadschio* illo, quem *Schehabuddinus Siciliae* et *Kairawani* annales composuisse memorat, profectum esse existimat. At vero praeter Arabum linguam, quâ et homo Christianus uti potuit, nihil omnino in chronico ipso occurrit, quod Arabem, sacris *Mohammedis* addictum, redolere videatur. Neque ad *Sanhadschium* auctorem chronicon nostrum referri posse inde efficitur, quod locus ex *Sanhadschii* annalibus Siculis ab *Abulfedâ* citatus, cum *chronici Cantabrigiensis,* eandem rem referentis, textu nequaquam consentiat [8]). Verum ne longius

---

sur le grand ouvrage historique et critique d'Ibn Khaldoun, Ephemerid. Asiat. a. **1825**, t. VII, **213** — **226**; **279** — **300**.

8) Conf. Abulfedae annal. Moslem. ad a. H. **336**, t. II, p. **446** text.

exspatiemur, sufficiat monuisse, de *chronici Cantabrigiensis* auctore nil constare, nisi quod patriâ Siculus, religione Christianus fuerit. Neque de aetate, quâ ille floruit, quidquam compertum. Fuere quidem, qui chronicon nostrum vix ante annum **1003** p. Chr. exaratum fuisse existimarent, eo maxime nixi argumento, quod *Sultani* vocabulum, in chronico hocce obvium, post illum demum annum usurpari consuevisset. Verum enim vero *Ducangius* [9]) et *Adlerus* [10]) luculenter docuerunt, vocabulum illud jam antiquioribus temporibus usitatum fuisse. Quod si *chronicon Cantabrigiense* integrum ad nostra pervenisset tempora, saltem ex anno, in quem excurrebat, auctoris aetas quodammodo definiri potuisset; verum cum in calce plura desiderentur, obstat et ea res, quo minus, quo tempore floruerit auctor, certo dijudicari possit. Neque tamen, licet et auctor et aetas *chronici Cantabrigiensis* nos fugiant, fide minus dignum censendum; quin imo in plerisque cum optimis rerum Sicularum auctoribus, tam orientalibus, quam occidentalibus, praeclare consentit. Id unum dolendum, rerum gestarum expositionem nimiâ laborare brevitate, ita, ut nonnisi, quo anno urbs aliqua capta, proelium aliquod commissum fuerit, nequaquam autem quâ ratione, quove rerum statu id evenerit, doceatur. *Chronici Cantabrigiensis* textum Arabicum, additâ versione Latinâ, primus edidit *Carusius in Bibliothecâ historicâ regni Siciliae*, p. **5 — 16**; idem chronicon emendatius postea exhibuit *Gregorius* in *rerum Arabicarum, quae ad historiam Siculam spectant, collectione*, p. **41 — 51**. [11]).

§. X.

Cedrenus.

Inter historiae Byzantinae scriptores ad rerum ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus gestarum cognitionem haud parum confert *Georgius*

Arab. cum chronico Cantabrig. ad a. **948** p. Chr. p. **49** in Gregorii collectione.

9) Histoire de St. Louis roi de France. Dissert. XVI, du nom et de la dignité de Sultan, p. **238**.

10) In Museo Cufico Borgiano, p. **61**.

11) Conf. Carusii et Gregorii in Chronicon Cantabrigiense praefationes.

Cedrenus. Quis fuerit *Cedrenus,* quove tempore vixerit, neque ab ipso, neque ab aliis aetatis mediae scriptoribus memoriae proditum. Quantum ex ejusdem compendio historiarum conjecturâ adsequimur, sacerdotis vel monachi personam sustinuisse videtur; namque operi historico passim de rebus sacris, deque vitâ monachicâ disputationes inseruntur, quae nonnisi sacerdotem vel monachum redolere videntur. Credibile est, medio seculo decimo primo *Cedrenum* floruisse; siquidem ad ea usque tempora ejusdem annales protenduntur. Scripsit ***historiarum compendium a mundo condito ad Isacum Comnenum usque,*** qui rerum potitus est anno p. Chr. MLVII. Quod historiarum compendium si pro nostrorum temporum sensu aestimare velis, vereor, ne minus honorifice de *Cedreno* statuas. Namque in antiquiorum temporum maxime historiâ, quam ex Veteris Testamenti scriptis, *Flavii Josephi* antiquitatibus, aliisque libris composuit, neque eâ, quâ par erat, diligentiâ, neque judicio satis subacto versatus est; unde evenit, ut, quae narrantur, res gestae haud raro minus convenienti ordine proponantur, saepius etiam ineptae fabulae lectoribus obtrudantur. Accedit, quod in amplissimorum regnorum rebus exponendis mirum in modum jejunus sit; id quod in Romanorum historiâ animadvertere licet, quam ita tractat, ut ejus admodum imperitus fuisse videatur. Diligentior tamen atque copiosior in Byzantinorum imperatorum enarrandis rebus gestis, quam operis partem non sine magno fructu revolves. In iis, quae de Arabum rebus tradit, fide dignum, scriptoribusque Arabicis haud raro consonum invenimus. In citando *Cedreno* eam secuti sumus editionem, quam *Jac. Goar* et *Car. Annib. Fabrotus* adornarunt, Parisiis, 1647, 2 voll. fol. [12]).

§. XI.

Zonaras.

Cedreno jungendus *Zonaras. Joannes Zonaras* et genere et muneribus, quibus in imperatorum Byzantinorum aulâ functus est, et eruditione

12) Conf. Guilielmi Xylandri in Cedreni annales praefat., nec non Fabricii Biblioth. Graec. ex edit. Harlesii, t. VII, p. 464, 465.

insignis. Floruit *Joannis Manuelis*que *Comnenorum* tempore, quorum in aulâ magni vigiliarum drungarii, sive vigilum praefecti, primique a secretis dignitates sustinuit. Aulicorum postea pertaesus honorum, relicto *Byzantio*, in insulam remotam secessit, monachicam vitam amplexus. Quo in otio, hortantibus amicis, annales conscripsit, quibus res memorabiliores inde ab orbe condito ad annum **1118** p. Chr. perstringuntur. Universum *Zonarae* opus in duas maxime partes dividitur: altera historiam, quam sacram vulgo dicunt, porro Graecorum atque Romanorum res ad illa usque tempora, quibus res publica Romana unius arbitrio subjecta fuit, exponit; altera imperatorum Romanorum atque Byzantinorum facta ad *Alexii Comneni* exitum usque persequitur. Etsi *Zonaras* ipse conqueratur, in secessu suo sese destitutum fuisse codicibus, quibus ad conscribendam rite historiam opus fuisset: tamen multa sunt, quae ejus annales commendent. In primis autem ea annalium pars, quae Romanorum res exponit, magni aestimanda. Hanc enim historiae partem maxime ex *Dione Cassio*, quem non mutilatum, ut nostrâ aetate habetur, sed integrum versabat, concinnavit; quo factum est, ut permulta in *Zonarâ* legantur, quae apud rerum Romanarum auctores frustra requiras. In Byzantinorum imperatorum rebus enarrandis *Theophane, Cedreno* aliisque quidem brevior *Zonaras*; neque tamen eum *Vossio* id vitio ei vertendum; non enim propositum fuit, fusiorem historiam, sed historiae quasi compendium conscribere. In iis, quae de Arabum rebus tradit, ut plurimum cum *Cedreno* consentit. In evolvendo *Zonarâ* usi sumus editione, quam *Car. du Fresne* adcuravit, Parisiis, **1686**, t. II, fol. [13]).

§. XII.

Praeter *Cedrenum Zonaram*que et *Theophanes* in *Chronographiâ*, *Constantinus Porphyrogenitus* in *Basilii Macedonis* vitâ, aliique historiae Byzantinae auctores rerum ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus

---

13) Vide Zonarae in annales suos praefationem; Car. du Fresne in Zonarae annales praefat., nec non Fabricii Biblioth. Graec. t. VII, p. 465 — 468.

gestarum mentionem injiciunt; sed adeo raro atque perfunctorie, ut vix operae pretium videatur, auctoribus illis dijudicandis immorari. Quare ad Latinos transeundum. Auctorum Latinorum, qui res ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus gestas adtigeruut, magnus numerus; quapropter non omnes, sed eos tantum in examen vocabimus, qui maximo nobis usui fuerunt; reliquorum sufficiat nomina duntaxat enumerasse. Agmen ducat

Erchempertus.

Erchempertus, sive, ut aliis placet, ***Herempertus***, natione Langobardus, illustri loco natus, quippe quem inscriptio codicis Vaticani, historiam ejus exhibentis, a ducibus Beneventanis originem duxisse tradit. Floruit vergente ad finem seculo nono. Vitam monachicam amplexus, coetuique ***S. Benedicti*** Teanensi vel Cassinensi adscriptus, eruditione, pro illorum temporum ratione, singulari magnam inter sodales suos consecutus est existimationem. Quae existimatio in causâ fuit, ut raptis ab ***Athenulpho***, Capuae comite, quibusdam coenobii Campani bonis, ***Erchempertus*** ab ***Angelasio***, abbate Cassinensi, Romam ad ***Stephanum VI***, pontificem summum, mitteretur, recuperandorum, quae omissa fuerant, bonorum ergo. Quâ legatione tam egregie functus est, ut ***Athenulphus***, summi pontificis monita minasque reveritus, protinus redderet, quaecunque abstulerat. Scripsit inter cetera, auctoritate ***Adelgisi***, viri insignis, permotus, ***rerum a principibus Beneventanis gestarum epitomen***, quam auctarium quasi ad ***Pauli Diaconi*** historiam Langobardorum esse voluit. In quâ epitome plura, quae ad rerum ab Arabibus in Italiâ Siciliâque gestarum cognitionem faciunt, habentur; verum, quod jam ***Opmeerus*** in opere suo chronographico de scriptoribus Langobardis in universum monuit, „eos, vel sua extollentes, vel hostium facta immodice deprimentes, populariumque plausum captantes, fictitia commenta libere historiis inserere," idem et Erchemperto convenire videtur. Maxime autem propensior ejus in Campanos animus, infestusque Neapolitanis, quos inter atque Campanos veteres inimicitiae intercedebant, conspicuus est. Quare non sine magnâ cautione in ***Erchemperti*** historiâ versandum. ***Erchempertum*** unâ cum aliis tribus chronographis, ***Lupo Protospatâ***, ***Anonymo***

Cassinensi et *Falcone Beneventano*, publici juris primus fecit *Antonius Caracciolus*, Neapoli, 1626. Eundem *Erchempertum*, cum aliis opusculis historicis, emendatum postea edidit *Camillus Peregrinius*, Neapoli 1643. Utramque editionem repetiit *Muratorius* in rerum Italicarum scriptoribus, *Peregrinii* nempe in tomi II parte I, p. 237 — 255, *Caraccioli*, tom. V, p. 15 — 30. [14]).

§. XIII.

Anastasius Bibliothecarius.

Erchemperti aequalis *Anastasius*, origine Graecus, et Graece et Latine haud mediocriter doctus. Floruit maxime *Hadriano II* pontifice, et abbatis monasterii *S. Mariae* trans Tiberim, nec non bibliothecarii Romanae ecclesiae munere functus est. Vitâ decessit anno p. Chr. n. 886. *Anastasii* nomine inter cetera feruntur *Vitae Romanorum pontificum*; de quarum auctore magna inter viros doctos dissensio. Sunt, qui vitas pontificum a *S. Petro* ad *Liberium* usque *Damaso* pontifici tribuant, reliquas deinde, a *Liberio* ad *Nicolaum I* usque, ad *Anastasium* auctorem referant. Alii, *Damaso* et *Anastasio* rejectis, et pontificum ante *Liberium*, et post eundem vitas incertorum auctorum esse contendunt; alii denique minime dubitant, vitas illas ab *Anastasio* bibliothecario profectas esse. Longum esset, diversas hasce sententias in examen vocare; sufficiat monuisse, attentum libri lectorem nequaquam fugere posse, non omnem ab eodem auctore, verum a pluribus profectum esse. Namque in diversis libri partibus et scribendi genus admodum diversum; modo rude atque incompositum, modo cultius atque concinnius. Accedit, quod et plura, quae inter se repugnant, in vitis illis occurrant; id quod maxime in temporum computatione conspi-

---

14) Vide Petrum Diaconum de viris illustribus Cassinensibus, Marique in eundem adnotationes; conf. etiam Camilli Peregrinii praefat. in Erchempertum. in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 230—233; Ant. Caraccioli propylaea ad chronologos antiquos quatuor, in Murat. Script. rer. Ital. t. V, p. 11, 12; nec non Fabricii biblioth. Lat. mediae et infimae aetatis, ex edit. Mansii, l. V, t. II, p. 104.

citur. Ad *Anastasium* quod adtinet, perexiguam ille libri partem elucubrasse censendus est; imo si *Gregorii IV, Sergii II, Leonis IV, Benedicti III et Nicolai I* vitas excipias, vix quidquam ad eum auctorem referendum videtur. Reliquarum, quae *Gregorium IV* praecedunt, et *Nicolaum I* sequuntur, vitarum auctores diversi atque incerti. Quod in diversorum auctorum scriptis evenire solet, ut, pro ingeniorum diversitate, diversa et ipsa sint, meliora alia, alia deteriora, id et in pontificum vitis haud secus accidit. Omnibus autem id commune, quod mirum in modum tricis rebusque ineptis inhaereant: quot e. g. et quaenam vasa sacra in ecclesiarum usum a summis pontificibus comparata fuerint, aliaque id genus. Partium praeterea studio nimium vitarum illarum auctores indulgent; quaecunque a pontificibus gesta aut instituta fuere, probantur, laudibusque extolluntur; contra quidquid illorum adversarii fecēre, improbatur atque deprimitur. Neque tamen diffitendum. inter tot tricas et bonae frugis haud pauca esse, quibus et illa accensenda, quae de Arabum rebus in Italiâ traduntur; licet etiam in his nimio partium studio auctorés abripiantur. In pontificum vitis edendis plures desudarunt viri docti; in quibus *Buraeus*, Moguntiae, 1602; *Fabrotus*, Parisiis, 1649; *Vignolius*, Romae, 1724; *Blanchinus*, Romae, 1718 — 1735; *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. III, P. I, p. 93 — 272. [15]).

§. XIV.

Joannes Diaconus.

Ad *Erchemperti Anastasii*que aetatem referendus etiam *Joannes*, cui a munere, quo functus est, *Diaconi* cognomentum. Patriâ fuit Neapolitanus, neque confundendus cum *Joanne Diacono*, qui ex monacho Cassinensi cardinalis evasit, annumque circa 860 inclaruit. Floruit noster ver-

---

15) Conf. Schelestratii dissert. de antiquis Rom. Pontif. catalogis, ex quibus liber pontificalis concinnatus fuit; Ciampini examen libri pontificalis; Blanchini in vitas pontif. Rom., Anastasio bibliothecario adtributas, praefat. in Murat. Script. rer. Ital. t. III, P. I, p. 1—91; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. I, t. I, p. 87 — 89.

gente seculo nono, sicuti ex scriptis ejus colligere licet. Scripsit enim *Chronicon episcoporum ecclesiae Neapolitanae* ad *Athanasium I* usque, qui anno 872 vitâ decessit. Hujus vero episcopi res gestae a *Joanne* in eum modum enarrantur, ut facile intelligas, eundem *Athanasii* vel aequalem fuisse, vel haud longo tempore post floruisse. Scripsit praeterea *historiam martyrii S. Januarii episcopi, Sosiique diaconi*, ubi et de translatione corporis *S. Sosii* agitur, cui quidem translationi se ipsum interfuisse *Joannes* memorat. Jam cum ea translatio *Stephano* ecclesiae Neapolitanae praesule (qui ad hanc dignitatem circa a. 895 evectus fuit) instituta fuerit, et inde perspicitur, auctorem nostrum prope finem seculi noni floruisse. Memoratis Joannis scriptis adde *historiam translationis S. Severini*, Noricorum apostoli, e castello Lucullano Neapolim, ex quâ historiâ depromptum est martyrium *S. Procopii*, episcopi Tauromenitani, quod habetur in *Muratorii* Script. rer. Ital. t. I, P. I, p. 267—273. Hoc *S. Procopii* martyrio, nec non episcoporum Neapolitanorum chronico, quod *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 285—318 exhibet, usi sumus ad illustrandam rerum ab Arabibus in Italiâ Siciliâque gestarum historiam. Ceterum in chronico illo, quod inter *Joannis* opera principem locum tenet, pauca de episcopis Neapolitanis, plura de pontificibus Romanis, aliisque rebus, quae minus ad auctoris propositum pertinent, traduntur; in quibus enarrandis noster maxime *Anastasii* vitas pontificum, *Bedae* de sex aetatibus mundi opus, *Paulique Diaconi* historiam Langobardicam secutus videtur. Neque tamen desunt, quae ex suorum temporum eventibus, suaeque experientiae copiâ depromsit, quibus prae ceteris ejus historia commendatur. [16]).

§. XV.

Annales Bertiniani.

Inter monimenta, quibus res ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus gestae illustrantur, praecipuum sibi vindicant locum *Annales regum*

---

16) Conf. Muratorii praefat. in Jo. Diaconi commentarium de vitis episcopor.

Francorum inde ab anno 741 ad annum 882 usque, qui *Bertinianorum* vulgo nomine insigniuntur. Nomen traxère a coenobio *S. Bertini* apud *Morinos* in Galliâ, e cujus codice manuscripto antiquissimo in lucem prótracti fuère. Annalium horum quisnam fuerit auctor, haud facile est expedire. Probabile admodum est, eosdem non ab uno, verum a pluribus profectos esse auctoribus; quippe qui ex diversis partibus conflati videntur. Pars prima, res ab anno 741 ad annum 814 usque comprehendens, ad verbum fere ex annalibus rerum Francicarum, qui *Loiselianorum* nomine insigniuntur, deprompta est; pars secunda, ab anno 814 ad annum 830 protensa, eadem exhibet, quae in annalibus regum Francorum, *Eginhardo* tributis, leguntur; pars tertia, quae annos sex sequentes, ab anno videlicet 830 ad annum 836, complectitur, res tradit non aliunde petitas, incerto tamen auctore; pars quarta, res gestas ab anno 836 ad annum 861 prosequens, itidem non ab aliis pendet monimentis, et a nonnullis ad *Prudentium, episcopum Trecensem*, auctorem refertur; quinta denique pars, inde ab anno 861 ad annum 882 procedens, ceterisque anteponenda, *Hincmaro, archiepiscopo Remensi*, tribuitur. Jam qui *annalium Bertinianorum* partem quartam *Prudentio* tribuunt, eo nituntur argumento, quod *Hincmarus* in epistolâ ad *Egilonem, archiepiscopum Senensem*, locum quendam ex *Prudentii* annalibus citet, qui totidem verbis in *annalibus Bertinianis* occurrit. Unde concludunt, *annalium Bertinianorum* auctorem vix alium, quam *Prudentium* esse. At vero *annalium Bertinianorum* auctor, quisquis ille fuerit, locum illum *Prudentii* facile in annales suos transferre potuit; neque, si *Prudentius annales Bertinianos* composuisset, se ipsum reprehenderet, quod olim *Gothescalco* haeretico infensus, postea ejusdem patronus fuerit, sicuti in annalibus illis ad annum 849 legitur. Quod ad quintae *annalium Bertinianorum* partis auctorem adtinet, ejus quidem ingenium scribendique genus apprime *Hincmaro* convenire videtur; verum ea, quae sub finem anni 882 narrantur, et ejusdem atque praecedentia auctoris esse videntur, nequaquam

---

Neapolit. in Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 287 — 290; nec non Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. IX, t. IV, p. 68.

ad *Hincmarum*, morti proximum, vel jam defunctum, referri possunt. Quod si igitur, quae praecessère, *Hincmari* fuerint, haec postrema certe pars alii cuidam, forsitan *Hincmari* discipulo, vel amico tribuenda erit. Sed utcunque de utriusque partis auctore statuas, id certe concedendum videtur, tertiae, quartae quintaeque *annalium Bertinianorum* partis auctores rebus, quas memoriae prodidère, fuisse aequales, proinde et fide dignissimos. *Annales Bertinianos* typis vulgarunt *du Chesne* in histor. Francor. Script. t. III, p. **150**, sequ. *Muratori* in rer. Ital. script. t. II, P. I, p. **491**, sequ. *Bouquet* in rer. Gallic. et Francic. script. t. VI, p. **192**, sequ. t. VII, p. **59**, sequ. t. VIII, p. **26**, sequ. [17]).

§. XVI.

Luitprandus.

Quae ab Arabibus *Fraxineti*, quod oppidum in Provinciâ situm, gesta fuerunt, diligenter notavit *Luitprandus*. *Luitprandus*, gente Longobardus, patriâ Ticinensis, medio seculo decimo floruit. Primo *Hugonis*, Italiae regis, post *Berengarii II* in aulâ versatus, utriusque gratiam inivit; imo *Berengariò* adeo acceptus fuit, ut a consiliis literisque secretioribus illi esset. Neque tamen *Berengarii*, hominis injustissimi, gratia diuturna esse potuit. Incurrit in ejus offensam et *Luitprandus*, bonisque spoliatus, ne pejora sibi acciderent, in Germaniam ad *Ottonem* regem confugit. In quo exilio, anno circiter **958**, ad temporum suorum historiam scribendam animum adplicuit. Postquam vero *Berengarius* regno exutus, et *Otto*, Germanorum rex, rerum in Italiâ potitus fuit, *Luitprandus* in patriam reversus, *Ottonis* beneficio, cui inprimis carus, episcopatum Cremonensem adeptus est. Ab eodem *Ottone Luitprandus* anno **968** Constantinopolim ad *Nicephorum*, Graecorum imperatorem, legatus missus est, ut *Theophaniam*, *Romani junioris* filiam, *Ottoni II* uxorem peteret. Quo anno *Luitprandus* vitâ decesserit, non quidem constat; neque tamen, legatione illâ

---

17) Conf. du Chesnii, Muratorii et Bouqueti in annales Bertinianos praefationes; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. II, t. I, p. **241**.

perfunctus, diu superstes fuisse videtur. Scripsit ***historiam rerum ab Europae imperatoribus ac regibus tempore suo gestarum*** libris VI; nec non ***commentarium de legatione suâ ad Nicephorum***, imperatorem Constantinopolitanum. *Luitprandi* historiam multa sunt quae commendent. Cum nonnisi suae aetatis (ab anno 891 ad annum 946 usque) res memorabiles exponat, magnamque vitae partem in principum aulis degisset, ubi multarum rerum, quae vulgus hominum fugiunt, notitiam habere potuit, facile perspicitur, commentarios ejus fide dignissimos esse. Accedit, quod et eruditione ingeniique acumine inter aequales suos emineat; quinimo et vivido scribendi genere lectorem delenit, quamvis, pro more ferreae illius aetatis, aspero utatur sermone. Utrumque *Luitprandi* opus continetur in ***Muratorii*** Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 425—489. [18]).

§. XVII.

Anonymus Salernitanus.

Luitprandi aetatem adtingit incertus ille historiae principum Langobardorum auctor, qui *Anonymi Salernitani* cognomento vulgo insignitur. De auctoris hujus nomine multum quaesivêre viri docti. *Baronius* in annalibus ecclesiasticis, *Ughellius* in antistitum Salernitanorum catalogo, imo ipse *Leo Marsicanus* in chronico Cassinensi, *Erchempertum* memoratae principum Langobardorum historiae auctorem putarunt. At vero viris bonis frandi fuêre codices, qui *Erchemperti* historiae nostram subjicerent, neque peculiari inscriptione hanc ab illâ discernerent. *Muratorius* auctori nostro *Arderici* nomen fuisse inde colligit, quod carminis, ad calcem historiae nostrae obvii, auctor *Ardericum* sese adpellet. Quod si, ut *Muratorius* opinatur, carminis hujus auctor ab historiae principum Langobardorum auctore haud diversus fuerit, omnino *Arderici* nomen nostro tribuendum. Vitae ecclesiasticae auctorem nostrum deditum fuisse, inde conjicias, quod

---

18) Conf. Muratorii in Luitprandi Chronicon praefat. in Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 419 — 422; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. XI, t. IV, p. 291.

et literarum sacrarum saepius utatur auctoritate, et in scriptorum ecclesiasticorum monimentis haud mediocriter videatur versatus. Scripsit, uti jam monitum fuit, ***historiam principum Langobardorum***, inde ab anno circiter 760 ad annum 980 usque. Historiam hanc eodem, quo desinit, anno conscriptam fuisse, ipsius auctoris testantur verba. Namque memoratâ ***Adelchisi***, principis Beneventani, violentâ morte, addit, eo loco, quo princeps ille occisus fuerit, nullam herbam enatam ad sua usque tempora, per C annorum decursum. Jam cum ***Adelchisus*** circa annum 879 occisus fuerit, adparet, nostrum historiam suam eodem, quo illa desinit, anno, videlicet 980, composuisse. ***Anonymum Salernitanum*** nequaquam melioris notae scriptoribus adnumerandum esse, jam pridem monuerunt viri eruditi. Inprimis sanum in eo judicium desideratur; quo fit, ut persaepe fabulas aniles lectori obtrudat. Neque tamen ideo omnino contemnendus. Multa enim de antiquis Beneventi, Salerni Capuaeque principibus tradit, quae ab auctoribus aliis praetermissa sunt, quibusque Italiae inferioris historia haud parum illustratur. Et quamvis saepius ***Erchempertum*** expilaverit, tamen et plura ab ***Erchemperto*** neglectâ memorat; adde quod ea, quae inde ab ***Erchemperti*** temporibus memoriae prodidit, vix aliunde repeti possunt. ***Anonymi Salernitani*** fragmenta, quaedam vulgaverat ***Camillus Peregrinius*** in historiâ principum Langobardorum; eadem repetita fuère in ***Muratorii*** Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 287—306. Reliquam auctoris nostri partem idem ***Muratorius*** edidit in Script. rer. Ital. t. II, P. II, p. 172—281. [19]).

§. XVIII.

Gaufredus Malaterra.

Quae inter Arabes Normannosque de Siciliae dominatu gesta fuère bella diligenter descripsit ***Gaufredus Malaterra***. ***Gaufredum*** origine Hispanum fuisse ***Vossius*** censet; sed probabilior ***Pagii*** sententia, Normannis eum accensentis; siquidem Normannos ubique suos adpellat ***Gaufredus***.

---

19) Conf. Camilli Peregrinii et Muratorii in Anonymum Salernitanum praefationes.

Floruit vergente ad finem seculo decimo primo, *S. Benedicti* ordini adscriptus. Scripsit rerum a *Roberto Guiscardo*, ejusque fratre *Rogerio*, principibus Normannis, in Campaniâ, Apuliâ, Calabriâ Siciliâque gestarum historiam; quam a primo Normanuorum in Apuliam adventu exorsus, ad decimum primum *Urbani II*, pontificis summi, annum, i. e. ad annum **1099** usque deducit. Hanc historiam eum ipsius *Rogerii*, Siciliae comitis, hortatu conscripserit *Gaufredus*, facile intelligas, quantâ apud principem illum in gratiâ fuerit atque existimatione. Quamvis, sicut ipse in historiae suae dedicatione ad Catanensem episcopum, *Georgium*, fatetur, rebus, quas memoriae prodidit, ipse non interfuerit, tamen fide dignissimus auctor; quippe qui ea, quae tradit, ab hominibus, qui illa vel viderant, vel ipsi gesserant, acceperit. Neque tamen dissimulandum, *Gaufredum* in *Rogerii* factis describendis interdum nimio in principem illum studio abripi; quo fit, ut magna viri facta aliquantò majora, quam re verâ fuêre, videantur. Eo quoque nomine noster commendandus, quod tempora, quibus quaeque gesta sunt, diligenter notet; denique et scribendi genere, quo utitur, plurimos ferrei illius aevi scriptores antecellat. In *Gaufredi* historiâ edendâ plures desudarunt viri docti; in his *Hieronymus Surita*, Caesaraugustae, **1578**; *Joannes Pistorius*, in Hispaniae illustratae tomo tertio, Francof. **1606**; *Carusius* in biblioth. hist. regni Sicil. t. I, p. **157** — **248**; nec non *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. V, p. **544** — **606**. [20]).

§. XIX.

Lupus Protospata.

Gaufredi aequalis fuisse videtur *Lupus Protospata*. De hujus auctoris origine vitâque parum constat. Sunt, qui natione Graecum, civitate Barensem existiment. Graecum fuisse, inde colligunt, quod haud raro graecisset, Graecisque in tantum faveat, ut ad annum **1058** numinis divini misericordiam celebret, quod *Robertum*, Normannorum ducem, ingenti navium

---

20) Conf. Carusii et Muratorii in Gaufredum praefationes; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. VII, t. III, p. 9.

militumque adparatu adversus Graecorum imperatorem profecturum, ventris profluvio exstinxerit. Barensem vero fuisse, inde conjiciunt, quod plurimum in Barensium rebus versetur, Barisque dynasten, ad annum 886 et 890, simpliciter ac quasi *ἀντονομαςικῶς Principem* adpellet. At vero graecissare, Graecisque favere noster potuit, quamvis ipse haud Graecae esset originis; neque inde, quod plurimum in Barensium rebus enarrandis versetur, tuto conjicitur, Barensem ipsum fuisse. Quod vero ad principem adtinet, cujus ad annum 886 et 890 injicitur mentio, is non Barensium, sed Beneventi dynastes, *Ajo*. *Peregrinius* auctorem nostrum Apulum dicit; in Apulorum enim rebus totum versari, huncque populum, Graecis diu subditum atque commixtum, plura ex Graecorum sermone adscivisse, longoque cum Graecis commercio propensiorem in hos effectum. In re incertà huic adquiescendum sententiae. Idem *Peregrinius* opinatur, auctorem nostrum circa annum 1088 floruisse; cui opinioni non refragabimur, cum ejus annales ad annum 1102 usque excurrant. Scripsit *Lupus Protospata rerum in regno Neapolitano gestarum chronicon*, ab anno 860 ad annum 1102 usque; in quo, licet exiguae sit molis, plura tamen, quae ad rerum ab Arabibus in Italià gestarum historiam pertinent, exhibentur. *Lupi* chronicon, ut superius jam monitum fuit, primus publici juris fecit *Anton. Caracciolus*, Neapoli, 1626; idem opusculum, unà cum *Camilli Peregrinii* castigationibus, postea ediderunt *Carusius* in biblioth. histor. regni Siciliae, t. I, p. 33 — 55; et *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. V, p. 37—49. [21]).

§. XX.

Leo Marsicanus.

Rebus, quas in Italià Arabes gessêre, illustrandis haud parum confert *Leo*, cui a patrià *Marsicani* cognomentum. Floruit vergente seculo XI, et ineunte XII, ordini *S. Benedicti* in coenobio Cassinensi adscriptus. Ad

---

21) Conf. Caraccioli et Peregrinii in Lupum Protospatam praefationes, in Muratorii Script. rer. Ital. t. V, p. 34, 36; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. XI. t. IV, p. 294.

episcopi Ostiensis dignitatem postea a *Paschali II*, pontifice maximo, evectus, vixit ad annum 1112, vel, ut alii contendunt, ad annum 1115 usque. *Oderisii*, abbatis Cassinensis, auctoritate motus scripsit *Abbatum Cassinensium annales*, inde a *S. Benedicto*, coenobii Cassinensis conditore, ad *Desiderium* abbatem, i. e. ab anno circiter 500 ad annum 1087 usque. Neque tamen ad finem propositum annales suos perduxit *Leo*; namque IV libros pollicitus, III tantum reliquit, eosque haud absolutos, in *Desiderii* vitâ interruptus, sive morte, sive aliis impedimentis. Quod *Leo* non perfecerat, *Petrus Diaconus* prosecutus est; quippe qui, etsi haud pari successu, librum tertium inde a capite 35 ad finem perduxit, totumque quartum addidit. *Leonis* chronicon magni faciunt viri eruditi. Neque id immerito; namque praeter celeberrimi illius coenobii Cassinensis historiam, multa alia scitu digna refert, quae tum ex tabulario Cassinensi, tum ex aliis antiquitatis monimentis hausta sunt. In iis, quae ad Arabum pertinent historiam, *Erchemperti* saepius vestigia noster sequitur, additis tamen haud raro, quae apud *Erchempertum* non leguntur. Ceterum, quae illorum temporum hominibus communis fuit labes, quod portentis miraculisque delectarentur, ea et in auctoris nostri annalibus passim deprehenditur. *Leonis Chronicon* pluribus vicibus editum fuit; primo Venetiis, 1513; postea Parisiis, 1603, 1668; Neapoli, 1616; denique in *Muratorii* Script. rer. Ital. t. IV, p. 185 — 602. [22]).

§. XXI.

Chronicon Vulturnense.

Leonis annales excipiat *Chronicon Vulturnense*, cui nomen a coenobio *S. Vincentii*, prope *Vulturni* fluminis fontes sito. Chronici hujus auctor *Joannes*, memorati coenobii alumnus, et postmodum abbas. Floruit circa annum 1108; namque hoc ipso anno cum abbate coenobii sui,

22) Conf. Mabillonii Annales ordinis S. Benedicti ad annum 1087, num. XVII; Muratorii praefat. in Leonis Marsicani Chronicon, in Script. rer. Ital. p. 153, 154; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. XI, t. IV, p. 261, 262.

Benedicto, Beneventum sese contulit *ad Paschalem II*, pontificem maximum, qui ibidem consilii celebrandi causâ morabatur. Eodem illo tempore chronico suo insudavit, cujus contexendi auctor ipsi fuit abbas *Girardus*. Neque tamen opus illud chronicon merito dixeris; constat enim maximam partem ex privilegiis ad coenobium Vulturnense pertinentibus, quibus passim rerum gestarum brevis interseritur narratio. Quae privilegia etsi haud panca scitu digna exhibeant, tamen et multas ineptias inanesque formulas, sexcenties repetitas, continent. Accedit, quod non omnia, quae in medium proferuntur, literarum monimenta genuina esse videantur. In computando porro tempore haud semper feliciter auctor noster versatur; quiuimo et in ipsarum rerum gestarum narratione interdum labitur. In iis, quae ad Arabum spectant historiam, pariter atque *Leo Marsicanus*, *Erchemperti* persaepe inhaeret vestigiis. Quae quamvis non videantur commendare auctorem nostrum, tamen, si quis prudenter eo utatur, haud parum frugis ex illo percipi posse intelliget. *Chronici Vulturnensis* fragmenta quaedam *du Chesne* in Script. hist. Francor. t. III, p. 672—700 vulgaverat; integrum postea edidit *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 319—523. [23]).

§. XXII.

Romualdus Salernitanus.

Haud praetermittendus nobis *Romualdus Salernitanus*, etsi cognoscendis Arabum rebus vix tantum conferat, quantum, qui hactenus recensiti fuere, scriptores. *Romualdus* illustri loco editus, quippe quem *Petrus Blesensis Guilelmi II*, Siciliae regis, avunculum dicit, floruit medio seculo decimo secundo. Anno **1153**, sive **1154**, ad archiepiscopi Salernitani dignitatem evectus fuit, eamque provinciam ad annum **1181** usque administravit, quo anno vitâ decessit. Siciliae regibus, maxime vero *Guilielmo II*, inprimis acceptus fuit; cujus et legatus paei inter *Alexandrum III*, pontificem summum, et *Fridericum I*, imperatorem, compositae Venetiis interfuit.

---

23) Conf. Muratorii in Chronicon Vulturnense praefat. in Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 321 — 324.

Scripsit inter cetera *annales* ab orbe condito ad annum 1178 usque; in quibus, quae aetatem suam antecessère, adeoque et Arabum res brevissime perstringit. Uberior in temporum suorum rebus exponendis, iis maxime, quae inter *Alexandrum III*, pontificem summum, et *Fridericum I*, imperatorem, aetae fuere, quarum certe gravissimus auctor censendus est. *Romualdi* annalium partem, res ab anno 1159 ad annum 1177 gestas complectentem, *Carusius* in biblioth. histor. regni Siciliae, t. II, ediderat; integrum opus publici juris fecit *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. VII, p. 8 — 244.[24]).

§. XXIII.

Matthaeus Spinellus.

Ad *Friderici II. Manfredi Caroli*que I tempora pertinent *Matthaei Spinelli Ephemerides historicae*. *Spinello* patria fuit *Juvenatium*, provinciae Barensis in regno Neapolitano oppidum, quo in loco a. 1230 editus fuit. De ejus vitâ pauca memorantur; constat tamen, eum haud ignobilem locum inter suos tenuisse, quippe qui plus simplici vice a popularibus suis ad *Manfredum Carolum*que I., reges, legatus missus fuit. In bello, quod inter *Carolum* et *Conradinum* gestum fuit, in *Caroli* exercitu stipendia meruit. Vitam vix ultra annum 1268 produxisse videtur; namque medio hujus anni Augusto ephemerides ejus subsistunt. Credibile est, eum in proelio ad *lacum Fucinum*, (*Lago di Celano*) die 24 Augusti *Carolum* inter atque *Conradinum* commisso, occubuisse. Scripsit *Spinellus* sermone Italico *rerum, suo tempore in regno Neapolitano gestarum, commentarios* sive *ephemerides*, quae inde ab anno 1247 ad annum 1268 usque procedunt. Neque tamen integrae ad nostra tempora ephemerides illae superarunt; desiderantur enim haud pauca, quae ad annorum 1258, 1261 — 1263, nec non ad anni 1264 historiam pertinent. Quae jactura eo magis dolenda, quo magis, quae adhuc supersunt, fide digna censentur. Tradit enim *Spi-*

24) Conf. Muratorii et Saxii in Romualdum praefationes, in Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 3 et 5; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. XVII, t. VI, p. 124.

nellus nonnisi ea, quae vel ipse viderat, vel saltem ex propinquo audiverat. Quare ejus ephemerides a rerum Neapolitanarum scriptoribus magni semper habitae fuerunt. Neque tamen infitiandum, in temporum notatione, quam chronologiam dicunt, nonnulla esse perturbata, quod tamen vitium non auctoris, sed librariorum incuriae tribuendum videtur. *Spinelli ephemerides*, in sermonem Latinum translatas, primus vulgavit *Papebrochius* in *Propylaeo ad Acta Sanctorum Maji*. Part. II, p. 40 sequ. *Papebrochii* versionem postea bibliothecae historicae regni Siciliae tomo II, p. 1089, sequ. inseruit *Carusius*. Archetypum Italicum cum *Papebrochii* versione Latinâ edidit *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. VII, p. 1063 — 1108. [25]).

§. XXIV.

Nicolaus de Jamsilla.

In *Friderici II*, *Conradi Manfredique* rebus describendis etiam *Nicolai de Jamsilla* historia versatur. De auctoris vitâ vix quidquam constat, nisi quod Gibellinorum partibus addictus fuerit, cujus rei ipsa ejus historia manifestum exhibet testimonium. Namque in *Fridericum Manfredumque* propensissimus, benevolentius fortasse, quam par erat, de illorum rebus gestis statuit. Incipit ejus historia inde ab anno 1210, proceditque ad annum 1258 usque. Accedit supplementum, ejusdem *Manfredi*, *Caroli Andegavensis*, nec non *Conradini* res gestas, ab anno 1258 ad annum 1265 usque prosequens; quod tamen non ad *Jamsillam*, verum ad *Sabam Malaspinam* auctorem referendum. Floruit *Malaspina* medio seculo decimo tertio, *rerumque Sicularum libros VI*. inde ab anno 1250 ad annum 1276 usque, conscripsit. Ex hujus historiae libro secundo, tertio quartoque *Jamsillae* supplementum ab ignoto quodam auctore depromtum est, ita quidem, ut alia dempta, alia addita, nonnulla etiam mutata, vel detorta fuerint. Cum enim *Malaspina* Guelphorum partibus addictus esset, ejus

25) Conf. Muratorii in Matth. Spinelli Ephemerid. praefat. in Script. rer. Ital. t. VII, p. 1057 — 1062; Fabricii biblioth. Lat. med. et fin. aetat. t. VI, p. 201.

autem compilator cum Gibellinis faceret, fieri non potuit, quin, quae ab illo in Guelphorum rem dicta fuerant, ab hoc in Gibellinorum laudem traherentur. Prodiit *Jamsillae historia cum Malaspinae supplementis* primum anno 1662 in Italiae Sacrae, a *Ferd. Ughellio* editae, tomo IX, p. 752 sequ. edit. vet., quae tamen editio et mendis quam plurimis et lacunis laborat. *Ughellii* textum repetiit *Georg. Eccardus*, Historicorum medii aevi tomo I, p. 1025 sequ. a. 1723. Eodem anno eundem textum parum mutatum, edidit *Jo. Bapt. Carusius* in Bibliothecae historicae regni Siciliae tomo II, p. 675 sequ. Emendatior deinde *Jamsillae* prodiit historia studio *Ludov. Ant. Muratorii* in Script. rer. Ital. t. VIII, p. 489—616. *Muratorii* operâ non tantum lacunae, quibus priores laborabant editiones, ad fidem codicis manuscripti resartae sunt, verum etiam auctoris nomen, quod antea latebat, in lucem protractum. [26]).

§. XXV.

Andreas Dandulus.

Ventum est ad serioris aevi scriptores, e quibus maximo nobis usui fuit *Dandulus*. *Andreas Dandulus*, Venetorum nobilissimâ stirpe ortus, floruit medio seculo decimo quarto. Animi haud minus, quam generis nobilitate prae ceteris clarus, vix ultra XXXVI annos natus principatum in Venetorum republicâ obtinuit anno 1343. Quo amplissimo munere inter magna rerum discrimina praeclare functus est ad annum 1354 usque, quo animam simul cum imperio deposuit. Scripsit duplicis generis *annales, uberiores* videlicet et *contractiores*. Illos X libris absolverat, quorum tamen nonnisi VII posteriores supersunt, res memorabiles a *S. Marci* pontificatu ad mortem *Jacobi Contareni*, Venetorum principis, sive ad annum 1280 complexi. Quae post *Contareni* obitum ad annum 1342 usque in

---

26) Muratorii in Chron. Nicolai de Jamsilla et Sabae Malaspinae libros rer. Sicular. praefat. in Script. rer. Ital. t. VIII, p. 491, 492; 783, 784; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. t. V, l. XIII, p. 112, 113, nec non l. XII, p. 10.

codicibus leguntur, ex brevioribus *Danduli* annalibus adjecta sunt. De *Danduli* annalibus honorifice admodum sentiunt viri docti. *Saxius* selectis illis temporum superiorum monumentis, quae, rariorum gemmarum instar, pretio suo conspicua sint, adnumerandos censet. Cui sententiae nos quoque accedimus, si seriorum temporum historia spectetur. Namque in antiquiorum temporum rebus exponendis *Dandulo* quoque accidit, quod omnibus fere medii aevi auctoribus, nempe ut fabulas saepissime lectoribus obtrudant. At vero in recentiorum temporum historiâ multa de Venetorum, Istrorum finitimorumque populorum rebus tradit, quae apud alios scriptores frustra requiras. Certe in iis, quae de Venetiarum origine et incrementis refert, omnibus illius aetatis auctoribus palmam praeripere videtur. *Danduli Chronicon* uberius e duobus bibliothecae Estensis codicibus edidit *Muratorius* in Script. rer. Ital. t. XII, p. 13 — 416. [27]).

§. XXVI.

Qui hactenus recensiti fuêre auctores, prae ceteris ad illustrandas res ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus gestas faciunt. Praeter illos quam plurimis aliis medii aevi usi sumus monimentis, quorum tamen, cum minoris sint momenti, sufficiat nomina tantum citasse. In his: *Theodosii monachi epistola ad Leonem archidiaconum de Syracusarum expugnatione;* quae epistola habetur in Muratorii Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 257 — 265. — *Historiola rerum a Langobardis in Cistiberinâ Italiâ gestarum,* ab anno circiter 840 ad tempora *Landulfi* episcopi comitisque Campani ét *S. Bertharii* abbatis Cassinensis, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 264 — 273. — *Epitome Chronicorum Cassinensium*, auctore, ut ferunt, *Anastasio bibliothecario*, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 351 — 370. — *Chronicon Farfense*, ab anno circiter 680 ad annum 1104 usque, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. II, p. 289 — 680. — *Chronicon Novaliciense,* in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. II,

27) Muratorii in Danduli Chronicon praefat. in Script. rer. Ital. t. XII, p. 3 — 8; Fabricii biblioth. Lat. med. et inf. aetat. l. I, t. I, p. 93.

p. 699 — 764. — *Chronicon Casauriense* in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. II, p. 776 — 1018. — *Arnulphi historia Mediolanensis*, in Murat. Script. rer. Ital. t. IV, p. 7 — 45. — *Anonymi Cassinensis Chronicon*, in Murat. Script. rer. Ital. t. V, p. 55 — 78. — *Falconis Beneventani Chronicon*, in Murat. Script. rer. Ital. t. V, p. 82 — 133. — *Appendix ad Malaterrae hist. Sic.* in Murat. Script. rer. Ital. t. V, p. 603 — 606. — *Alexandri abbatis Telesini de rebus gestis Rogerii, Siciliae regis*, in Murat. Script. rer. Ital. t. V, p. 615 — 643. — *Chronicon Pisanum*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VI, p. 107 — 110. — *Breviarium historiae Pisanae*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VI, p. 163 — 198. — *Caffari Annales Genuenses* in Murat. Script. rer. Ital. t. VI, p. 248 — 610. — *Chronicon Cavense*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 917 — 962. — *Richardi de S. Germano Chronicon*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 968 — 1052. — *Monachi Patavini Chronicon*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VIII, p. 666 — 734. — *Sabae Malaspinae rerum Sicular. historia*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VIII, p. 786 — 874. — *Ricordano Malespini Istoria Fiorentina*, in Murat. Script. rer. Ital. t. VIII, p. 882 — 1046. — *Jacobi de Varagine Chronicon Genuense*, in Murat. Script. rer. Ital. t. IX, p. 6 — 55. — *Giovanni Villani historie Fiorentine*, in Murat. Script. rer. Ital. t. XIII, p. 10 — 1002. — *Anonymi Chronicon Barense*, in Murat. Antiquit. Ital. t. I, p. 32—36.— *Nithardi*, Caroli M. nepotis, de dissensionibus filiorum *Ludovici Pii* libri IV, in du Chesne Script. hist. Francor. t. II, p. 359 — 380. — *Annales rerum Francicarum, quae a Pipino et Carolo M. regibus gestae sunt*, ab anno 741 — 814. ex vetusto *Ant. Loiselii* exemplari, in du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 24 — 29. — *Eginhardi Annales regum Francor. Pipini, Caroli M. et Ludovici Pii*, ab anno 741 — 829, in du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 233 — 272. — *Annales Francorum Fuldenses* ab anno 714 — 900, in du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 531 — 585. — *Frodoardi Presbyteri ecclesiae Remensis Chronicon*, ab anno 919 — 966, in du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 590 — 623. — *Annales Francorum Metenses*, ab anno 687 — 904, in du Chesne

Script. hist. Franc. t. III, p. 162—233. — *Hepidanni, monachi S. Galli, Annales* ab anno 709—1044, in du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 471—480. — *Joannis VIII, pontificis summi, epistolae*, in du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 866—913. — *Matthaei Paris. historia major*, ex edit. Guil. Wats. — *Codurii institutiones juris Mohammedani*, ex edit. E. Fr. C. Rosenmüller.

§. XXVII.

Praeter medii aevi monimenta, et recentiorum temporum scriptores consuluimus; quorum e numero prae ceteris nobis memorandi: *Muratori Annali d' Italia*; ejusdem auctoris *Antiquitates Italicae medii aevi*; *le Bret historia Italiae*, sermone Germanico conscripta; *Simonde de Sismondi histoire des républiques Italiennes du moyen age*; *Giannone istoria civile del regno di Napoli*; *Carusii rerum Saracenicarum in Sicilià gestarum epitome*; *Martorana Notizie storiche dei Saraceni Siciliani*; *Signorelli vicende della coltura nelle due Sicilie*; *Scrofani della dominazione degli stranieri in Sicilia*; *Matthaeji Sardinia Sacra*; *Mimaut histoire de Sardaigne*; *Manno Storia di Sardegna*, terza edit. 1835; *Filippini historia di Corsica*; *Cherrier histoire de l'isle de Corse*; *Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne sous la domination des Arabes*; *Conde historia de la dominacion de los Arabes en España*; *de Sacy sur la nature et les révolutions du droit de propriété territoriale en Egypte*, in libro, qui inscribitur Mémoires de l'institut royal de France, t. I, V, VII; *Reinaud Invasions des Sarrazins en France*; ejusdem auctoris *Extraits des historiens Arabes relatifs aux croisades*, in Michaudii Bibliothèque des Croisades, P. IV; *Quatremère Vie du Khalife Fatimite Moëzz-li-din-Allah*, in Ephemerid. Asiaticis (Journal Asiatique) a. 1836, t. II, p. 401—439; 1837, t. III, p. 44—93; 165—208; *Fitz Clarence Mémoire sur l'emploi des mercenaires Mahometans dans les armées Chrétiennes*, Journal Asiat. a. 1827, t. X, p. 65—93; t. XI, p. 33—58; 106—113; 172—183; *de Hammer-Purgstall de provinciarum imperii Arabici administratione* commentatio, sermone Germanico exarata.

§. XXVIII.

Josephi Vella codex Siciliae diplomaticus.

Memoratis hucusquo genuinis rerum gestarum monimentis, liceat et suppositicii illius codicis diplomatici Siciliae mentionem injicere, quem *Josephus Vella* circa finem seculi elapsi viris literatis obtrudere conatus est. Codicis hujusce origo fataque haec, fere. Notissimum est, Siciliam ultra ducentos annos Arabum dominationi subjectam fuisse. Ejus dominationis haud pauca vel nostrâ aetate in insulâ illâ supersunt monimenta; in his aquaeductus, cippi sepulchrales, numi, aliaque id genus. Sed desiderabantur ad annum **1782** usque literarum monimenta Arabica, ad Siciliae historiam spectantia; quae tamen ab Arabibus Siculis, literarum quoque cultui deditis, jure poterant exspectari. Accidit vero anno **1782**, ut *Mohammed ben Osman*, principis Maroccani ad regem Neapolitanum legatus, in patriam reversurus, exortâ tempestate in portum Panormitanum sese reciperet. Is, aliquantulum temporis in Siciliâ moratus, usus est comite et interprete *Josepho Vellâ*, Melitensi, qui in Siciliâ degebat, Arabicique sermonis, corrupti illius, qui in insulâ Melitâ obtinet, peritus erat. Hoc comite Maroccanus coenobium *S. Martini*, haud procul Panormo situm, visitat, codicesque Arabicos, in bibliothecâ coenobii illius adservatos, inspicit. Quâ occasione arreptâ, *Vella*, haud inscius, desiderari codices Arabicos, ad Arabum Siculorum historiam spectantes, rumorem spargit, repertum esse a legato Maroccano in bibliothecâ coenobii *S. Martini* codicem Arabicum, qui *literas a praefectis Siciliae Arabicis ad principes Aglabidas, dominos suos, datas acceptasque* contineret. Hoc rumore ad *Alphonsum Airoldi*, archiepiscopum Heracleensem, perlato, vir literarum amantissimus nil antiquius sibi duxit, quam ut egregium illum codicem vertendum edendumque curaret. Vertendi codicis negotium *Vellae* demandatur, misso ad viros literarum Arabicarum peritos textûs Arabici unâ cum versione Latinâ specimine, quod prae ceteris ab *Olao Tychsen*, magni nominis in literis orientalibus viro, comprobatum fuit. Neque tamen defuêre viri docti, qui minus honorifice de specimine illo judicarent; in quibus *de Guignes*, qui in ephemeridibus literariis (Journal des Savans) anni **1786** censuit, codicis

illius scribendi genus a sermonis Arabici indole multum abhorrere, proximeque ad Melitensium linguam accedere. In eandem sententiam discessit et *Rosarius Gregorius*, qui haud spernendis argumentis et non sine sale codicis illius *αὐθεντίαν* impugnavit in epistolâ, *de Guignesio* inscripta: *Lettre à M. de Guignes de l'Académie Royale des Inscriptions et belles-lettres sur la supposée Authenticité du Codex diplomaticus Siculus sub imperio Saracenorum, par L. de Veillant*, Malte, 30 Mars, 1788. [28]). Quae *Gregorius* in epistolâ hac ad impugnandam codicis Siculi auctoritatem in medium protulerat argumenta, praeter *Tychsenium*, acerrimum et constantissimum *Vellae* defensorem, refellenda sibi sumsit regius Siciliae historiographus *Di Blasi* in commentatione: *Giudicio sopra una lettera di L. Veillant.* Palermo, 1788. Neque tamen in re ancipiti feliciter versari potuit vir omni linguae Arabicae scientiâ destitutus.

§. XXIX.

Dum haec aguntur, opus a *Vellâ* susceptum ad finem perducitur, preloque committitur. Prodit igitur sermone Italico inde ab anno 1789 ad annum 1792 usque codex ille multo jam rumore exagitatus, hac inscriptione: *Codice diplomatico di Sicilia, sotto il governo degli Arabi publicato per opera e studio di Alfonso Airoldi, Arcivescoro di Eraclea, Giudice dell' Apostolica Legazione e della Regia Monarchia nel regno di Sicilia.* T. III, P. VI, 4. Emisso jam in lucem codice, facili negotio ab omnibus rerum Arabicarum peritis intelligi potuit, inconditum indocti impostoris esse fetum; sed tum quoque non defuère, qui, opinionibus praejudicatis capti, codicem illum insigne historiae Siculae monimentum existimarent; imo, quod pejus, fuère etiam, qui in conscribendâ Siciliae historiâ codicem illum ducem sequerentur.

§. XXX.

Impudentissima haec fraus cum optime *Vellae* cessisset (quippe qui non tantum laudibus undique cumulabatur, verum etiam professoris linguae

28) Quod in epistolâ illâ subscriptum legitur nomen Veillant, non est nisi translatio Graeci nominis Gregorii (a *γρηγορέω*) in sermonem Gallicum.

Arabicae munere ornatus fuit) haud subsistendum, sed initâ jam viâ progrediendum sibi ratus est. Igitur anno **1793** alterum ingenii sui fetum in lucem protraxit, codicem videlicet Arabicum, qui *Robertii Rogerii*que, principum Normannorum, Aegyptique dynastae, *Almostanseri Billah*, epistolas invicem scriptas continere ferebatur. Prodiit codex hicce, quem ex urbe Marocana sibi transmissum *Vella* narrabat, impensis regiis, Arabice cum versione Italicâ, in hunc modum inscriptus: كتاب ديوان مصر, *Libro del Consiglio di Egitto, tradotto da Giuseppe Vella* etc. Palermo, **1793**, t. I, fol. Libri hujus editio non tantum viris doctis, qui novam fraudem odorabantur, verum etiam Siciliae nobilitati magnae fuit offensioni. Tantum enim in libro illo regiae potestati concedebatur, ut haud levem jacturam nobilitatis jura accipere viderentur. Quam ob rem in regni senatu rogatio lata fuit, petendum esse a rege, ne codex ille in judiciis publicis adhiberetur, donec regiâ auctoritate comprobatus esset.

§. XXXI.

Jam tempus instabat, quo tantis fraudibus finis imponeretur. Factum est id solertiâ viri doctissimi *Josephi Hager*, theologiae doctoris Ticinensis. Is anno **1794** Siciliam petierat, *Livii*, in sermonem Arabicum conversi, maxime visendi causâ, cujus exemplar a *Vellâ* repertum ferebatur. Sed spe frustratus, persuasumque habens, illos quoque codices, quos *Vella* jam ediderat, suppositicios esse, sententiam suam primo regis in Siciliâ vicario, principi Caramanico, deinde, Neapolim reversus, ipsi regi aperuerat. Quae ad confirmandam sententiam suam protulerat argumenta, haec fere sunt: I, sermo Arabicus, in praefatione codicis Martiniani obvius, et ipsa scribendi ratio, quam orthographiam vulgo dicunt, adeo corrupta, ut nequaquam auctoris Arabici esse possint; II, in universo illo codice nihil fere deprehenditur, quod colorem Arabicum prae se ferat; contra quam plurima occurrunt, quae cum Arabum moribus atque institutis minime conveniunt; III, neque desunt, quae cum temporum, quibus codicis illius monimenta exarata feruntur, rationibus pugnent; namque *Constantinopolis* dicitur *Stambul*, quod tamen nomen serius a Turcis profectum est; mentio injicitur

numorum *Gurusch*, *Zeri-mahbub*, qui Arabibus ignoti, apud Turcas demum in usu fuere; IV, quae in codice Martiniano passim occurrunt summorum Pontificum epistolae, nequaquam ab illis conscribi poterant; abhorrent enim toto coelo ab illo scribendi genere, quo temporibus illis Pontifices Romani usu sunt; V, haud aliter etiam de numis Arabicis, in codice illo expressis, statuendum, quos spurios atque suppositicios esse jam ipsae numerorum notae, in iis obviae, arguunt; VI, denique quod ad temporis supputationem adtinet, mirum in modum Syrorum, Arabum et Romanorum menses confunduntur, nullâ discriminis habitâ ratione, quod inter solares lunaresque menses intercedit.

§. XXXII.

His aliisque gravissimis argumentis inductus rex *Hagerum* denuo in Siciliam reverti, remque omnem penitius explorare jussit. Morem regis voluntati gessit *Hagerus*, atque primum *Panormum* venit, codicem Martinianum, Normannicum, numosque Arabicos, in codice Martiniano expressos, exhiberi sibi postulat. Quibus rebus diligenter examinatis, comperit, codicem Martinianum ne verbum quidem eorum, quae typis vulgata fuerant, sed traditiones de *Mohammedis* dictis factisque continere; deditâ autem operâ punctis lineisque mirum in modum corruptum atque deturpatum, ne ejus argumentum facile posset expediri; codicem vero Normannicum ipsius *Vellae* manu chartâ vulgâri Panormitanâ exaratum, iisdemque fere cum Martiniano vitiis obnoxium esse; numos denique Aglabidarum, in codice Martiniano expressos, magnam partem non cusos, sed fusos esse; praeterea et literarum formâ et inscriptionis argumento fraudem prodere. Detectâ in hunc modum impudentissimâ fraude, *Vella*, criminis convictus, omnibus beneficiis, quibus haud modicis fruebatur, exuitur, carcerisque insuper poenâ in quindecim annos damnatur. En sententiae, a supremo in rebus ecclesiasticis judicio in eum latae, exemplum:

Motivum:

„Haud dubitandum censuimus, *Vellam* historiam rerum Siciliensium sub Arabum imperio, si non ex codice Martiniano artificiose corrupto, ex Arabum scripturis plurimis, etsi inscite admixtis, certe hausisse; librum

vero *Concilii Aegyptii* impensis regiis eodem ipso instante excusum, ex aliis Arabicis, aliquâ ex parte depromsisse, non paucis tamen adjectionibus et erroribus depravatum. Quae autographa, quaecunque ea sint, ne proferret, usus est furto commenticio, perjurio confirmato. Cum vero pro exhibitione horum originalium, ad imminuenda fortassis hujusmodi crimina, plures atque plures inducias inaniter jam indulserimus, ad prolationem sententiae duximus deveniendum, et ideo pronunciavimus:"

Jesus.

„Factâ relatione in causis fiscalibus iste *de Vella* detrudatur in castrum Excell. suae benevisum quindecim annis; beneficium *S. Pancratii Pergio*, aliaque ejus bona fisco addicantur, deductis alimentis ducatorum XXXVI annuorum, donec, quantum regii aeris insumtum, restituatur." [29]).

§. XXXIII.

Sed fortasse longius, quam decuit, recensendis, quos secuti sumus, auctoribus, enarrandisque *Vellae* fraudibus inhaesimus; trauseundum jam ad ipsam rerum, ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus gestarum expositionem. In quo quidem negotio ita versabimur, ut, distributâ in *duos libros* universâ materiâ, *primo enarremus, quo tempore, quove modo Arabes Italiam insulasque adjacentes occupaverint, quas illic gesserint res memorabiles, quâ denique ratione inde exturbati fuerint; secundo autem doceamus libro, quaenam terrarum illarum, Arabibus dominantibus, fuerit politia, quantumque populi illius dominatio ad indigenarum linguam, literas, mores, instituta, belli pacisque artes formandas valuerit.*

29) Vide Hageri libellum, sermone Germanico conscriptum: Nachricht von einer merkwürdigen literarischen Betrügerei; auf einer Reise nach Sicilien im Jahre 1794; Eichhornii Comment.: Ueber die neueste Bereicherung der Arabischen Literatur von Sicilien her, in ejusdem auctoris Allgem. Bibliothek der biblischen Literatur, t. IX, p. 143 — 215; nec non Th. Hartmanni Oluf Gerhard Tychsen, oder Wanderungen durch die mannigfaltigsten Gebiete der biblisch-asiatischen Literatur; Beilagen, Nro. II, p. 13 — 242, Geschichte einer literarischen Betrügerei in Sicilien, ans brieflichen Urkunden entwickelt.

Rerum

ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus, Siciliâ maxime, Sardiniâ atque Corsicâ gestarum

Liber Primus.

Cap. I.

Italiae insularumque adjacentium status tempore, quo Arabes terras illas invadere coeperunt.

§. XXXIV.

Etsi *Italia*, si terrae illius situm spectes, a naturâ prae primis ita comparata esse videatur, ut uno atque indiviso imperio contineatur, tamen a longis inde temporibus peninsulam illam in plures partes laceratam, pluribusque dominis subjectam deprehendes. Quae res et internorum dissidiorum bellorumque quam saepissime causa fuit, et externis hostibus invadendae atque opprimendae *Italiae* haud raro viam aperuit. Vergente ad finem seculo octavo, postquam *Carolus Magnus* Langobardorum imperium, devicto eorum rege *Desiderio*, pessum dederat, omnis *Italia* in quatuor potissimum partes divisa erat. Superior *Italiae* pars ad *Francorum* pertinebat imperium; mediam *Pontifices maximi*, *Beneventique duces* tenebant; inferior denique peninsulae pars *Graecorum* subjecta erat dominationi. In eâ *Italiae* parte, quae ad Francorum imperium pertinebat, jam biennio postquam a *Carolo M.* Langobardis erepta fuerat, seditio a regni proceribus excitata fuit. Licet enim ipsi regni proceres haud parum in culpa essent, quod *Desiderius* imperio exutus fuisset, licet *Carolus M.*, ut Langobardorum gratiam sibi conciliaret, praeter nomen regni nil immutasset, tamen, simul atque ex *Italiâ* discesserat, seditionis semina gliscere coeperunt; unde magnae turbae exortae fuissent, nisi *Carolus* ab *Hadriano I*, Pontifice maximo, praemonitus, rem omnem in initio oppressisset. Igitur

anno 776 in *Italiam* reversus est, devictoque Fori Julii duce *Rotgaudo,* qui prae primis seditionem foverat, ceterisque, quae defecerant, civitatibus ad officium reductis, ordinem restituit [30]). Quem ut et in posterum facilius sustentaret, regni Italici instituta immutare statuit. Quare qui hactenus in regno Langobardico locum habuerant ducatus, quorum praefecti haud raro tantum viribus pollebant, ut ipsis regibus timendi essent, in pagos minores discissi sunt, quibus administrandis *Comites* praefecti [31]). Qui ut munere sibi demandato quam religiosissime fungerentur, duumviri, quos *missos dominicos* dixère, per omnes regni provincias constituti fuêre, qui caverent, ne quid a comitibus vel contra regis auctoritatem, vel contra civium jura committeretur [32]). Quae instituta etsi haud parum ad sustentandum ordinem placandosque hominum animos facerent, tamen nonnisi inviti externorum dominationem Itali ferebant. Ea res *Carolum* permovit, ut anno 780 tertium *Italiam* adiret, filiumque *Pipinum* regni Italici vicarium constituoret; sperans fore, ut praesente domino Itali facilius in officio continerentur [33]). Neque ea spes *Carolum* falsum habuit; siquidem per omnem *Italiam superiorem* vix quisquam ausus est, Francorum reniti dominationi. Quin etiam in mediâ *Italiae* parte ipse Pontifex maximus *Caroli* obnoxius fuit potentiae; cui rei, ut cetera taceamus, documento esse possit, quod Leo *III*, cum pontifex creatus esset, legatos ad *Carolum M.* miserit, qui *S. Petri* claves urbisque Romae vexillum regi deferrent, eumque rogarent, ut procerum suorum aliquem Romam legaret, qui fidei obsequiique sacra-

30) Annales ref. Francic. Loiselii in du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 30, ad a. 775, 776; Eginhardi Annal. ad a. 776, du Chesne t. II, p. 239; Annal. Bertin. ad a. 775, 776, du Chesne t. III, p. 155; Annal. Metens. ad a. 776, du Chesne t. III, p. 282.

31) Caroli M. leges, nro. XXXVI, XXXVII, in Canciani collect. legum Barbar. t. I, p. 154.

32) Caroli M. leges, nro. XVIII, in Canciani collect. t. I, p. 150.

33) Eginhardi Annal. ad a. 780, 781, du Chesne t. II, p. 241; Annal. Bertin. ad a. 780, 781, du Chesne t. III, p. 157; Annal. Metens. ad a. 780, 781, du Chesne t. III, p. 283.

mentum a populo Romano acciperet [34]). Unus tamen omnium, qui olim e regno Langobardico pependerant, *Arichis*, Beneventi dux, Francorum nondum sese subjecerat dominationi; contra, quocunque posset modo, provinciam suam alieno immunem imperio retinere nitebatur. Cujus pertinaciam ut frangeret, *Carolus M.* anno 786 quartum in *Italiam* profectus est. Comperto regis adventu, *Arichis Romualdum*, filium suum, Romam misit, donis ut *Carolum M.* mulceret obsequiumque polliceretur. Neque tamen *Carolus* blandis *Romualdi* verbis fidem habuit; sed, hortante maxime pontifice *Hadriano*, cum exercitu Capuam petiit. At vero *Arichis*, sentiens, se tanto hosti nequaquam parem futurum, de pace cum *Carolo* agere coepit; quam quidem eâ conditione obtinuit, ut Beneventum *beneficii* (*feudi*) loco sibi concessum existimaret, septem millia solidorum *Italiae* regibus quotannis penderet, inque promissorum fidem duodecim obsides daret [35]). In hunc modum Francorum dominatio in *Italiâ* fundata fuit atque stabilita; quae etsi aegre ab Italis ferretur, tamen impedivit, quo minus *Italia* barbaris gentibus in praedam cederet. Certe nisi Francorum potentiâ Arabum *Italiam* invadentium impetus fractus fuisset, nullum dubium, quin indefessi illi Christiani nominis hostes omnem peninsulam in suam redegissent potestatem. At vero sicuti Francorum virtus obstitit, quo minus Arabes Hispani Galliam reliquamque Europam inundarent, ita eorundem Francorum operâ cautum fuit, ne Arabes Siculi Afrique *Italiam* expugnarent.

§. XXXV.

Quod ad mediam *Italiae* partem adtinet, Pontifices Romani inde a medio seculo octavo cum Langobardorum regibus acriter de principatu

---

34) Eginhardi Annal. ad a. 796, du Chesne t. II, p. 248; Annal. Loiselii ad a. 796, du Chesne t. II, p. 39; Annal. Bertin. du Chesne t. III, p. 162; Annal. Metens. du Chesne t. III, p. 287.

35) Eginhardi Annal. ad a. 786, du Chesne t. II, p. 244; Annal. Bertin. ad a. 787, du Chesne t. III, p. 159; Annal. Metens. ad a. 787, du Chesne, t. III, p. 284.

contenderunt. Quorum potentiae cum resistere non potuissent, Francorum regem *Pipinum* in auxilium vocaverant, qui, devicto Langobardorum rege, *Aistulpho,* omnes Italiae mediae civitates, quas Langobardi Graecorum imperatoribus eripuerant, *S. Petro,* sive Pontifici Romano, concesserat. Quam concessionem postea *Carolus M.,* sublato Langobardorum constitutoque Francorum in *Italiâ* imperio, confirmavit ampliavitque [36]). Neque tamen illa concessio obstitit, quo minus Pontifices Romani a Francorum imperatoribus penderent, adeo quidem, ut, qui pontifices electi essent, ab imperatoribus

36) De *Pipini Caroli*que M. concessionibus, in gratiam Pontificum Romanorum factis, mirum in modum inter viros doctos ambigitur. Namque primo quaeritur, utrum concessiones illae re verâ locum habuerint; deinde, utrum jure fieri potuerint; denique, quasnam terras urbesque spectaverint? Concessiones illas re verâ locum habuisse, nullis literarum documentis probari potest. Tradit quidem *Anastasius Bibliothecarius,* literas, quae *Pipini Caroli*que continerent concessiones, suo tempore in tabulario pontificali adservatas, et a se inspectas fuisse. At vero literas illas, praeter *Anastasium,* qui Pontificibus Romanis nimium favere solet, nemo unquam vidit; quare haud immerito dubitatur, an ejusmodi literae unquam superfuerint. Sed concedatur, *Pipinum* civitates illas, quas Langobardi Graecis, et vicissim Franci Langobardis eripuerant, Pontifici Romano concessisse: vix tamen quisquam concessionem illam jure factam existimabit. Namque quas Graecis Langobardi, Langobardisque Franci eripuerant civitates, non Pontificibus Romanis, verum imperatoribus Graecis, utpote justis dominis, concedendae erant. Denique haud parum ambigitur, quasnam terras urbesque concessio illa spectaverit. Si *Anastasium* audiamus, *Pipini* concessio nonnisi ad *exarchatûs Ravennatis* urbes agrosque pertinuit; quibus tamen *Leo Marsicanus* et provinciam *Spoletinam, Beneventanam, Venetiam, Istriam Corsicam*que insulam adjicit. Cum nobis omnis illa concessio suspecta videatur, non adtinet disquirere ulterius, ad quasnam ea pertinuerit terras; quare sufficiat monuisse, *Anastasii* magis, quam *Leonis Marsicani* sententiam ad veritatem (si rei illi omnino aliqua inest veritas) accedere. Conf. le Bretii hist. Italiae, lib. I, p. 44, 45.

confirmarentur, horumque legatis, sive *missis dominicis*, si quid ab iis imperaretur, haud secus atque ceteri regni comites ducesque obtemperarent. Eo rerum statu imperatorum erat, Pontifices Romanos, quoticscunque ab hostibus impeterentur, tueri; quod nisi fecissent, *S. Petri* patrimonium, si non aliis gentibus, profecto Arabibus in praedam cessisset.

§. XXXVI.

Haud perinde atque Pontifices Romani Beneventi duces Francorum imperatoribus obnoxii erant. Licet enim, ut supra jam monitum fuit, *Arichis*, Beneventi dux, *Caroli M.* imperio sese subjecisset, tamen mox ad *Constantinum*, Graecorum imperatorem, legatos misit, qui fidem illi obsequiumque pollicerentur, si Neapolim patriciique dignitatem *Arichi* concederc, auxilioque suo illum adversus Francos juvare vellet. Neque *Constantinus* conditionem respuit; verum haud multo post morte praeventus *Arichis* consilium, quod inierat, exsequi non potuit. Felicior patre *Grimoaldus*, *Arichis* filius, in sustentandâ Beneventi a Francorum imperio immunitate. Licet enim *Pipinus* omnes intenderet vires, ut *Grimoaldum* opprimeret, tamen vix quidquam profecit, nisi quod civitatem *Teatinam* cum locis adjacentibus Beneventanis eriperet [37]). Quantum Beneventani tum temporis viribus polluerint, facile inde colligas, quod Francorum potentiae, quae eâ aetate in occidentis oris amplissima fuit, firmiter adeo resistere possent. Insequenti tempore Beneventanorum vires et assiduis, quae cum Neapolitanis gerebant, bellis, et principum suorum, maxime *Sichardi*, nequitiâ, admodum imminutae fuerunt. Sed gravissimam potentiae suae jacturam Beneventani accepêre, ubi, occiso *Sichardo*, Salernitani Campanique a Beneventanis de-

---

37) Quam fortiter *Grimoaldus* adversus Francos pugnaverit, inscriptio, tumulo ejus addita, testatur, cujus haec sunt verba:

Pertulit adversas Francorum saepe phalanges,
Salvavit patriam sed Beuevente tuam.
Sed quid plura feram? Gallorum fortia regna
Non valuêre hujus subdere colla sibi.

Vide Peregrinii Capitular. Arechis Principis, p. 237.

sciscerent, rejectoque *Radelchi*, quem illi principem elegerant, *Siconulpho* rerum summam deferrent. Discisso in hunc modum principatu Beneventano, intèrnisque turbis labefactato, externis hostibus facilis ad terras illas aditus, maxime ubi ab ipsis Beneventi Salernique principibus invitarentur, quod a *Radelchi* atque *Siconulpho* factum, quorum uterque ad opprimendum alterum Arabes in auxilium vocavit [38]).

§. XXXVII.

Haud melior *Italiae* inferioris vicinaeque *Siciliae* conditio. Ex quo tempore Francorum imperium in *Italiâ* invaluit, omnis Graecorum in peninsulâ illâ dominatio ad inferiorem ejus partem, Apuliam maxime atque Calabriam, reducta fuit. Sicuti autem provinciarum illarum, quae ab imperii sede longius distant, ea fere fortuna esse solet, ut ab imperantibus negligantur, praefectorumque arbitrio committantur, ita et cum *Italiâ* inferiori *Siciliâ*que haud aliter actum fuit. Utramque provinciam tum temporis Siciliae praefecti administrabant; qui, cum plerumque patriciorum dignitatem sustinerent, *Siciliae patricii* dicebantur. Horum patriciorum magna potestas, quam non juvandis, verum opprimendis, quibus praeerant, populis exercebant. Cum enim longius ab imperatorum suorum conspectu remoti essent, omnia sibi licere existimabant, dummodo tributum, ex provinciarum reditibus quotannis pendendum, persolverent. Igitur vectigalibus cives obruere, eorumque bona pro libito rapere, nec quidquam pensi habere. Quod si quis de tantis injuriis apud Graecorum imperatores conquereretur, praefectorum largitione facile omnis querela ad irritum redigi potuit. Vel si etiam in praefectos animadvertere vellent imperatores, haud raro evenit, ut illi reniterentur, armisque cum dominis suis decertare auderent [39]).

---

38) Erchemperti hist. Langobard. c. XVI, XVII, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 241; Incerti auctoris hist. rer. a Langob. gestar. Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 266; Annal. Bertin. Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 528.

39) Zonarae Annal. l. XV, c. 10, ex edit. Car. du Fresne, t. II, p. 115; Theophanis Chronograph. ex edit. Franc. Combefis, p. 383, 384.

Neque desunt exempla, ipsos Graecorum imperatores *Siciliam Italiam*que adivisse, vel potius invasisse, haud alio consilio, quam, ut miseris civibus eriperent, quidquid a praefectis suis relictum esset [40]).

§. XXXVIII.

Iisdem injuriis et *Sardinia Corsica*que obnoxiae erant. Utraque insula, antequam Arabibus in praedam cederet, Graecorum imperatoribus subjecta fuit, qui illarum administrationem *Africae exarchis* commiserant. Verum sicuti Siciliae praefecti nonnisi in id incumbebant, ut Siculis Italisque quam maxima vectigalia extorquerent: ita Africae exarchi toti in eo esse videbantur, ut opes suas, exhaustâ Sardiniâ Corsicâque, augerent. Quantis vectigalibus provinciae illae obrutae fuerint, vel inde colligas, quod in insulâ *Corsicâ* inventi sint, qui liberos suos venum darent, ut vectigalium exactoribus satis facere, vitamque aliquo modo sustentare possent. Quae miseria quam plurimos impulit, ut lares suos patriumque solum desererent, inque Italiam confugerent. Eo rerum in *Italiâ inferiori, Siciliâ, Sardiniâ Corsicâ*que statu, haud mireris, Graecorum dominationem terris illis admodum invisam, gravesque subinde exortas fuisse turbas, quibus Graecorum auctoritas magnopere labefactaretur. Quod si internis hisce turbis externi hostes supervenirent, nullum dubium, quin Graecorum in terris illis dominatio pessum abiret. Neque externi defuêre hostes; siquidem fieri non potuit, quin speciosissimae illae atque fertilissimae terrae Arabibus, qui jam Hispaniam occupaverant, omnesque maris mediterranei oras navibus suis lustrabant, salivam moverent.

---

40) Zonarae Annal. XIV, c. 19, t. II, p. 88, 89; Cedreni hist. compend. t. I, p. 436, ex edit. Jac. Goar et Car. A. Fabrotti; Theophanis Chronogr. p. 289, 292.

Cap. II.

Imperator Graecorum, Constans, in Siciliâ occiditur. Mizizius a conjuratis imperator creatur; a Constantino, Constantis filio, debellatur et capite plectitur. Arabes, a Mizizio evocati, Siciliam invadunt. Repetitis Arabum in Siciliam incursionibus, Graecorum imperator insulam illam pacto tributo ab injuriis vindicat.

§. XXXIX.

Medio seculo septimo *Constans, Constantini* imperatoris filius, *Heracliique* nepos, imperii Byzantini sceptra tenebat. Huic viro illarum artium, quibus regna sustentantur atque augentur, nulla fere inerat; contra pravae cupiditates vitiaque quam plurima, in quibus praeprimis crudelitas atque avaritia. Quibus vitiis cum in populi odium incurrisset, ejus autem frater *Theodosius* insigni comitate omnibus acceptissimus esset, invidiâ metuque exagitatus, fratris occidendi consilium iniit. Quo facinore patrato multo magis civibus invisus, neque ulterius tutam sibi sedem Constantinopolim ratus, urbem hanc anno 663 reliquit, Italiam petiturus. Quam in terram postquam advenit, haud meliorem sese gessit, quam Constantinopolitani hactenus eum experti erant. Namque pro more solito, quantum posset, trahere, rapere, nullique vel rei, vel loco parcere. Neque ipsa Roma ab avidis ejus manibus satis tuta fuit. Licet enim *Vitalianus*, Pontifex maximus, populusque Romanus venientem imperatorem honorificentissime excepissent, licet et ipse observantiam suam in principem Apostolorum pallio pretiosissimo, quod illius delubro obtulit, testatus esset: tamen haud sibi temperare potuit, quo minus quam plurima antiquitatis monimenta, aënea maxime, Româ auferret, Syracusasque transportaret; unde postmodum, irreparabili damno, ab Arabibus derepta atque ablata fuere. Jam enim, rejectâ Constantinopoli, Syracusas imperii sedem constituerat, in quam urbem et uxorem liberosque evocavit, quos tamen Byzantini detinuerunt, quo minus imperatoris jussis obtemperarent. Is igitur, Italiâ relictâ, Siciliam petiit, Syracusisque per sex annorum spatium commoratus est; quo tempore non tantum Siciliae, verum etiam Calabriae, Sardiniae Africaeque incolas mirum in modum adflixit. Tanta enim vectigalium atque tributorum onera

illis injunxit, quanta antea vix unquam audita fuerant; quibus ferendis si quis impar esset, uxor, liberi, pignori auferebantur. Quo factum est, ut multi patriae solum desererent, novasque sedes in Arabum terris, maxime Damasci, quaererent. Neque tamen satis habuit, hominum privatorum rem familiarem exhausisse; quinimmo et ecclesiarum thesauros vasaque sacrata haud veritus est diripere. His tantis injuriis ad incitas redacti Siculi, quocunque tandem modo sese expedire statuunt. Factâ igitur conjuratione, imperator Syracusis in balneo, cui *Daphnes* nomen, ab *Andreâ* quodam, *Troili* filio, occiditur, illisâ in caput vehementer situlâ, quâ calida aqua hauriri solebat; id quod evenit anno imperii ejus 27, p. Chr. n. 668 [41]).

§. XL.

Imperatoris *Constantis* caedes novarum rerum in Siciliâ causa fuit. Namque spreto *Constantino*, occisi *Constantis* filio natu maximo, qui jam anno 654 in regni societatem a patre adscitus fuerat, conjurationis principes *Mizizium* quendam, natione Armenium, egregiae formae virum, imperatorem creant. Quo audito *Constantinus*, cui a promissâ barbâ *Pogonati* cognomentum, quam primum in Siciliam trajicere, inque parentis interfectores regnique aemulum vindicare statuit. Igitur collectis per Istriam, Italiam, Sardiniam Africamque copiis, ingenti cum classe anno 669 in Siciliam contendit. Cujus rei nuntium ubi accepit *Mizizius*, sentiens tantis se copiis nequaquam parem futurum, Arabum, Aegyptum tenentium, auxilium implorat. At vero prius quam expetito auxilio juvari potuit, *Constantinus* classem in

---

41) Vide Zonarae Annal. l. XIV, c. 19, t. II, p. 88, 89, ex edit. Car. du Fresne; Cedreni histor. Compend. t. I, p. 436, ex edit. Jac. Goar et Car. Annib. Fabrotti; Theophanis Chronograph. p. 289, 292, ex edit. Franc. Combefis; Pauli Diaconi de gestis Langobardor. l. V, c. 11, in Murat. Script. rer. Ital. t. I, P. I, p. 480; Anastasii Bibliothecarii vita Vitaliani, in Murat. Script. rer. Ital. t. III, P. I, p. 441; Romualdi Salernitani Chronicon, Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 128.

Siciliam adpellit, Syracusis potitur, *Mizizium* ceterosque rerum novarum auctores captos occidit, victorque Constantinopolim revertitur [42]).

§. XLI.

Haud multo post quam Graecorum exercitus Siciliâ excesserat, quinimmo eodem adhuc anno, Arabes a *Mizizio* evocati, imperante *Moawid*, primo ex Omajjidarum gente Chalifâ, duce *Abdullah ben Kais Alfezari* ex Aegypto in Siciliam multis navibus trajecerunt. Qui cum *Mizizium* jam devictum atque occisum audirent, et ultionis exigendae et praedae agendae cupidine inducti, Syracusas adoriuntur, iisque expugnatis magnam incolarum edunt stragem, ingentesque praedas agunt, in quibus etiam pretiosissima illa antiquitatis monimenta, quae, ut supra jam monitum fuit, ab imperatore *Constante* Româ ablata, Syracusasque transportata fuêre. Haud meliorem fortunam alia etiam quam plurima Siciliae oppida pagique experti sunt; quinimmo, si fides epistolae, a monachis *S. Benedicti* Messaniis ad monachos *S. Augustini* Lateranenses datae, praeter Syracusas nonaginta octo Siciliae oppida pagique tum temporis ab Arabibus direpti, igneque ferroque vastati fuêre. His peractis Arabes, amplissimâ hominum aliarumque rerum praedâ onusti, Siciliam reliquerunt, et Alexandriam reversi sunt [43]).

---

42) Zonarae Annal. l. XIV, c. 20, t. II, p. 89; Cedreni hist. Compend. t. I, p. 436; Theophanis Chronograph. p. 292; Pauli Diaconi de gestis Langobard. l. V, c. 12, in Murat. Script. rer. Ital. t. I, P. I, p. 481.

43) Nowairii hist. Siciliae, c. I, in Gregorii collectione; Pauli Diaconi de gestis Langobard. l. V, c. 13, in Murat. Script. rer. Ital. t. I, P. I, p. 481; Jo. Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. Murat. Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 305; Anastasii Bibliothecarii vita Adeodati, Murat. Script. rer. Ital. t. III, P. I, p. 141; Romualdi Salernit. Chron. Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 130; Baronii Annal. eccles. ad a. 669; Mabillon Annal. Bened. l. XV, circa finem; Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne sous la domination des Arabes, t. I, p. 29; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 65.

§. XLII.

Cognitâ jam in hunc modum Arabibus Siciliâ, haud dubitandum erat, eos, ut primum occasio sese obtulisset, denuo venturos, insulamque nobilissimam vel praedaturos, vel, si liceret, in potestatem suam redacturos. Et profecto jam quarto, postquam illa acta fuère, anno (673) rursus ab iisdem hostibus infestata fuit Sicilia. Illo namque anno *Mohammed ben Abdullah* in maris Aegaei insulas et litora multis navibus dum excurrit, pars illarum in Siciliam tendit, praedam et inde actura. Sed melius, ut antea, insulae hujus incolae tum sibi prospexerant. Namque egressis in terram hostibus fortiter restiterunt, eosque denique compulerunt, ut in naves sese reciperent, insulamque, non sine magno detrimento, relinquerent. Credibile est, durante adhuc seculo septimo, plures in Siciliam incursiones ab Arabibus factas; quarum tamen neque orientis, neque occidentis scriptores ullam injiciunt mentionem, usque ad *Jezidi ben Abdullah*, noni ex Omajjidarum gente Chalifae, tempora. Hoc igitur sceptra tenente, *Mohammed ben Abi Edris Alansari* expeditionem in Siciliam suscepit, insulam praedabundus peragravit, multisque spoliis collectis discessit [44]).

§. XLIII.

Haud meliorem fortunam Sicilia et *Heschamo ben Abdulmalek* Chalifâ, *Jezidi* in imperio successore, experta est. Eo namque imperante primum *Baschir ben Safwan Alkalbi*, deinde *Habib ben Abi Obeid* infelicem illam insulam adgressus est, multisque modis adflixit. Quae *Habibo* duce suscepta fuit expeditio magno rerum bellicarum adparatu instructa, et non solum praedae agendae, verum insulae expugnandae atque occupandae causâ instituta fuisse videtur. Namque inter ceteras copias magnum etiam equitum numerum trajecerat *Habibus*, quibus filium suum *Abdurrahmanum*

44) Nowairii Hist. Siciliae, c. 1, in Gregorii collect. *Jezid ben Abdullah* inde ab anno Chr. 720 ad annum 724 usque summae rerum praefuit; unde efficitur, expeditionem memoratam intra illud temporis spatium susceptam fuisse.

praefecit. Is in fugam conjectis, quicunque ausi sunt resistere, ad Syracusarum usque portas progressus est. Et procul dubio urbem illam, quinimmo universam insulam expugnasset, nisi pacto tributo inhonestam pacem Graecorum imperator redemisset [45]). Neque tamen pactum illud Siculos ab Arabum incursionibus diu tutos reddidit. Haud quidem compertum, utrum Graeci promissis non steterint, an Arabes sponte suâ fidem fregerint; id vero constat, eundem *Abdurrahmanum*, qui cum patre *Habibo* Siciliam invaserat, et ad pendendum tributum Graecorum imperatorem coëgerat, anno Hedschrae 130, p. Chr. 747, insulam illam denuo invasisse, praedamque haud exiguam inde reportasse. Ab hoc tempore Sicilia ab Arabum incursionibus aliquamdiu libera fuit. Namque brevi post Abbasidae contra Omajjidas insurrexerunt, eosque imperio deturbarunt; quam regiminis mutationem turbae frequentes secutae sunt, ita quidem, ut rerum internarum curâ Arabes ab incursionibus in exteras terras avocarentur. Interea Siculi, quae hostilibus incursionibus passi erant, damna resarcire, oppida munire,

45) Nowairii Hist. Siciliae, l. c. Ebn Khaldoun histoire de l'Afrique, p. 9, 10 text. Arab. — *Hescham ben Abdulmalek*, decimus ex Omajjidarum gente Chalifa, ab anno Chr. 724 ad annum 743 usque sceptra tenuit. Quare prior illa, quae *Baschiro* duce in Siciliam facta fuit, incursio, non, ut *Rampoldi* contendit, anno 721, verum post annum 724 evenit. Alteram, quae *Habibo* duce suscepta fuit, incursionem *Nowairius* et Ebn Chaldun ad annum Hedschrae 122, p. Chr. 739, referunt. Neque tamen haec computatio congruit cum calculo, qui in *Leonis III*, Pontificis maximi, epistolâ ad *Carolum Magnum* habetur. Namque in epistolâ hac, anno 813 conscriptâ, ab illo tempore, quo primum Siculi cum Arabibus pactum inierunt, anni numerantur quinque et octoginta. Ea autem pactio haud diversa fuisse videtur ab illâ, quam cum *Habibo* Siculi inierunt. Jam vero, si ab anno 813 per quinque et octoginta annos recedas, ad annum 728 pervenies; quem in annum, si calculum hunc sequaris, etiam *Habibi* in Siciliam expeditio referenda erit. Vide Leonis III ad Carolum imperatorem epistolam, a. 813 datam, in Codice Carol. t. II, p. 73, 77. Conf. Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. I, p. 201, 202.

arces castellaque exstruere, neque quidquam praetermittere, quod contra repetitos hostium incursus praesidio esse posset. Neque tamen omni hocce conatu impediri poterat, quo minus Arabes seculo insequenti Siciliâ potirentur [46]).

Cap. III.

Arabes Sardiniam occupant, unde tamen haud multo post exturbantur. Iteratae Arabum in Sardiniam Corsicamque incursiones; quibus arcendis Corsi Caroli Magni auxilium implorant. Arabes a Sardis primum, dein a Burchardo caeduntur; Sardiniam Corsicamque denuo infestant; naufragium faciunt; ab Hermingardo profligantur. Bonifacius II. Africam invadit, Arabesque illic caedit.

§. XLIV.

Ex quo tempore Arabum classes maris mediterranei aequora percurrebant, fieri haud potuit, quin bellicosissimi illi homines et magnam illam atque fecundissimam insulam *Sardiniam* peterent, eamque more suo vel praedari, vel in potestatem suam redigere conarentur. Quo tempore *Sardinia* ab Arabibus primum impugnata fuerit, auctores Christiani non memorant; quodsi Arabes audiamus, jam anno 712 ***Musa ben Nasir,*** Africae praetor, copiarum suarum partem, quae insulam illam invaderet, trajecit. In eâ incursione ingentem praedam Arabes fecisse dicuntur. Refert *Nowairius*, *Sardiniae* incolas, ingruentibus Arabibus, thesaurorum suorum partem in aquas demersisse, partem vero sub basilicae tecto condidisse, sed utramque fortuito detectam fuisse. Namque militem lavantem vas argenteum in aquarum fundo pede offendisse; quod simul atque innotuerit, omnes lacus, aliaque aquarum receptacula pervestigata, magnamque auri atque argenti vim repertam fuisse. Consimili casu etiam thesauros, qui basilicae sub tecto conditi essent, detectos fuisse. Intrasse nempe Arabem in basilicam, ibique columbam ultro citroque volitantem vidisse. Adrepto arcu hominem illum sagittâ columbam petiisse, neque tamen columbam, verum basilicae lacunar feriise, validoque sagittae ictu assem inde

46) Nowairii Hist. Siciliae, l. c.

dejecisse, quam delabentem torques aureus secutus sit. Eâ re visâ Arabes in basilicae lacunar escendisse, pretiosissimasque illic res invenisse. Cujus narrationis etsi vix omnia fide digna videantur, tamen haud dubitandum, Arabes in opulentissimae insulae invasione ingenti praedâ potitos fuisse. At vero non diu praedâ illâ fruiti sunt; namque ubi in patriam revertuntur, obortâ tempestate, omnes cum thesauris suis fluctibus obruti atque submersi sunt; ita ut, ex *Nowairii* sententiâ, adprime illis conveniret, quod de *Pharaone* Aegyptiisque in *Corano* dicitur: „*Submersit eos Deus, perdiditque in fluctibus maris*" [47]). Utrum haec Sardiniae expugnatio desultoria tantum fuerit, an jam tum temporis Arabes in insulâ illâ pedem fixerint, haud ausim adfirmare; id certe constat, decennio post, circa annum 722 p. Chr., vel universam insulam, vel aliquam saltem ejus partem in Arabum potestate fuisse. Id quod adparet ex iis, quae ab auctoribus antiquis de *S. Augustini*, episcopi Hipponensis, reliquiis, tum temporis ex Sardiniâ Ticinum translatis, narrantur. Tradunt enim, *Luitprandum*, Langobardorum regem, cum audivisset Sardiniam ab Arabibus occupatam vastari, locaque sacra spoliari atque foedari, misisse, qui *S. Augustini* reliquias, in urbe Caralitanâ conditas, aere soluto a Christiani nominis hostibus redimerent, Ticinumque perferrent. Redemta igitur magno pretio magni illius viri ossa, Ticinique, in basilicâ *S. Petri in coelo aureo*, reposita fuisse [48]).

---

47) D'Herbelot ad vocem Sardiniah; Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. I, p. 101, 102; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 69. — In definiendo tempore, quo *Musae* sub auspiciis Arabes Sardiniam invasêre, auctores laudati non consentiunt. Ex *Herbelotii* sententiâ Sardinia anno Heg. 92, p. Chr. 710, ab Arabibus expugnata fuit; si *Cardonnium* audiamus, ea expeditio anno demum 97 (715) evenit. Medium inter utrumque tenet *Reinaud*, quippe qui incursionem illam ad annum 712 refert; quem recentissimum atque diligentissimum harum rerum scrutatorem nos quoque secuti sumus.

48) Pauli Diaconi de gestis Langobardor. l. VI, c. 48, in Murat. Script. Rer. Ital. t. I, P. I, p. 506; Romualdi Salernit. Chron. Murat. Script. rer. Ital. t. VII, p. 137; Andr. Danduli Chron. Venet. l. VII, c. 2,

Quae translatio reliquiarum *S. Augustini* utrum re verâ locum habuerit, an minus, non adtinet inpraesentiarum disquirere; sufficit nobis, ex narratione illâ collegisse, jam *Luitprandi* regis temporibus Sardiniam, vel certe aliquam illius insulae partem in Arabum potestate fuisse.

§. XLV.

Neque tamen quam *Luitprandi* aetate Arabes in Sardiniam consecuti erant potestatem diu videntur retinuisse. Namque temporibus insequentibus, maxime prioribus seculi noni annis, crebris denuo incursionibus insulam illam infestabant; unde adparet, eos tum temporis ex ejusdem possessione exturbatos fuisse. Credibile est, Sardos, qui jam ab antiquissimis temporibus virtutis bellicae laude florebant, juncto cum vicinis Corsis Graecorumque militibus praesidiariis Marte, Arabes Sardiniam tenentes in dies adtrivisse, tandemque prorsus ex insulâ suâ exterminasse. Sunt, qui tradant, Langobardorum regem, *Luitprandum*, paucis annis post quam *S. Augustini* reliquias ab Arabibus aere redemisset, Sardis adversus eosdem dimicantibus suppetias tulisse, ejusque ope Arabes anno 739 ex Sardiniâ cjectos fuisse [49]). Cui quidem sententiae libenter accederemus, nisi certa ejus rei apud auctores antiquos desideraremus testimonia.

Murat. Script. rer. Ital. t. XII, p. 133, 134. — „Quod ad tempus adtinet, quo *S. Augustini* reliquiae ex Sardiniâ Ticinum translatae fuêre, in diversissimas partes scriptorum discedunt sententiae. *Hermannus Contractus* in Chronicis suis translationem illam ad annum 722 refert, quam sententiam et *Mabillon* in Act. SS. Ord. Bened., nec non in Annalib. Bened., *Muratori* in Annalib. Italiae, et *Fontanini* in disquisit. de corpore *S. Augustini*, amplexati sunt. *Sigebertus* in Chronicis annum 721 profitetur, cui adstipulatur *Montfaucon* in Diario Italico. *Marianus Scotus* in Chronicis anno 724, *Baronius* in Annalib. eccles. a. 725 rem illam transactam fuisse contendit. Nos cum *Mabillonio* et *Muratorio Hermannum Contractum* secuti sumus, qui diligenti temporum notatione prae ceteris suae aetatis scriptoribus sese commendat.

49) Mimaut histoire de Sardaigne, tom. I, c. XXII, p. 80.

§. XLVI.

Crescente in dies Arabum in mari mediterraneo potentiâ, fieri haud potuit, quin repetitis vicibus *Sardiniam Corsicam*que (quibus insulis propter viciniam eadem fere fortuna) invaderent, suamque in ditionem redigere conarentur. Jam biennio ante quam *Sardinia* primum ab Arabibus impugnata fuit, circa annum **710**, *Corsica* ab iisdem vastata fuisse traditur. Maxime autem ineunte seculo nono, sicuti jam monitum fuit, utraque insula, vel simul, vel alternis vicibus, Arabum Hispanorum afflictata fuit incursionibus. Anno quippe **806** *Corsica* invaditur atque vastatur; cujus incolae cum se hostibus nequaquam pares viderent, ad *Carolum Magnum* ejusque filium *Pipinum* legatos, auxilium qui peterent, mittunt. Neque auxilium expetitum denegat imperator; mittuntur contra Arabes copiae navales, quarum tamen de adventu simul atque certiores facti sunt hostes, insulam deserunt impunes, immo caeso etiam *Ademaro*, civitatis Genuensis comite, qui imprudentius illos adortus erat [50]). Minus prospere sequenti anno, **807**, Arabibus res in *Sardiniâ Corsicâ*que cessère. Hoc namque anno imperator *Carolus Burchardum*, stabuli sui Comitem (Connetable), cum classe in *Corsicam* miserat, ut insulam hancce ab imminenti Arabum populatione defenderet. Neque hi a solitis cessarunt incursionibus, *Sardiniam*que primum adgressi sunt. At vero Sardi, explorato hostium adventu, et praeparatis, quae ad excipiendos illos necessaria visa sunt, intrepide obviam illis eunt, consertisque manibus tantam cladem inferunt, ut ad tria millia hostium eo certamine occubnisse dicantur. Hac clade acceptâ, Arabes naves solvunt inque *Corsicam* tendunt, ut praedis inde agendis damnum sibi illatum aliquo modo resarcirent. Verum et illic admodum infeliciter rem gesserunt. Namque a *Burchardo*, qui eos cum classe suâ praestolabatur, pugnâ navali superati, tredecim naves, magnamque hominum vim amiserunt. Igitur spe

---

50) Annal. rer. Francic. Loiselii, in du Chesne hist. Franc. scriptt. t. II, p. **44**; Eginhardi Annal. regg. Franc., du Chesne t. II, p. **253**; Annal. Franc. Fuldenses, du Chesne t. II, p. **540**; Annal. Bertiniani, du Chesne t. III, p. **167**; Annales Metenses, du Chesne t. III, p. **292**; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. **121**.

suâ frustrati, magnâque et hominum et navium jacturâ mulctati, in Hispaniam, unde profecti erant, revertuntur [51]).

§. XLVII.

His damnis acceptis putares Arabes saltem per aliquot annorum spatium *Sardiniâ Corsicâ*que abstinuisse; verum homines, quietis impatientissimi, simul atque intellexerunt, utramque insulam imperatoris auxiliis destitutam esse, instructâ classe denuo eo reversi sunt. Anno igitur **809** in *Corsicam* adpellunt, ipsoque paschatis festo urbem quandam, cujus nomen ab auctoribus antiquis non memoratur, expugnant, cunctaque, quae alicui usui esse poterant, rapiunt, praeter senes morboque laborantes nil reliquum facientes. Qui factum fuerit, quod unius urbis expugnationi tum temporis acquiescerent Arabes, nusquam traditum; fortasse gravioribus coeptis alio avocabantur, vel non tantâ navium hominumque copiâ instructi erant, quanta rebus majoribus gerendis par esset. Utcunque ea res sese habuerit, certe insequenti anno, **810**, multo majori adparatu bellico ex Hispaniâ proficiscuntur, et primo *Sardiniam*, deinde *Corsicam* invadunt, insulamque hanc, omni praesidio destitutam, universam fere in suam redigunt potestatem [52]).

§. XLVIII.

Haud multo post, anno videlicet **812**, gravi nuntio Italia concussa fuit. Ferebatur enim, Arabes Hispaniam Africamque incolentes consociatis viribus ingentem classem adornasse, eâque Italiam brevi invasuros. Quae

---

51) Annal. rer. Franc. Loiselii, in du Chesne hist. Franc. scriptt. t. II, p. **44**, **45**; Eginhardi Annal. du Chesne t. II, p. **254**; Annal. Fuldens. du Chesne t. II, p. **540**; Annal. Bertin. du Chesne, t. III, p. **167**, **168**; Annal. Metens. du Chesne t. III, p. **293**; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. **122**.

52) Annal. Loiselii, du Chesne t. II, p. **46**, **47**; Eginhardi Annal. du Chesne t. II, p. **255**, **256**; Annal. Bertin. du Chesne t. III, p. **169**; Annal. Metens. du Chesne t. III, p. **294**; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, l. c.

fama *Aquisgranum* ad imperatorem *Carolum* eo ipso tempore perlata fuit, quo is *Bernardum, Pipini* jam defuncti filium, Italiae regem designaverat. Quapropter imperator absque morâ *Bernardum* in Italiam misit, ut, si opus esset, eam contra Arabum incursus defenderet; addito consiliorum rerumque gerendarum socio, *Wallone, Caroli Martelli* nepote. Neque tamen Arabum classis in Italiam delata fuit; pars navium in *Corsicam* adpulit, aliae *Sardiniam* petière. Fortasse navium ducibus propositum erat, ex utrâque primum insulâ praedas agere, deinde in eundem finem et in Italiae oras excurrere. Quod tamen consilium casu adverso ad irritum redactum fuit. Namque ea pars navium, quae *Sardiniam* petierat, gravi exortâ tempestate, tota paene fracta atque submersa est [53]). Quo infortunio etsi vehementer attritae fuerint maritimae Arabum opes, tamen haud sibi temperare potuerunt, quo minus anno sequenti, 813, denuo *Corsicam* invaderent atque diriperent. Verum haec quoque expeditio male illis cessit. Namque ubi onustis praedâ navibus in Hispaniam revertuntur, ab *Hermingardo*, Comite Emporitano, qui ad insulam *Balearem majorem* insidias collocaverat, impetuntur, acrique commisso certamine, vincuntur, amissis VIII navibus, in quibus, praeter reliquarum rerum amplissimam praedam, ultra quingentos Corsos captivos invenêre victores. Quam jacturam ut resarcirent Arabes, eodem anno *Centumcellas* (*Cività vecchia*) *Nicaeam*que (*Nizza*) invaserunt vastaruntque; quinimmo et in *Sardiniam* impetum dederunt; verum a Sardis fortiter excepti pulsique, magno hominum numero perdito, se receperunt [54]).

§. XLIX.

Etsi vero Sardi egregiam de Arabibus victoriam reportassent, haud tamen ignorabant, se suo Marte indefessis illis hostibus nequaquam diu

53) Annal. Loiselii, du Chesne t. II, p. 48; Eginhardi Annal. du Chesne t. II, p. 258; Annal. Bertin. du Chesne t. III, p. 171; Annal. Metens. du Chesne t. III, p. 296.

54) Annal. Loiselii, du Chesne t. II, p. 49; Eginhardi Annal. du Chesne t. II, p. 258; Annal. Bertin. du Chesne t. III, p. 172; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 122. 123.

restituros. At vero a Graecorum imperatoribus, quorum imperio Sardi hactenus paruerant, vix quidquam auxilii exspectandum erat. Igitur anno 815 ad *Ludovicum Pium*, occidentis imperatorem, legatos mittunt, qui *Sardiniae* dominationem illi offerrent, auxiliumque contra Arabum incursiones peterent. Accepit conditionem *Ludovicus*, sed intestinis turbis, maxime quas *Bernardus*, imperatoris ex fratre nepos, excitaverat, detentus, nil contra Arabes moliri potuit. Quo factum est, ut horum audacia magis in dies cresceret, ita ut maris mediterranei litora adsidue infestarent, plurimumque detrimenti commercio maritimo adferrent. Cui rei documento esse possit, quod anno 820 jussu *Abdurrahmani*, regis *Alhakemi* filii, Arabum Hispanorum classis, Tarragonâ solvens, *Sardiniam* invaderet. Cui quidem classi haud spernendae Christianorum copiae obviam iverunt, quae tamen adeo infeliciter rem gesserunt, ut omnes fere naves suas amitterent, quarum maxima pars incendio deleta, reliquae ab Arabibus interceptae, direptae atque submersae fuerunt [55]). Quibus malis ut tandem aliquando occurretur, *Ludovicus Bonifacio II*, Lucae comiti, mandavit, ut *Sardiniam Corsicam*que contra Arabum injurias tueretur. Igitur *Bonifacius*, instructis navibus adscitoque sibi fratre *Berethario* nonnullisque aliis Etruriae comitibus, anno 828 *Sardiniam Corsicam*que petit. Sed cum nullum hostem in insularum illarum viciniâ inveniret, ne incassum expeditionem eam suscepisset, in Africam trajicere, Arabesque in ipsorum finibus lacessere statuit. Quo cum pervenisset, navesque inter Uticam Carthaginemque adpulisset, ingentem Afrorum multitudinem, quae patriam terram a Christianorum incursione defenderet, offendit. Cum quâ hominum turbâ pluribus vicibus congressus, superior semper discessit, magnamque hostium stragem edidit. Verum cum et suorum haud paucos *Bonifacius* amisisset, neque omnino exiguus copiarum suarum numerus tantae Afrorum multitudini par esse videretur, conscensis navibus in Italiam reversus est. Quae *Bonifacii* in

55) Eginhardi Annal. du Chesne, t. II, p. 264; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. I, P. II, cap. 37, p. 255; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 129.

Africam expeditio, quamvis parum emolumenti Christianis adtulerit, tamen haud levem Arabibus terrorem injecit, eosque commonuit, illatas toties Christianis injurias ab his sibi posse rependi [56]).

56) Eginhardi Annal. du Chesne t. II, p. 272. — Haud praetercundum nobis hoc loco, quod *Philippini* in historiâ Corsicae, ex *Joannis de Grossa* annalibus Corsicis, de Arabum rebus in insulâ illâ gestis tradit. Ex auctorum illorum sententiâ jam ad *Caroli Magni* usque tempora quinque reges Arabes Corsicam tenuerunt, quorum nomina *Lanza Ancisa, Musy, Ferandino, Scalabro* et *Nugulone.* Qui cum per centum sexaginta sex annos continuâ successione in insulâ illâ dominati essent, postremus eorum *Nugulone*, *Caroli M.* aequalis, ab *Hugone de Colonna* debellatus regnoque exturbatus fuit. Ea autem res in hunc modum gesta fertur. Exarserat inter *Leonem III*, pontificem summum, populumque Romanum gravis contentio, quae, defuncto *Leone,* in ejus successorem, *Stephanum IV,* transiit. In eâ contentione populi causam prae ceteris comes *Hugo de Colonna* tuitus est. Qui cum multa in *Stephanum* hostilia commisisset, tandem *Caroli M.*, qui pontifici summo favebat, iram timens, ad officium rediit, veniamque factorum eâ conditione impetravit, ut *Corsicam* Christiani nominis hostibus eriperet. Igitur *Hugo* cum mille peditibus ducentisque equitibus in *Corsicam* trajecit, adpulsisque noctu prope *Aleriam* navibus, summo mane urbem illam ex improviso adortus est expugnavitque. Quod ubi *Nuguloni*, qui *Corti* degebat, nuntiatum est, contractis copiis *Aleriam* petiit. Neque tamen prosperâ usus est fortunâ; namque acri commisso proelio a Romanis fusus atque fugatus fuit. Quâ clade acceptâ *Nugulone Cortum Candabori*, nepoti suo, commisit, in castellum *Cordovellam* sese recipiens; unde legatos in Africam, maxime ad Tuneti principem, auxilium qui peterent, dimisit. Interea *Hugo Cortum* obsidione clausit, eamque urbem, postquam in octavum mensem obsedisset, impetu facto, occisoque *Candabore*, in potestatem suam redegit. Expugnato *Corto Hugo Marianam* petiit, cui *Mazzapus* praeerat. Quam urbem cum Romani itidem obsiderent, *Mazzapus* fortissimos quosque provocavit, ut singulari certamine secum congrederentur. Eam provocationem inter ceteros *Blancus*, *Hugonis* filius, accepit, congressusque cum *Mazzapo* victum vulne-

Cap. IV.

Elpidius, Siciliae praefecturâ exturbatus, Arabes Afros in auxilium vocat. Sicilia ab Arabibus invaditur, Panormus diripitur. Arabes ab Euphemio ad occupandam Siciliam invitantur; Syracusas obsident, Agrigentum capiunt, Graecorum exercitum ad Ennam fundunt, Messanam Panormumque occupant. Mohammed ben Abdallah Siciliae praefectus constituitur.

§. L.

Eodem fere tempore, quo comes *Bonifacius* arma intulit Africae, Arabibus invadendae *Siciliae* occasio oblata fuit, quâ illi ita usi sunt, ut

---

ratumque dimisit. Quae res *Mazzapum* permovit, ut urbem dederet, et Christianorum sacra amplecteretur; cujus exemplum maxima oppidanorum pars secuta est. Inde exercitum ad *Nebbium Hugo* promovit. Quod oppidum cum per trium mensium spatium obsedisset, Tuneti princeps *Nuguloni* duo millia peditum, equitumque haud exiguum numerum suppetias misit. Quibus auxiliis auctus *Nugulonis* exercitus ad sex millia peditum equitesque quingentos increvit. Tantis copiis *Hugo* vix potuisset resistere, nisi pontifex maximus, *Paschalis I*, comitem quendam de *Barcinone*, qui voti persolvendi causâ Romam venerat, cum septingentis peditibus in auxilium Romanis misisset. Consociatis igitur cum comite de *Barcinone* armis, *Hugo* Afrorum primum naves, quae *Nuguloni* suppetias venerant, adortus est expugnavitque, deinde *Nuguloni* ipsi obviam ivit, cumque, a maximâ suorum parte desertum, in fugam conjecit. *Nugulone* ubi videt, se rem suam vix sustentaturum, collectis sarcinis suis, direptâque atque incensâ *Cordovellâ*, quo se receperat, in Africam trajecit. Haud multo post et *Licane*, qui *Nebbio* praeerat, urbis illius deditionem fecit, dominumque suum *Nugulonem* in Africam secutus est. Ereptâ in hunc modum Arabibus *Corsicâ*, *Hugo* magnam insulae illius partem inter filios suos *Blancum* atque *Cinarchum*, ceterosque, quorum operâ in eâ expeditione usus fuerat, divisit. Deinde Romam petiit, ut pontifici summo pro auxilio sibi praestito grates referret. Honorifice victorem *Paschalis* excepit, *Corsicam*que expugnatam possidendam illi adsignavit, eâ tamen conditione, ut supremum insulae

haud prius destiterint insulam illam impugnare, quam universam in suam redegissent potestatem. Eam autem occasionem turbae praebuêre, quas

illius dominium ad summos pontifices pertineret. — Haec *Philippini* in historiâ Corsicae l. III, p. 47, sequ. de Arabum rebus in insulâ illâ gestis refert. At vero ea relatio, quamvis et a recentioribus quibusdam admittatur, parum probabilis nobis videtur. Namque, ut nomina regum illorum taceamus, quae, si unum excipias, nequaquam ad linguam Arabicam pertinent, mirum profecto videtur, nullum illius aevi auctorem regum illorum ullam injicere mentionem. Contra *Eginhardus* aliique tradunt, *Corsicam* illis temporibus saepissime ab Arabibus lacessitam atque direptam fuisse; unde conjicias, insulam eam tum temporis nondum in Arabum fuisse potestate. Accedit, quod in eâ narratione nonnulla manifesto falsa, alia minus verisimilia contineantur. Traditur enim, *Hugonem*, quod *Caroli M.* iram timeret, *Stephano IV*, pontifici summo, sese subjecisse, cum tamen *Stephano IV* pontifice *Carolus M.* jam e vitâ excessisset. Neque facile quis crediderit, *Mazzapum*, singulari certamine a *Blanco* devictum, unâ cum *Marianae* incolis, rejectis *Mohammedis* placitis, Christianorum sacra amplexum fuisse. His atque similibus rationibus inducimur, ut omnem illam narrationem respuamus, fictamque in eum finem credamus, ut pontificibus Romanis summum in *Corsicam* imperium vindicari posset. Notissimum est, simili fere commento et *Sardiniae* dominationem pontificibus summis a nonnullis vindicari. Tradunt enim, insulam illam a *Carolo M.*, anno 774, *Hadriano I*, pontifici summo, donatam, eamque donationem postea a *Ludovico Pio*, anno 817, confirmatam fuisse. At vero ejus donationis neque ullum, cui confidi possit, habetur testimonium, neque omnino liquet, quâ ratione *Sardinia* vel a *Carolo M.*, vel a *Ludovico Pio* pontificibus Romanis donari potuerit. Namque *Carolo M.* sceptra tenente *Sardinia* imperatorum Graecorum subjecta fuit imperio; nequaquam igitur a *Carolo M. Hadriano I* dono potuit dari. Ad *Ludovicum* quod adtinet, jam superius memoratum fuit, Sardos, ab Arabibus adflictos, insulae suae dominationem anno 815 imperatori illi obtulisse eâ conditione, ut se suaque ab Arabum incursionibus defenderet. Quam conditionem cum *Ludovicus* accepisset, vix probabile videtur,

imperante *Michaële Balbo Euphemius* quidam in *Siciliâ* excitaverat. Sed ne quid praetermittere videamur, paulo altius res repetenda. Crescente in dies imperii Byzantini impotentiâ, *Siciliae* praefecti pro arbitrio suo provinciam illam administrabant, imperatorum, quibus dignitatem suam acceptam referebant, auctoritatem parum curantes. Quodsi ab imperatoribus compellarentur, haud raro obsequium recusabant, seque remque suam armis tueri conabantur. Si vincerentur, in Africam trajiciebant, Arabumque tutelae se committebant. Factum est id, ut cetera taceam, *Irene* imperii Byzantini sceptra tenente; quo tempore, c. a. 781, *Elpidius Siciliae* praeerat. Hunc, quod defuncti imperatoris, *Leonis III*, fratribus, regnum adfectantibus, favere putabatur, *Irene*, misso in *Siciliam Theophilo*, Spathario, dignitate privari et Constantinopolim deduci jussit. At vero Siculi ab *Elpidii* partibus stabant, negabantque se illumádituros. Quâ re permota imperatrix *Theodorum*, patricium, haud exiguâ cum classe in *Siciliam* misit, qui *Elpidio* bellum inferret. Pugnatum est utrinque magnâ cum contentione, tandemque victoria in *Theodori* partes inclinavit. Quod ubi videt *Elpidius*, collectis, quas acquisiverat, opibus, in Africam trajicit, seque suaque Arabum tutelae commendat. A quibus non tantum benignissime exceptus, verum etiam imperator designatus coronâque donatus est [57]).

---

eum biennio post, a. 817, *Sardiniam Paschali I*, pontifici summo, dono dedisse. Neque adparet, quam utilitatem ex eâ donatione pontifices Romani capere potuissent, quippe qui iis destituti essent viribus, quae ad defendendam ab Arabibus *Sardiniam* necessariae esse videbantur. — Verum ne longius exspatiemur, lectorem ad librum remittimus, qui inscribitur: *Giustificazione della rivoluzione di Corsica combattuta dalle riflessioni d'un Genovese, e difesa dall' osservazioni d'un Corso;* cujus libri auctor omnem illam de *Hugonis Colonnae* rebus, contra Arabes gestis, narrationem idoneis, ut nobis videtur, argumentis refutavit. De *Sardiniâ*, a *Carolo M.*, ut ferunt, et *Ludovico Pio* pontificibus Romanis concessâ, conferendus inter ceteros *Mimaut* in historiâ Sardiniae, t. I, c. XXIII, p. 87 — 92.

57) Zonarae Annal. l. XV, c. 10, edit. Car. du Fresne t. II, p. 115; Theophanis Chronograph. ex edit. Franc. Combefis p. 383, 384.

§. LI.

Neque tamen tum temporis *Siciliae*, a Graecorum copiis occupatae, arma Arabes intulerunt. Commodius visum fuit, imperii Byzantini provincias orientales, praesidiis idoneis destitutas, invadere. Quod et tanto successu factum, ut pacto tributo pacem redimere *Irene* cogeretur. Verum haud longum per tempus a *Siciliâ* animum averterant Arabes. Namque *Michaële* sceptra tenente, turbatis admodum imperii Byzantini rebus, magnam classem ab Africâ solverunt, *Siciliam* adgressuri. Quod ubi imperator rescivit, *Gregorium*, patricium, cum copiis navalibus obviam hostibus ire jussit. Qui dum Neapolitanorum, Cajetanorum Amalfitanorumque auxilia exspectat, Arabes insulam *Lampadusam* diripiunt, navesque VII Graecorum intercipiunt, quae, ut hostium statum motusque explorarent, emissae erant. Mox vero *Gregorius*, contractis auxiliis, cum hostium aliquâ parte congreditur, eamque paene ad internecionem caedit. Altera classis hostilis pars, navium quadraginta, ad *Neapolis* oras usque provecta, insulasque e regione positas depraedata est. His incursionibus finis tandem impositus pace, quam in decem annorum spatium cum Arabibus *Gregorius* composuit; quae tamen pax ad solos Afros, quibuscum inita est, pertinuit; Hispanis Arabibus eâ nequaquam obstrictis [58]). Verum neque ipsi Afri pacem illam inviolatam servarunt; namque nondum exacto decem annorum spatio, anno videlicet 820, consociato cum Arabibus Asiaticis Marte, *Siciliam* invadunt, *Panormum*que expugnant atque diripiunt [59]).

§. LII.

Hactenus haud contigerat Arabibus, ut sedem in *Sicilia* figerent; jam vero instabat tempus, quo nobilis illa insula in eorum potestatem

58) Leonis III, pontificis summi, ad Carolum imperatorem epist. II, III, in cod. Carol. ex edit. Cajet. Cennii, t. II, p. 72 — 80.

59) Erchemperti hist. Langobardor. c. XI, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. I, p. 240; Leonis Marsicani Chron. Cassin. I. I, c. 21, Murat. Script. rer. Ital. t. IV, p. 296.

cessura erat. Occasionem, ut jam supra monitum fuit, turbae dedêre, quas *Euphemius* in Siciliâ excitaverat. In quâ re enarrandâ in diversas partes abeunt orientis occidentisque auctores. Tradunt Byzantini [60]), *Euphemium*, cohortis cujusdam praefectum, virginis, quae a tenerâ aetate vitae monachicae sese dediderat, amore correptum, ex coenobio eandem rapuisse, domique suae retinuisse. Quod ubi puellae fratres resciscunt, imperatorem *Michaëlem*, cui *Balbi* cognomentum, adeunt, tanti facinoris vindictam postulantes. Imperator *Siciliae* praefecto mandat, in rem ut inquirat, et, si vera puellae fratres retulissent, facinoris auctori nasum amputari curet. Verum *Euphemius*, delicti poenam timens, milites, quibus praeerat, aliarumque cohortium praefectos in suas partes trahit, *Siciliae*que praefectum, supplicium de se sumere volentem, forti manu repellit. Cum autem sentiret, se Graecorum vim vix diu sustenturum, ad Africae principem confugit, eidemque pollicetur, si imperator Graecorum renuntiaretur, sese *Siciliam* Arabibus traditurum, grandeque tributum pensurum. — Aliter scriptores Latini rem actam esse ferunt. Si *Anonymum Salernitanum* audiamus [61]), *Euphemius* injuriam non fecit, sed passus est. Huic namque egregiae formae puella, cui *Homonizae* nomen, desponsata erat, quae etiam ab alio quopiam viro perdite amabatur. Is *Siciliae* praefectum pecuniâ corrupit, ut sponsam *Euphemio* eriperet sibique traderet. Quod ubi factum *Euphemio*que nuntiatum est, in haec verba erupisse dicitur: „*Ah, sponsam, quae mihi carissima fuit, contaminastis; sed peream, nisi brevi quam plurimorum contaminentur sponsae uxoresque.*" Mox navem cum servis conscendit inque Africam trajecit. Eo cum pervenisset, Arabum regem adiit, eique promisit, si, quantas par esset, copias sibi committere vellet, se omnem *Siciliam* in ipsius potestatem redacturum. — *Joannes Diaconus* [62]) non *Euphemium*, sed

---

60) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 512; Zonarae Annal. l. XV, c. 24, t. II, p. 140, 141.

61) Anonymi Salernitani Paralipomenon c. 45, in Murat. Script. rer. Ital. t. II, P. II, p. 208.

62) Joannis Diaconi Chronicon episcopor. Neapolit. in Murat. Script. rer. Ital. t. I, P. II, p. 313.

Euthymium dicit, cujus impulsu Arabes *Siciliam* invaserunt. Hoc duce, sicuti idem auctor tradit, statim post *Leonis* imperatoris caedem Syracusani rebellantes *Gregoram*, patricium, interfecerunt. Quam ob rem imperator recens creatus, *Michaël*, exercitum in *Siciliam* trajecit, cujus operâ Syracusani debellati et ad officium reducti sunt. Sed seditionis dux, *Euthymius*, cum uxore filiisque in Africam confugit, ejusque terrae principem ad invadendam *Siciliam* sollicitavit. — *Nowairio* denique atque *Ebn Chaldun* auctoribus [63]) *Fimi*, qui idem atque *Euphemius*, *Siciliae* praefectus, contra *Platam*, qui seditionem concitaverat, Arabum auxilium arcessit. — In tantâ sententiarum diversitate haud facile videtur, rem, sicuti gesta fuit, expedire. Quodsi auctorum, qui eam memoriae prodidêre, aetatem respicias, indeque narrationis fidem dijudicare velis, *Joannes Diaconus* reliquos antecedit, quippe qui eodem, quo haec gesta fuêre, seculo vixit. Accedit, quod narratio ejus et simplicitate se commendet; contra quae a Byzantinis et Anonymo Salernitano traduntur, fabulam, quam Romanensem dicunt, redolere videantur. Quod *Nowairius* atque *Ebn Chaldun* referunt, *Euphemium*, Siciliae praefectum, propter *Platae* seditionem Arabum auxilium implorasse, idcirco non videtur verisimile, quod, eâ rerum conditione, *Euphemius* non Arabum, sed Graecorum imperatoris auxilium implorasset. Fortasse tamen in viri nomine *Joannes* lapsus est, in quo reliqui omnes, Arabes, Byzantini et Latini consentiunt. Sed utcunque res se habuerit, id certe constat, Arabes occasionem hanc invadendae *Siciliae* cupidissime arripuisse.

§. LIII.

Arabum Afrorum rebus eo tempore praefuit *Zejadat Allah ben Ibrahim*, tertius ex Aglabidarum gente princeps. Is anno Hedschrae 212, p. Chr. 827 [64]), *Asadum ben Alferat* cum classe C fere navium in *Si-*

63) Nowairii hist. Sicil. c. I, in Gregorii collectione; Ebn Khaldoun histoire de l'Afrique sous la dynastie des Aghlabites, p. 42 text. Arab.

64) In definiendo tempore, quo *Euphemii* impulsu Arabes Siciliam invasêre, auctores nequaquam consentiunt. *Joannes Diaconus* statim

ciliam misit, quae *Mazarae* adpellitur. Escendunt e navibus X millia peditum, septingentique equites. Facili negotio *Mazara* occupatur, illique oppido *Abu Zaki Alkenani* praeficitur. Inde *Syracusas* versus, quae tum temporis Siciliae caput, iter dirigitur. In eo itinere quoquo versus praedatores emittuntur, qui ex agris locisquo minus munitis magnam praedae vim colligunt. Syracusani ubi nuntium accipiunt, se ab Arabum exercitu peti, neque tantis copiis pares sese existimant, legatos *Asado* obviam mittunt, qui de pace cum eo agerent, vel saltem sub praetextu pacis conciliandae tempus traherent, donec Syracusarum munitiones reficerentur, ceteraque ad defendendam urbem necessaria praepararentur. Conveniunt legati *Asadum,* pluresque dies de pacis conditionibus agendo consumunt. Tandem Arabum dux dolo se circumveniri suspicatus, finem imponit colloquio, exercitumque promovet. Sed postquam Syracusas pervenit, urbem eam operibus virisque ita munitam deprehendit, ut dubitaret, se illis copiis, quas ducebat, eam in potestatem suam redacturum. Quare in Africam Hispaniamque legatos misit, auxilia qui quanto ocyus arcesserent. Quibus impetratis Syracusas tanto cum successu impugnavit, ut oppidani deditionem se facturos promitterent, si vitae bonisque suis parceretur. Neque eam conditionem respuisset *Asadus,* nisi milites obstitissent, urbemque armorum vi occupandam atque diripiendam esse contendissent. Dum haec aguntur, Arabum dux *Asadus,* morbo correptus, vitâ decedit, mense Schaban, a. H. 213, p. Chr. 828. [65]).

---

post *Leonis* imperatoris caedem, *Michaëlisque Balbi* e carcere liberationem seditionem in Siciliâ ab *Euthymio* sive *Euphemio* concitatam fuisse tradit. Quare seditio illa ad annum 821 referenda esset. Cedrenus rem anno 826 actam memorat; Zonaras annum 827 profitetur, quocum et Nowairius, Ebn Chaldun nec non Chronicon Cantabrigiense consentiunt; quorum sententiae nos quoque cum recentiorum plurimis accedimus.

65) Nowairii hist. Siciliae, c. 1, in Gregorii collect. Ebn Khaldoun histoire de l'Afrique, p. 42, 43 text. Arab.; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. I, P. II, c. 75, p. 391; Cardonne hist. de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. 22.

§. LIV.

Defuncto *Asado Alferat* Arabum exercitui praeficitur ***Mohammed ben Abi Aldschawart.*** Is coeptam ab *Asado* Syracusarum obsidionem strenue prosequitur. Verum cum jam ad incitas fere redacti essent Syracusani, auxilium exoptatissimum ipsis obtigit. Namque Graecorum imperator certior factus, quo in discrimine Syracusae, imo omnis Sicilia versaretur, amplissimas et navales et terrestres copias in Siciliam misit, quae laborantibus Syracusanis opem ferrent. Quarum adventum simul atque resciverunt Arabes, satius rati in Africam sese recipere, omissâ obsidione, reditum parant. Verum priusquam naves solvere possent, Graecorum classis portum, quem Arabes tenebant, circumsederat. Cum igitur exitum e portu praeclusum sibi viderent Arabes, naves suas, ne Graeci iis potirentur, incendio delerunt. Quo facto, relictis Syracusis [66]), iter ad oppidum ***Menarum*** (***Mineo***) convertunt, eoque potiuntur; inde ***Agrigentum*** occupant, et in utroque oppido praesidia collocant [67]).

66) Joannes Diaconus tradit, Syracusanos ab Arabibus in angustias redactos quinquaginta millia solidorum persolvisse, quo urbem ab excidio liberarent. Quodsi vero, sicuti *Nowairius* atque ***Ebn Chaldun*** referunt, Arabes, Graecorum exercitum metuentes, Syracusarum obsidione desistebant, vix opus videbatur, penso tributo urbem ab excidio redimere. Fortasse vivo adhuc ***Asado***, cum Syracusani de urbis deditione agerent, eam pecuniam obtulerunt, quam tamen, cum deditio non conveniret, Arabes non videntur accepisse.

67) Nowairii hist. Siciliae c. 11; Ebn Khaldoun histoire de l'Afrique p. 43. text. Arab. Si ***Ebn Chaldunum*** audiamus, Arabes, relictis Syracusis, non ***Menarum*** oppidum, sicuti *Nowairius* tradit, verum ***Mazaram*** petierunt atque expugnarunt. At vero ***Mazara*** in oppositâ fere Siciliae orâ sita, inque tantum a Syracusis remota erat, ut vix credibile sit, Arabes, combustis navibus, itinere terrestri ***Mazaram*** contendisse. Multo probabilius videtur, eos ***Menarum*** oppidum petiisse, haud procul Syracusis positum, ***Ennam*** versus, quae tum maxime arx ab Arabibus adfectabatur. Quare putarim, ***Ebn Chalduni*** textum corruptum, et pro مازر, ***Mazara***, مناو, ***Menau, Menae,*** quod *Nowairius* habet, legendum esse.

§. LV.

Ventum jam ad *Ennae* oppidum, quod in Siciliae umbilico situm, et naturâ et arte munitissimum erat. Quare maxime Arabum intererat, oppido illo potiri. Verum cum non sine magno et hominum et temporis impendio capi posse videretur, nil optatius visum, quam si inita pactione oppidani ad deditionem adduci posseut. Quod negotium *Euphemius*, qui Arabum exercitum comitabatur, exsequendum sibi sumsit. Is igitur ad oppidum procedit, ejusque incolas monet, ut aequis potius conditionibus, quam armorum vi rem inter se transigerent. Illi obsequium atque amicitiam simulantes *Euphemii* monita probant; constituitur dies locusque, quo utrique ad componenda communia negotia convenirent. Cum dies ad colloquium destinatus adesset, *Euphemius*, nil mali suspicatus, cum paucis amicorum ad locum praestitutum se confert. Tum oppidani locatis insidiis *Euphemium* invadunt, auxilioque destitutum trucidant. Quo facto turbarum Sicularum auctor de medio quidem sublatus est, verum ipsae turbae non cessarunt, priusquam omnem Siciliam imperio suo Arabes subjecissent [68]).

68) Nowairii hist. Siciliae, c. II; Ebn Khaldoun histoire de l'Afrique, p. 43 text. Arab. — *Euphemium* non ab Ennensibus, verum a Syracusanis trucidatum fuisse, auctor est *Cedrenus* in hist. Compend. t. II, p. 512. Narrat enim, *Euphemium* imperatorio habitu Siciliam obiisse, utque imperator salutaretur, Syracusas quoque petiisse. Ibi, cum a stipatoribus suis longius provolasset, urbemque propius accessisset, ut cum oppidanis colloqui, eorumque gratiam captare posset, fratres duos Syracusanos ejus interficiendi consilium cepisse. Igitur simulato studio gestuque adulatorio illos ad *Euphemium* adpropinquasse, eodemque honore, qui principibus debetur, eum adfecisse. Eâ re *Euphemium* delectatum, fratres comiter ad se vocasse, quo diguis modis eos resalutaret. Cum ergo inclinato capite alterum eorum osculatus esset, crinibus ab eo prehensum atque retentum fuisse, donec alter caput ei amputaret. — Haec *Cedreni* narratio similiter atque ea, quae paulo ante de raptâ ab *Euphemio* monachâ tradiderat, fabulam redolere videntur; quare nulli dubitamus Nowairio accedere, qui non a Syracusanis, verum ab Ennensibus *Euphemium* occisum fuisse memorat.

§. LVI.

Interea *Theodatus*, patricius, copiarum dux, quas Graecorum imperator Syracusanis miserat, Arabum exercitum secutus est, eumque haud procul *Ennâ* offendit. Illic uterque exercitus congreditur, sed Graecorum iniquo Marte. Funditur enim atque fugatur *Theodatus*, quam plurimis suorum caesis, captisque aliis, inter quos nonaginta patricii. Huic praeclarae victoriae haud diu superstes fuit Arabum dux *Mohammed;* namque ineunte H. anno 214, p. Chr. 829, diem supremum obiit. Defuncto *Mohammedi* sufficitur *Zahr ben Barghut* [69]). Is non pari atque decessor suus successu bellum contra *Theodatum* gessit. Namque non tantum *Ennae* oppidum, quod partae a *Mohammede* victoriae praemium esse debuisset, non cepit, verum etiam, commissis aliquot cum *Theodato* certaminibus, in oppidum *Menarum* rejectus inque eo obsessus fuit. In eâ obsidione multas miserias passi sunt Arabes. Namque deficientibus alimentis magna fames ingruit, adeo ut iis quoque animalibus vesci cogerentur, a quibus communis abhorret usus. Et profecto graviora adhuc subiissent, nisi casu felici ex angustiis liberati fuissent. Accidit enim, ut eo ipso tempore, quo talia perpetiebantur, *Asbagh ben Wakil Alhowari* et *Soleiman ben Afejat Altartusi* multis cum navigiis ex Hispaniâ proficiscerentur, mareque mediterraneum praedae agendae causâ percurrerent. Quos ubi haud procul Siciliâ abesse audirent, qui *Mehis* obsidebantur, nuntios miserunt, qui populares suos de rerum suarum statu certiores facerent, eorumque auxilium implorarent. Neque Arabum Siculorum preces adspernati sunt Hispani. Namque et alimentis eos juverunt, et *Theodatum* infestarunt adeo, ut obsidione desisteret, inque *Ennae* oppidum sesé reciperet; quo facto Arabes

---

69) Qui *Nowairio* dicitur *Zahr ben Barghut*, ab *Ebn Alathiro Zohair ben Ghut*, et ab *Ebn Chalduno Zohair ben Aun* adpellatur. Notandum hoc loco in universum, auctores orientales in tradendis nominibus, quae propria dicuntur, admodum esse inconstantes; ex quâ inconstantiâ haud parum difficultatis rerum gestarum scrutatori enascitur.

Meueni tandem a miseriis suis liberati sunt, id quod evenit mense Dschomada posteriori anni H. **215**, p. Chr. **830** [70]).

§. LVII.

Neque tamen infortunio illo fractus est Arabum Siculorum animus. Quinimo, si *Nowairio* fides [71]), eodem adhuc mense, quo Arabum Hispanorum interventu famem gladiumque Graecorum effugerunt, *Panormum*, Siciliae nobilissimam urbem, adorti sunt, eamqne fortiter resistentem obsidione clauserunt. Credibile est, eos recentibus ex Africa auxiliis auctos fuisse; namque et alium ducem copiis praefectum videmus, et exercitum in duas partes divisum, quarum altera *Panormum*, altera *Messanam* impugnabat, quod vix fieri potuisset, nisi recentes ex Africâ copiae advenissent. Attamen in longum protracta fuit Panormi obsidio; vel quod pertinacissime urbs ea reluctaretur, vel quod Arabum vires divisae essent. Citius *Messana* capta fuit, quae anno **831** in Arabum potestatem venit. In ejus oppidi expugnatione *Theodatus*, Graecorum dux, occisus est, qui pro virili parte demandatam sibi provinciam defendit, sed sufficientibus destitutus auxiliis tandem succubuit [72]). Insequenti denique anno (H. CCXVII, p. Chr. **832**) etiam Panormus deditionem fecit, pactâ tamen vitae bonorumque securitate [73]). Ab hoc tempore Arabum in *Siciliam* dominatio

70) Nowairii hist. Siciliae, c. II.

71) Nowairii hist. Siciliae, c. III.

72) Chronicon Cantabrig. in Gregorii collect. p. **41**.

73) Nowairii hist. Siciliae, c. III; Ebn Khaldoun hist. l'Afrique, p. **44**. text. Arab; Ebn Alathir, p. **108** libri memorati. — In definiendo anno, quo *Panormus* ab Arabibus occupata fuit, *Ebn Chalduni Chronicique Cantabrigiensis* auctoritatem secuti sumus; quibus tamen non consentit *Nowairius*, qui oppidum illud in quintum usque annum obsessum, annoque demum II. CCXX captum fuisse tradit, cum Arabum exercitui *Mohammed ben Abdullah ben Alaglab* praeesset. At vero idem auctor *Mohammedem ben Abdullah* anno H. CCXXXVI diem supremum obiisse refert, postquam Siciliae rebus per novemdecim an-

repetenda; namque ab hoc tempore principes Aglabidae praefectos moderandae Siciliae constituebant, quorum sedes *Panormi*, unde paulatim omnem insulam in suam redigebant potestatem. Primus *Siciliae* praefectus Aglabidarum sub imperio fuit ***Mohammed ben Abdullah ben Alaglab***, quo duce ***Panormus*** ad deditionem redacta fuerat [74]).

Cap. V.

Arabes Calabriam invadunt, Graecorum Venetorumque classem ad Tarentum profligant. Radelchis Arabes Siculos contra Siconulphum, Siconulphus Arabes Hispanos contra Radelchim in auxilium vocat. Ager Romanus ab Arabibus diripitur; Ludovici II exercitus funditur. Ludovicus Arabes, provinciam Beneventanam vexantes, caedit, pacemque inter Radelchim et Siconulphum conciliat.

§. LVIII.

Postquam in *Siciliâ* sedes fixerant Arabes, vix quidquam obstare potuit, quo minus et *Italiae* arma inferrent. Id facilius eo fieri potuit,

---

norum spatium praefuisset. Jam si ab anno CCXXXVI per novemdecim annos recedas, ad annum CCXVII devenies, quo, ex ***Ebn Chalduni Chronici***que ***Cantabrigiensis*** sententiâ, ***Panormus*** occupata, illiusque expeditionis dux ***Mohammed ben Abdullah*** primus ex Arabum gente Siciliae praefectus constitutus fuit. Quae cum ita sint, ***Ebn Chalduni Chronici***que ***Cantabrigiensis*** computationem sequendam esse duximus. — Ad ***Panormi*** porro deditionem quod adtinet, ***Joannes Diaconus*** refert, omnes provinciae Panormitanae incolas ab Arabibus captivos redditos fuisse; unde colligas, Panormitanos nequaquam pactâ vitae atque bonorum securitate in deditionem receptos fuisse. At vero auctores Arabes, ***Ebn Alathir, Nowairi*** atque ***Ebn Chaldun*** consentiunt, ***Panormum*** nonnisi *pactâ securitate*, بالامان, deditionem fecisse.

74) Nowairii hist. Africae in Gregorii collect. p. 7. nota d; Ebn Khaldoun hist. de l'Afrique, p. 45 text. Arab.; Conde hist. de la dominacion de los Arabes en España, t. I. P. II, c. 75, p. 391.

quod Italiae principes adsiduis inimicitiis bellisque, quae inter se gerebant, se invicem frangerent, quinimo haud raro ipsos Arabes in auxilium contra adversarios vocarent. Imminentem ab Arabibus Italiae cladem praevidens pontifex maximus, ***Gregorius IV***, omnem curam in id intendit, ut agrum Romanum ipsamque Romam ab Arabum incursionibus tutam redderet. Quod maxime se consecuturum ratus est, si ***Tiberis*** ostia, quam firmissime posset, communiret. Igitur urbem ***Ostiam***, ad ***Tiberis*** ostia sitam, quae temporum injuriâ admodum labefactata erat, anno circiter 833, a fundamentis instaurari, muris praealtis, fossâ, aliisque id genus munimentis circumdari jussit. Cui urbi, ut ipso nomine conditoris sive instauratoris memoria servaretur, ***Gregoriopoleos*** cognomentum inditum fuit [75]). Neque ***Gregorium*** cura sua falsum habuit. Namque haud multo post (circa annum 836) Arabes, etsi non in agrum Romanum, tamen in Italiam pedem intulerunt. Namque ferventibus inter ***Sicardum***, Beneventanorum principem, et Neapolitanos dissidiis, Arabes, ex Siciliâ profecti, in Calabriam adpulerunt, ***Brundisium***que expugnarunt. Quod cum ***Sicardo***, ad cujus ditionem oppidum illud pertinebat, nuntiatum esset, haud exiguum copiarum numerum Arabibus obviam mittit. Arabes vero, de hostium adventu certiores redditi, haud procul oppido quam plurimas foveas fodiunt, easque sarmentis humoque leviter tegendo occultant. Ubi Beneventanorum exercitus advenit, Arabes ex oppido prorumpunt, aciem ad foveas instruunt, Beneventanosque ad pugnam provocant. Qui cum ardentius atque incautius in Arabes irruerent, magnam partem in foveas occultas inciderunt, ibique caesi sunt; reliqui perturbati terga verterunt. Accepto infelicis hujus pugnae nuntio, ***Sicardus*** multo majorem ad impugnandos Arabes conflavit exercitum; cujus tamen adventum illi non exspectarunt, sed direpto atque incenso ***Brundisio*** in Siciliam reversi sunt [76]).

---

75) Anastasii bibliothecarii vita Gregorii IV, in Murat. S. r. It. t. III, p. 225, 226.

76) Anonymi Salernitani paralipom. c. 57, in Murat. S. r. It. t. II. P. II. p. 216.

§. LIX.

Paulo post (a. 839) Graecorum imperator ***Theophilus***, ubi videt maximam Siciliae partem ab Arabibus occupatam, imo ipsam Italiam jam peti, neque se illis reprimendis parem esse, ***Theodosium***, patricium, Venetias mittit, ut ***Petrum Tradonicum***, Venetiarum ducem, imperii ***Spatarium*** salutaret, ejusque contra Arabes auxilium expeteret. Haud abnuerunt ***Theodosii*** petitionem Veneti, navesque sexaginta instruxerunt, quae Graecorum classi additae sunt. Junctis in hunc modum viribus, Graeci Venetique ***Tarentum*** petunt, ubi Arabum classem amplissimam, cujus dux scriptoribus Italis ***Saba*** dicitur, offendunt. Concurritur, magnâque contentione utrinque pugnatur; sed Veneti Graecique, hostium multitudine superati, funduntur, omnesque fere vel caeduntur, vel capiuntur. Hac victoriâ elati Arabes usque in ***Dalmatiam*** excurrunt, urbemque ***Auseram*** secundo Paschatis festo diripiunt incenduntque. Inde mare Hadriaticum trajicientes ***Anconam*** adpellunt, eamque simili clade afficiunt; denique magnâ cum praedâ revertentes Venetorum naves mercatorias in alto offendunt, iisque interceptis deprehensos in illis homines jugulant [77].

§. LX.

Quae inde ab anno 840 in regno Beneventano exortae sunt turbae non solum commodissimam invadendae Italiae occasionem, verum etiam magnum in rebus Italicis pondus Arabibus praebuerunt. Illarum autem turbarum haec fuit ratio. Occiso propter flagitia ***Sicardo***, Beneventi principe, ***Radelchis***, ***Sicardi*** thesaurarius [78], in hujus locum a Beneventanis suffectus est. Neque tamen is omnibus probatus fuit; maxime vero Sa-

---

77) Danduli Chron. Venet. l. VIII, c. 4, in Murat. S. r. It. t. XII, p. 175.

78) Idem aliis dicitur *Secretarius*, non quod duplici munere fungeretur, sed quoniam utrumque vocabulum eandem rem denotat. Namque qui proprie *Thesaurarius* fuit, simul et *Secretarius* adpellabatur. In eundem modum et aedium sacrarum cellae, in quibus res preciosae adservabantur, *Secretaria* dicebantur.

lernitani atque Campani cum respuerunt, et ***Siconulphum***, occisi ***Sicardi*** fratrem, principem crearunt. Scisso in duas partes regno Beneventano, res ad bellum rediit. In quo cum ***Siconulphus***, praeter Salernitanos Campanosque, etiam a Neapolitanis, Amalfitanis, aliisque juvaretur, ***Radelchi*** male res cessêre. Quare ne ab adversario opprimeretur, Arabes in auxilium vocare statuit; quo consilio semet ipsum quidem sustentavit, sed Italiae, inque primis provinciae Beneventanae multa mala intulit. Igitur per ***Pandonem***, oppidi *Baris* praefectum, Arabes Siculos, qui compertis turbis hisce jam sponte suâ Calabriam invaserant, in belli societatem invitavit, illisque in agro Barensi castrorum metandorum locum adsignavit. At vero Arabes, incertum, utrum praedae cupidine, an a ***Pandone*** vel Barensibus aliquo modo irritati, intempestâ nocte in oppidum irrumpunt, ejusque incolas partim trucidant, partim captivos reddunt, ***Pandonem***que ipsum variis cruciatibus adfectum mari tantem submergunt. Quod facinus etsi foederi, quod cum Beneventanis composuerant Arabes, minime conveniret, tamen ***Radelchis***, quod Arabum operâ indigeret, indulgentius cum illis agendum, neque *Bari* pellendos censuit. Igitur consociatis viribus Beneventani Arabesque in ***Siconulphi*** fines incurrunt, quacunque iter dirigunt, ferro ignique grassantur, inque ceteris ***Capuam*** quoque expugnant, flammisque vastant [79]).

§. LXI.

Quod ***Radelchis*** praeiverat exemplum, ***Siconulphus*** sequendum sibi existimavit. Cum enim videret adversarii vires haud parum incrementi Arabum copiis cepisse, statuit et ipse eorum uti auxilio. Igitur Arabes Ili-

79) Erchemperti hist. Langobardor. c. XVI, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 241; Ignoti auctoris histor. rer. a Langobardis gestarum, Murat. S. r. Ital. t. II, P. I, p. 266; Anastasii epitome Chronicor. Cassinens. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 365, 366; Annal. Bertin. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 528; Anonymi Salernit. Paralip. c. 66, Murat. S. r. Ital. t. II, P. II, p. 222, 223; Leonis Marsicani Chron. Cassin. l. I, c. 25, Murat. S. r. It. t. IV, p. 299.

spanos belli socios adscivit; quorum ope Beneventanis multa damna inflixit. Ut cetera taceamus, illius tantum cladis meminisse juvabit, quam *Siconulphus* ad *furculas Caudinas*, jam Romanorum infortunio nobilitatas, Beneventanis intulit. Cum in eo loco uterque exercitus congrederetur, primo impetu victoria in *Radelchis* partes inclinari visa est, adeo ut *Siconulphi* copiae, jam perturbatae, fugâ sibi consulere vellent. At *Siconulphus*, cum selectis militibus in subsidio collocatus, ubi videt suorum aciem jam in fugam inclinari, repentino in hostem, incomposite victos persequentem, irruit, magnamque stragem edit. Maxima Beneventanorum pars gladio interemta, nonnulli capti, paucissimi fugâ elapsi. Hac clade acceptâ *Radelchis* vires admodum attenuatae sunt, contra *Siconulphi* in tantum auctae, ut brevi tempore omnia, quae hactenus *Radelchi* parebant, oppida, praeter Beneventum Sipontumque, in ejus transirent potestatem. Imo jam contra ipsam *Radelchis* sedem, Beneventum, exercitum *Siconulphus* ducebat, oppidumque illud obsidione claudebat. Et procul dubio Benevento quoque potitus fuisset, nisi *Guidonis*, Spoletinorum ducis, consilio ab incepto avocatus fuisset. Hunc quippe *Guidonem*, *Siconulphi* cognatum belliqueque socium, *Radelchis* pecuniâ corrupit, ut *Siconulphum* a Beneventi obsidione vel omnino abstraheret, vel saltem auxilio suo destitueret. *Siconulphus* cum intelligeret, se, *Guidonis* auxilio destitutum, Beneventum vix in potestatem suam redacturum, omissa obsidione, cum exercitu discessit [80]). Nihilo tamen minus hae inter utrumque principem contentiones perdurarunt usque ad annum 848, quo tempore, diviso in duas partes regno Beneventano, pax restituta est. Interea Arabes, contentionum illarum tantum non semper socii, in diversis provinciae Beneventanae locis, maxime vero *Bari*, sedes fixerunt.

80) Nithardi de dissensionibus filior. Ludovici Pii l. IV, in du Chesne Script. hist. Francor. t. II, p. 379; Erchemperti hist. Langobard. c. XVII, XVIII, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 241; Anastasii epitome Chron. Cassin. Murat. S. r. It. t. II, P. I. p. 365, 366; Anonymi Salernit. Paralip. c. 66—69, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 222—226; Leonis Marsicani Chron. Cassin. l. I, c. 25, Murat. S. r. It. t. IV, p. 299.

§. LXII.

Crebrius jam in dies atque audacius Arabes Siculi in Italiae oras insulasque adjacentes excurrerunt. Haud multo post *Theophili* imperatoris obitum, exortis (c. a. 845.) in imperio Byzantino novis turbis propter *Paulicianorum* persecutionem, multis navigiis Arabes Italiae oras legerunt, insulas e regione Cajetae positas, *Poncias* maxime, petentes. Quod cum *Sergius*, Neapolitanorum dux, rescivisset, consociatis Neapolitanorum, Amalfitanorum, Cajetanorum atque Surrentinorum copiis navalibus, hostibus obviam processit, commissoque certamine eos fudit fugavitque. Deinde in *Licosam*, quam insulam etiam occupaverant Arabes, cursum tendit, et eo quoque loco hostes exturbat. Quae damna Arabes ulturi, magnam classem *Panormi* parant, eâque inter cetera *Misenum* oppidum adorinntur atque expugnant. Ex hoc oppido quaquaversum excurrunt praedasque agunt [81]). Jam neque *Roma* ipsa eorum incursionibus intacta fuit. Namque mense Augusto anni 846 *Tiberim* navibus ingressi *Romam* usque pervenerunt; cumque in oppidum ipsum firmiter munitum irrumpere non possent, quaecunque extra muros posita erant, diripuerunt. Tum et *Petri Pauli*que Apostolorum templa, quae illo tempore extra urbis muros sita erant, direpta rebusque pretiosissimis spoliata fuêre [82]). Depopulato agro Romano, Arabes viam Appiam ingressi *Fundos* venerunt; quod oppidum cum expugnassent, incendio vastarunt, incolis partim captis, partim occisis. Inde *Cajetam* petierunt, in cujus urbis viciniâ castra metati sunt. Accepto tantorum malorum nuntio, *Ludovicus II*, Italiae rex, quam celerrime posset, exercitum hostibus

---

81) Joannis Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 315, 316.

82) Joannis Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. l. c. Chron. Vulturnens. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 390; Annal. Bertin. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 530; Anastasii bibliothec. vita Leonis IV, Murat. S. r. It. t. III, P. I, p. 231, Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 27, Murat. S. r. It. t. IV, p. 301, 302; Annal. Fuldens. du Chesne Script. hist. Franc. t. II, p. 549; Annal. Metens. du Chesne S. h. Fr. t. III, p. 302; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 139.

obviam misit. At vero Arabes, collocatis in angustâ arduâque viâ insidiis, descendentes incaute adversarios ex improviso adorti sunt, caesoque primum signifero, reliquos invadunt, qui, inopinato impetu perterriti, terga vertunt, et absque negotio, nullo fere resistente caeduntur; et nisi *Caesarius, Sergii*, Neapolitanorum ducis, filius, quem pater cum Neapolitanorum classe miserat, laborantibus subvenisset, eo die omnis Christianorum exercitus ab Arabibus deletus fuisset. Ferunt, cum instantius fugatum exercitum persequerentur Arabes, ad fluvium *Carnellum*, prope coenobium Cassinense, pervenisse. Cujus coenobii thesauris cum inhiarent, ejus invadendi consilium cepisse. Neque tamen eo die, quod jam vesper adesset, fluvium transiisse. At vero noctu, non sine singulari numinis divini providentiâ, immanem tempestatem exortam, tantumque imbrem coelo effusum fuisse, ut fluvius paulo ante tenuissimus, proximo die longe ultra ripas exundaret, neque ullo modo trajici posset. Eo miraculo Arabes a coenobii Cassinensis direptione retentos, in castra sua fremebundos reversos fuisse. Haud difficile est intellectu, eam fluminis Carnelli inundationem, quâ Arabes a coenobii Cassinensis direptione deterriti feruntur, a naturalibus causis profectam fuisse; sed crediderim, illos *Caesarii* potius adventu, quam inundatione illâ a proposito deterritos fuisse. Reversi igitur in castra ad *Cajetam*, oppidum hocce impugnare coeperunt. At vero *Caesarius*, qui portum Cajetanum cum classe suâ tenebat, magno oppidanis fuit praesidio. Interea accidit, ut Arabum naves, quae haud procul litore in ancoris constiterant, exortâ tempestate, in summo periculo versarentur. Quare *Caesarium* rogarunt, liceret sibi naves in terram subducere; quod si concederet, se *Cajetae* obsidionem omissuros, et sedatâ tempestate marique pacato discessuros. *Caesarius*, consulto patre, conditionem ab Arabibus latam accepit. Igitur, omissâ obsidione, ut primum tempestas serena marisque tranquillitas rediêre, naves illi solverunt. Neque tamen incolumes ad suos reversi sunt. Namque exortâ denuo, cum in alto essent, tempestate, omnis pene eorum classis pessum data fuit, adeo ut paucissimi tantum ex illo naufragio evaserint [83]).

---

83) Joannis Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. l. c. Leonis Marsicani

§. LXIII.

Jam superius memoratum fuit, Arabes a ***Radelchi,*** Beneventi principe, in societatem belli adversus ***Siconulphum***, dominationis aemulum, adscitos fuisse. Ea societas mox ipsi ***Radelchi*** atque Beneventanis admodum molesta periculosaque evasit. Namque Arabum dux, quem ***Massar*** auctores Itali dicunt, ***Beneventi*** sedens, et ipsos oppidi hujus cives pessime habebat, et quae circumjacebant loca, incursionibus infestabat [84]). Eas autem injurias ***Radelchis*** tolerabat, vel quod coërcendis Arabibus neqnaquam se parem sentiret, vel quod timeret, ne, si eorum auxilio destitueretur, ***Siconulpho*** succumberet. His malis cum neque per ***Radelchim***, neque per ***Siconulphum*** finis imponeretur, tandem Capuae comes, ***Lando***, nec non ***Adelmarius Bassanius***que, coenobii Cassinensis Abbas, ***Ludovicum II*** adiverunt rogaruntque, ut afflictis graviter provinciae Beneventanae incolis quantocius succurreret. Quorum precibus ***Ludovicus*** satisfecit, devictisque, qui terram Beneventanam populabantur, Arabibus, ***Beneventum*** ipsum adiit, omnesque, qui in oppido illo deprehensi sunt, hostes, inter quos etiam dux illorum ***Massar,*** sibi tradi, oppidoque extractos occidi jussit. Fractis in hunc modum Arabum viribus, ***Ludovicus*** conciliandae inter ***Radelchim*** atque ***Siconulphum*** paci operam navavit. Neque in irritum abiit laudabile illud conamen. Namque anno 848 perniciosis illis controversiis finis impositus, diviso inter principatûs aemulos regno Beneventano [85]). ***Radelchis***

Chron. Cassin. I. c. Ignotus auctor historiae rer. a Langobardis gestar. in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 266; Anastasii epitome Chronicor. Cassin. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 369.

84) Ignotus auctor hist. rer. a Langobard. gestar. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 267; Anastasii epit. Chron. Cassin. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 370; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 28, Murat. S. r. It. t. IV, p. 302; Annal. Bertin. in du Chesne S. h. Fr. t. III, p. 203.

85) ***Leo Marsicanus,*** eumque secuti ***Sigonius, Baronius, Pagi*** aliique, hanc regni Beneventani divisionem ad annum 851 referunt. Sed ***Muratorius*** in Italiae annalibus, ad annum 848, probabilibus admo-

Beneventum*, *Siconulphus Salernum dominationis sedem obtinuit [86]). In eâ pactione, cujus exemplum adhuc superest, *Radelchis* inter cetera pollicetur, se in posterum nullam amicitiam sive consuetudinem cum Arabibus tuiturum, neque illos unquam adversus *Siconulphum* provocaturum. Contra, se omnibus viribus adnisurum, ut e terrâ Beneventanâ exturbentur, neque aliquem eorum toleraturum aut recepturum, nisi qui ad Christianorum sacra transiverit [87]).

---

dum rationibus demonstravit, divisionem illam ad huncce annum referendam esse.

86) Joannis Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 315, 316; Chron. Vulturnens. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 390; Erchemperti hist. Langobard. c. XIX, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 242; Ignotus auctor hist. rer. a Langob. gestar. Murat. S. r. Ital. t. II, P. I, p. 267; Anastasii epit. Chron. Cassin. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 370; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 29, Murat. S. r. It. t. IV, p. 303.

87) Exemplum pactionis illius habetur in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 260 — 262. Juvabit ipsa literarum illarum verba, quae ad rem nostram faciunt, adposuisse: „Et a modo (*Radelchis* haec sunt verba, Nro. XXIV.) nullum Saracenum in meum, vel populi ac terrae meae adjutorium, seu amicitiam habere quaerimus, tam de his, qui in omni provinciâ Beneventani Principatûs sunt, quam etiam de illis, qui extra omnem Beneventanam provinciam sunt; et nunquam eos contra vos irritans irritare faciam, et nullum eis adjutorium impendam, vel impendere faciam, et adjuvabo vos absque omni injustâ dilatione usque ad summam virtutem, sicut melius potuero, cum populo meae partis, ut pariter expellamus de istâ provinciâ nostrâ omnes Saracenos, quomodocunque potuerimus, et a modo, ut dictum est, nullum Saracenum recipiam, vel recipere permittam, praeter illos, qui temporibus D. D. *Siconis* et *Sicardi* fuerunt Christiani, si magarizati non sunt."

Cap. VI.

Luna ab Arabibus vastatur. Roma contra Arabum incursus muniitur, illorumque classis ad Ostiam ab Italis disjicitur. Ludovici irrita in Arabes, Barim tenentes, expeditio. Beneventanorum Salernitanorumque exercitus ab Arabibus Barensibus caeditur. Beneventani pacto tributo pacem redimunt; quâ, exacto triennio, ruptâ, graviter denuo adfliguntur.

§. LXIV.

Quod de hydrâ Lernaeâ poëtae fabulantur, resecto nempe uno capite, duo in ejus locum succrevisse, id haud inepte ad Arabum in Italiam incursiones trahi posse videtur. Namque fractâ illorum hinc potentiâ, mox illinc novis viribus eos insurgere videmus. Igitur repressis, quibus terram Beneventanam adfligebant, incursibus, pauló post, anno videlicet 849, *Etruriam* invadunt, inque ceteris *Lunam* civitatem expugnant diripiuntque. Neque tamen constat, unde locorum, utrum ex Siciliâ, an ex Hispaniâ vel Corsicâ recens hoc praedonum agmen profectum *Lunam*que delatum fuerit. Crediderim tamen, ubi oppidi illius situm respicio, ex Hispaniâ potius vel Corsicâ, quam ex Siciliâ, Arabes illuc trajecisse. Utcunque res sese habeat, id certe constat, oppidum illud tum temporis adeo ab Arabibus vastatum fuisse, ut exinde desolatum jaceret episcopique sedes, quae illic locum habebat, *Sarzanam* transferretur, quae civitas e *Lunae* ruinis quasi emersit incrementaque cepit. Eandem fere cladem omnis passa est ora maritima inde a *Macrâ* flumine, quod Etruriam a Liguriâ dirimit, ad *Provinciae* usque fines; nemine resistente, ubi visum fuit, protervissimi illi homines naves adpellunt, et amplissimas impune praedas agunt [88]).

§. LXV.

Eodem anno, quo Luna deleta fuit, ingenti terrore et Romani concussi sunt. Rumor enim ferebat, Arabes cum magnâ hominum naviumque vi in loco, cui *Torari* nomen, prope Sardiniam, confluxisse, indeque in

88) Annal. Bertin. in du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 204.

agrum Romanum trajecturos esse. Ea res *Leonem IV*, summum pontificem, permovit, ut, quibuscunquo posset modis, *Romam* contra hostium incursus tutam reddere studeret. Igitur muros et portas urbis reliquasque munitiones reficere, basilicam *S. Petri*, quae, ut superius monitum, extra urbis muros sita erat, castello firmissimo munire, cui castello in conditoris memoriam civitatis Leoninae nomen impositum [89]), ad *Tiberis* ostium binas turres erigere, fluviumque ipsum ferreis catenis praecludere, ne hostium naves possent intrare, denique omnia curare atque parare, quae in tanto periculo praesidio fore viderentur. Neque ea summi pontificis cura praeter necessitatem fuit. Namque Arabes *Toraro* naves solverunt, *Tiberis* ad ostium cursum dirigentes. Interea Neapolitani, Amalfitani Cajetanique certiores facti, quanto in discrimine Romani versarentur, nullâ interpositâ morâ, duce *Caesario*, auxilio illis veniunt. Vixdum hi ad Romani agri oras adpulerunt, ecce et Arabum classis e regione *Ostiae* adparet. Confestim utrinque concurritur, et jam in Neapolitanorum sociorumque partes victoria visa est inclinari. At vero mediam inter pugnam subito vehemens ventus exortus est, cujus impetu dimicantes diremti atque disjecti sunt. Iniquior tamen ventus ille Arabibus, quam Neapolitanis; quo factum est, ut multae hostium naves naufragium facerent, hominesque vel ab undis obruerentur, vel ad Italiae insularumque adjacentium oras ejicerentur, ubi ab illarum regionum incolis vel occisi, vel capti sunt. Magnus tum hostium numerus in Romanorum devenit potestatem, quorum pars (quia omnes sustentare molestum videbatur) trucidati, pars in catenas conjecti, et ad urbis munitiones, a summo pontifice coeptas, necdum consummatas, aliaque opera publica damnati sunt [90]).

§. LXVI.

Compositis, quae inter principes Beneventanos, *Radelchim* atque *Siconulphum*, intercedebant, controversiis, initâque ab utroque principe pactione,

89) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 390; Annal. Bertin. du Chesne S. hist. Franc. t. III, p. 206.

90) Anastasii bibliothec. vita Leonis IV, in Murat. S. r. It. t. III, P. I, p. 237, 238.

ut junctis viribus Arabes e terrâ Beneventanâ exterminarent, putares, eam Italiae partem jam ab illorum hominum injuriis immunem fuisse. Verum longe aliter res evenit. Namque qui olim, a *Siconulpho* invitati, *Barim* venerant, inque eo oppido sedem fixerant Arabes, non tantum exturbari inde non poterant, verum etiam adsiduis incursionibus provinciam Beneventanam, Apuliam Calabriamque infestabant. Quo audito *Ludovicus II*, qui eo tempore (a. 852) *Mantuae* versabatur, cujusque clientelae principes Beneventani sese commiserant, contracto sat amplo exercitu, in provinciam Beneventanam profectus est, ut Arabum incursiones reprimeret, eosque *Bari* exterminaret. Promovet imperator exercitum ad *Barim*, idque oppidum obsidione claudit. Fortiter Arabes oppugnantibus resistunt, contra hi omnes intendunt vires, ut oppido potiantur. Et jam machinarum atque tormentorum ope tantam murorum stragem dederant, ut admotis scalis impetuque facto urbem se expugnare posse confiderent. Verum enim vero vel stultitiâ, vel perfidiâ eorum, quorum consilio *Ludovicus* utebatur, factum est, ut spes illa ad irritum caderet. Namque relatum fuit imperatori, amplissimos thesauros ab Arabibus *Bari* repositos esse, eosque, si oppidum vi caperetur, a militibus direptum atque dispersum iri; proinde conditionibus potius, quam vi agendum esse. Igitur exercitus ab oppidi impugnatione abstinere jussus est. Dum conditionibus proponendis tempus consumitur, Arabes labefactatas moenium partes reficiunt; quo facto, stultitiam oppugnatorum irridentes, conditiones propositas rejiciunt. *Ludovicus* ubi intelligit, quam dementer oblatam sibi expugnandae urbis occasionem praetermiserit, tantos incassum exantlatos labores dolens, obsidionem omittit, et cum exercitu in Langobardiam revertitur [91]). Prospero hoc rerum suarum eventu ferociores redditi Arabes, multo quam antea audacius circumjacentes terras incursant. Ea res *Bassacium Jacobum*que, coenobiorum Cassinensis Vulturnensisque abbates, permovit, ut *Ludovicum* adirent rogarentque, imminenti quotidie periculo ipsos liberaret, Arabesque ex oppido *Bari*, quo velut receptaculo utebantur, exturbaret. Auditis virorum gravissimorum querelis precibusque,

91) Annal. Bertin. in du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 206.

Ludovicus, etsi nuperrime haud sine dedecore *Bari* decesserat, statuit, oppidi illius obsidionem renovare, quantisque posset viribus persequi. In quo proposito haud leviter confirmatus fuit a Campanis, quippe qui auxilio suo ipsi se adfuturos promiserant. Igitur *Ludovicus* exercitum denuo *Barim* deducit; verum haud feliciori atque antea successu. Namque Campani, vel quod imperatori minus faverent, vel, si male res cederet, Arabum iram timentes, recusatis auxiliis, non nisi *Landulphum*, sacrorum antistitem, ad imperatorem miserunt, qui blandis eum verbis deleniret lactaretque. Quorum cognitâ fallaciâ indignatus *Ludovicus*, persuasumque habens, non sine magno labore hominumque impendio *Barim* posse impugnari, re infectâ cum exercitu reversus est [92]).

§. LXVII.

Haud meliori fortunâ aliquanto post (circa a. 856) adversus eosdem hostes Salernitani atque Beneventani dimicarunt. Eo tempore *Siconulphus* atque *Radelchis*, tantorum malorum auctores, vitâ decesserant. *Siconulpho* filius *Sico* successerat, cujus tutelam, cum tenerâ admodum esset aetate, una cum reipublicae administratione, pater moribundus *Petro* commendaverat. Beneventi principatum *Adelchis*, filius *Radelchis*, tenebat. Huic cum *Petro* contra Arabes, utriusque hostes, foedus intercedebat, consiliumque initum, ut consociatis viribus *Barim* adgrederentur, eoque ex oppido Arabes exterminare adniterentur. Congregatis igitur, quantum fieri potuit, amplissimis copiis, *Petrus Adelchis*que ad oppugnandam *Barim* proficiscuntur. Cujus rei nuntium ubi accipiunt Arabes, magno numero ex oppido prorumpunt, magnoque impetu Beneventanis Salernitanisque obviam feruntur. Confestim certamen initur, diuque aequo Marte utrinque pugnatur. Tandem Arabes, vel victi re verâ, vel simulatâ fugâ terga vertunt. Beneventani acrius fugientibus instant, rati, adesse jam occasionem delendorum ad in-

92) Erchemperti hist. Langob. c. XX, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 242; Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 402; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 30, Murat. S. r. It. t. IV, p. 303.

ternecionem hostium. At vero ex improviso validum Arabum agmen, in subsidio positum, prorumpit, fessosque jam multo labore Beneventanos adoritur. Qui cum auctis in hunc modum hostibus nequaquam possent resistere, praecipites in fugam effunduntur. In eâ fugâ quam plurimi interemti vel sauciati sunt, paucissimi incolumes elapsi. Hanc exercitûs Beneventani Salernitanique cladem magna provinciae Beneventanao atque Salernitanae ruina secuta est. Namque victores quâcunque vagantur, magnam hominum vim trucidant, mulieres parvulosque captivos reddunt, ingentemque praedam agunt. Denique caede rapinisque satiati *Barim* revertuntur [93]).

§. LXVIII.

Post infelicissimam hanc Beneventanorum Salernitanorumque adversus Arabes Barenses pugnam nemo ultra in eâ Italiae parte victricibus horum armis potuit resistere. Saepius quidem Beneventi Salernique principes *Ludovici* imperatoris auxilium implorabant, neque imperator gravissimas eorum querelas precesque spernebat; at vero ne ipsae quidem Francorum copiae Arabum violentiam fregerunt; vel quod exercitus, a *Ludovico* in Beneventanorum auxilium missi, hostibus omnino impares essent, vel quod segniter admodum rem suam gererent; quam praecipuam causam putarim, quod tot tantisque conatibus felicior defuerit eventus. Igitur *Adelchis*, Beneventi princeps, cum neque in suis viribus, neque in imperatoris auxiliis sat firmum praesidium contra Arabum injurias videret, initâ anno 862 cum hisce

---

93) Anonymi Salernit. Paralip. c. 79, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 232. Praeter Beneventanam Salernitanamque provinciam ab *iisdem* Arabibus *eâdem occasione* et Neapolim, vel agrum Neapolitanum direptum fuisse, colligimus ex Annalibus Bertinianis, qui ad annum 856 tradunt: *Saraceni de Benevento Neapolim fraude adeuntes vastant, diripiunt et funditus evertunt.*" In quo loco etsi incursionis illius causa atque occasio non memorentur, tamen ex temporis ratione efficitur, incursionem eam post exercitûs Beneventani Salernitanique cladem a victoribus Arabibus factam fuisse. Annal. Bertin. in du Chesne S. r. Franc. t. III, p. 209.

pactione rem componere pacemque provinciae suae conciliare tentavit. Convenit in eas conditiones pax inter utramque partem, ut Beneventani tributum quotannis Arabibus penderent, inque ejus rei fidem obsides exhiberent. In hunc modum adflictis diu Beneventanis malorum tandem requies obtigit, quae tamen non ultra tertium annum duravit. Namque circa annum 865 pactio, quae inter Arabes Beneventanosque intercedebat, non sine horum culpâ, rupta fuit, quo facto gravissimis denuo malis obruti sunt Beneventani. Ea autem res in hunece modum gesta fuit. Arabes, qui *Bari* sedem fixerant [94]), agrum Campanum atque Neapolitanum diripuerant, praedâque onusti *Barim* revertebantur. Quae injuria Campanis Neapolitanisque illata *Majelpotum,* urbis *Telesiae*, et *Guandelpertum*, oppidi *Boviani* praefectos, permovit, ut, adscitis *Lamberto,* Spoletinorum duce, nec non *Gerardo,* Marsorum comite, rei gerendae sociis, Arabes ex agro Campano revertentes hostiliter adorirentur. Aliquamdiu ancipiti Marte pugnatum; postremo superiores facti sunt Arabes. Caesi in illo certamine *Majelpotus, Guandelpertus Gerardus*que, copiarum duces, magnus praeterea militum gregariorum numerus; alii ab Arabibus capti, gravibusque postea cruciatibus interemti. Neque tamen satis habuêre Arabes hominum illorum incursum rejecisse; quin imo commodissima haec ipsis visa fuit occasio invadendae denuo terrae Beneventanae. Cum enim certaminis illius auctores, *Majelpotus* atque *Guandelpertus*, cives Beneventani essent (namque *Telesia Bovianum*que, quibus oppidis illi praefecti fuerant, ad provinciam Beneventanam pertinebant) Arabes pactionem, quae ipsis cum Beneventanis intercedebat, ruptam rati, nullo amplius vinculo se obstringi existimarunt, quo minus pro arbitrio suo in universam provinciam Beneventanam agerent. Igitur mox omnem terram Beneventanam pervagantur, et, praeter munitissima oppida, omnia fere loca diripiunt vastantque. In eâ incursione prae ceteris *Telesia*, *Alifa*, *Supinum*, *Bovianum*, *Hisernia*, *castrum Venafranum,*

---

94) Arabum Barensium dux scriptoribus Latinis *Seodan, Saogdan, Saugdan,* imo etiam *Sangolan* dicitur; quod tamen non viri, sed dignitatis nomen, idemque cum Arabico سلطان esse videtur.

*Sancti*que *Vincentii* ad *Vulturnum* coenobium adtrita fuêre. Quod coenobium eo tempore in florentissimis atque ditissimis Italiae habebatur. Ejus amplissimos thesauros, ne Arabibus aliquando in praedam cederent, monachi jam pridem defoderant. Neque tamen eâ cautione damnum, quod timebatur, averti potuit. Namque occupato coenobio Arabes cuncta perscrutantes, ipsumque solum evertentes, tandem et absconditis in terrâ thesauris potiti sunt. Praeter hanc jacturam ipsa quoque coenobii aedificia, ne incendio delerentur, tribus aureorum millibus redimenda fuerunt [95]). Eadem damna et *Sancti Benedicti in monte Cassino* coenobio imminebant. At vero coenobii Abbas *Bertharius*, accepto nuntio, Arabes jam ad oppidum *Teanum* usque processisse, brevique ad *montem Cassinum* adfuturos, legatum in hostium castra misit, qui de redimendo ab injuriis coenobio cum Arabum duce ageret. Convenit res in eam conditionem, ut Abbas *Bertharius* tria millia aureorum penderet; quibus acceptis Arabes celebratissimum illud coenobium intactum reliquerunt, et paulo post, occupato adhuc *Venafro*, ejusque oppidi agro depopulato, ingentem praedam agentes *Barim* reversi sunt [96]).

---

95) Si *Leonem Marsicanum* in Chron. Cassin. l. I, c. 35, audiamus, coenobium *S. Vincentii ad Vulturnum* tum temporis omnino incendio deletum fuit, adeo ut per 33 annorum spatium exinde desolatum jaceret. Contra *Erchempertus* tribus aureorum millibus eo tempore coenobium illud ab incendio redemtum, serius autem, circa annum 882, ferro flammisque vastatum fuisse tradit. Quem scriptorem, utpote illorum temporum aequalem, nos sequendum duximus.

96) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 403; Erchemperti hist. Langob. c. 29, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 244; Ignotus auctor hist. rer. a Langob. gestar. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 268; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 35, Murat. S. r. It. t. IV, p. 311, 312.

Cap. VII.

Ludovicus Arabibus Barensibus bellum infert, commissoque praelio funditur; fratrem Lotharium, Basiliumque, Graecorum imperatorem, in auxilium vocat; Arabes, Calabriam vexantes, tribus vicibus caedit; Barimque, diu obsessam, expugnat. Arabum classis ad Tarentum a Venetis profligatur. Ludovicus, quo minus Arabes ex Italiâ Siciliâque exturbaret, Basilii invidiâ impeditur.

§. LXIX.

Tot tantisque calamitatibus ad incitas redacti Beneventani nullum, nisi in imperatoris *Ludovici* auxilio, sibi rebusque suis reliquum videbant praesidium. Igitur unâ cum Campanis (qui olim quidem Beneventi, deinde Salerni principibus subditi erant, jam vero peculiaribus comitibus parebant) legatos ad imperatorem mittunt, qui eum rogarent, ne pateretur a Christiani nominis hostibus se pessum dari, verum quantocius miserrimis auxilio veniret. At vero *Ludovicus* et pristinae Campanorum perfidiae memor, et, quam parum prospere antea contra Arabes dimicavisset, reputans, primo legatorum petitioni parum tribuit. Sed cum illi impensius orarent, sentiretque imperator, et ignominiosum et periculosum sibi fore, si Arabum opes in Italiâ ulterius augerentur: statuit tandem adflictos auxilio juvare, et, si fieri posset, Christiani nominis hostem ex Italiâ exterminare. Quo autem melius, quam antea, res cederet, copias, quam posset, amplissimas colligere decrevit. In eum finem VIIIvâ calendarum Aprilium anni 866 per omnem Italiam, quae suo parebat imperio, edici jussit, ut, quicunque armis capessendis idonei essent, ad bellum Arabibus inferendum sese accingerent. Ejus autem edicti haec fere summa: Quicunque re familiari tantum valerent, ut mulctam, redimendo homicidio legibus constitutam, pendere possent, in hostes exire tenerentur; pauperiores, qui decem solidos haberent, custodiendis oris maritimis oppidisque adhibendos; quos autem ea summa deficeret, militiâ eximendos esse. Si quis paterfamilias plures filios haberet, omnes praeter unum, eumque infirmiorem, arma capesserent; si quis duos filios haberet, uterque ad bellum proficisceretur; si unum tantum, is, si patre promtior esset, militiae nomen daret; quod si autem pater promptior

filio, pater arma caperet. His conditionibus neminem, neque comitem, neque alinm qnendam ex proceribus, exemtum esse. Qnodsi vero procerum aliquis vel se ipsnm militiae subduceret, vel hominum sibi subditorum aliquem domi retineret, praeter illos, quibns oppidorum reliquorumque locorum custodia demandata esset, illum omnium bonorum publicatione mnlctandum esse. Eâdem poenâ et episcopos, abbates atque abbatissas adficiendas esse, si hominum sibi subditorum aliquem militiae subtraherent. Quicunque vero ad castra confluerent, vestimenta in unius anni usum victumque ad proximam messem usque sibi prospicerent. Ceterum omnibns a rapinis aliisque injuriis abstinendum, nisi graves vellent incurrere poenas [97].

97) Memorabile hoc edictnm habetur in ignoti auctoris hist. rer. a Langob. gestar. in Murat. S. r. It. II, P. I, p. 264, 265. Quod cum ad illorum temporum rationes perspiciendas plurimum faciat, haud ab re erit, praecipua ejus capita ad verbum transscribere: „Quicunque de mobilibus Widrigid suum habere potest, pergat in hoste. Qui vero medium Widrigid habet, duo juncti in unum qualitatem instruant, ut bene ire possint. Pauperes vero personae ad custodiam maritimam, vel patriae pergant; ita videlicet, ut, qui plus quam decem solidos habet de mobilibus, ad eandem custodiam vadant. Qui vero non plus quam decem solidos habet de mobilibus, nil ei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, et ipse filius utilior patre est, instructus a patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Qui vero duos filios habuerit, quicunque ex eis utilior fuerit, ipse pergat; alius autem cum patre remaneat. Quod si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant; tantum unus remaneat, qui inutilior fuerit. De fratribus indivisis, juxta Capitularem domini genitoris nostri, volumus, ut, si duo fnerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus, qui inutilior apparuerit, remaneat, ceteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant; unus inutilior remaneat. De quâ conditione volumus, nt neque per praeceptum, neque per advocationem, ant quamcunque occasionem excnsatus sit aut Comes, aut Gastald, vel ministri eorum ullum excusatum habeant; praeter quod Comes in unoquoque Comitatu unum relinquat, qui eundem locum custodiat, et dnos cum uxore suâ. Episcopi ergo nullum

§. LXX.

Praeparatis omnibus, quae ad belli usum necessaria videbantur, *Ludovicus* ingenti cum exercitu per *Soram* Beneventanorum fines ingreditur, menseque Julio ad coenobium Cassinense pervenit. Illic diversarum civitatum praefecti legatique cum auxiliis ad imperatorem confluxerunt, inter quos et *Landulphus* Capuae episcopus comesque cum Campanorum copiis. At vero Campani in speciem tantum adesse videbantur; namque ex composito paulatim sese subtraxerunt, ita ut eorum comes *Landulphus* solus fere apud imperatorem relinqueretur. *Ludovicus* ubi intellexit, Campanos ad

---

Laicum relinquant. Quicunque enim contra hanc institutionem remanere praesumserit, propriis ejus amissis, quod subter ordinatum habemus, praesentialiter ad nostrum opus recipere jussimus, et illum foras ejicere. — — .— Quod si Comes aut Bassi nostri aliquâ infirmitate remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, aut Abbates vel Abbatissae si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, et eorum basalli et proprium, et beneficium amittant. De episcopis autem cujuscunque basallus remanserit, et proprium, et beneficium perdant. Si quoque episcopus absque manifestâ infirmitate remanserit, pro tali negligentiâ ita emendetur, ut in ipsâ Marchâ resideat, quousque aliâ vice exercitus illuc pergat, in quantum Dominus largire dignatus fuerit. — — — Vestimenta autem habeant ad annum unum, victualia vero quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fragidis enim quicunque eundo et redeundo commotionem fecerit, vitae incurrat periculum. — — — Quicunque ecclesiam fregerit, adulteria et incendia fecerit, vitae incurrat periculum. Quicunque caballum, bovem, friscingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat, et liberum armiscarâ, id est sellâ, ad suum dorsum ante nos a suis semotus bis dirigatur, et usque ad nostram indulgentiam sustineatur; servi vero flagellentur, et tundantur, et illorum domini, quae ipsi tulerunt, restituant. — — — Iter nostrum erit per Ravennam, et immediate mense Martii in Piscariam, et omnis exercitus Italicus nobiscum. Tuscani autem cum populo, qui de ultra veniunt, per Romam veniant, ad Pontem Curvum, inde Capuam, et per Beneventum descendant nobis obviam. Luceriâ, VIII Kalend. April."

solitam fallaciam se convertisse, perfidiae poenam de illis sumere statuit. Igitur spretis vanis *Landulphi* excusationibus, cum exercitu Capuam proficiscitur, eamque urbem obsidione claudit. Per trium mensium spatium Campani obsidionem sustinuerunt; tandem direptis vastatisque per imperatoris exercitum omnibus, quae circumjacebant, ad incitas redacti, *Lamberto*, Spoleti comiti, qui sub *Ludovici* signis militabat, se dediderunt. Quo facto *Landulphus* Capuae principatu exuitur, inque ejus locum judices in singulos menses sufficiuntur, qui imperatoris nomine civitatem administrarent. Occupatâ Capuâ *Ludovicus*, quia nondum omnes copiae confluxerant, annoque jam inclinante bellum adversus Arabes sequentis demum anni vere incboare decreverat, Salernum, Amalfim Puteolosque adiit, et per Neapolim reversus circa finem anni Beneventum pervenit. Ineunte vere anni 867, congregato ad Luceriam, Apuliae urbem, universo exercitu, imperator castra movet ad oppugnandam *Barim*, principem in illis terris Arabum sedem. Arabes vero, accepto de imperatoris adventu nuntio, haud segniter obviam ei procedunt. Concurrunt exercitus hostiles, et, quod in tantis *Ludovici* copiis vix putares, exercitus Christianus vincitur, et non sine magnâ clade in fugam conjicitur [98]).

§. LXXI.

Ludovicus ubi videt, rem aliter, atque speraverat, evenisse, iter ab Apuliâ avertit Beneventumque cum exercitu revertitur. Inde ad fratrem *Lotharium*, Lotharingiae regem, legatos mittit, qui eum in belli societatem invitarent. Morem gessit fratri *Lotharius*, collectisque quam celerrime copiis, in ejus auxilium adcurrit. Neque tamen *Lotharii* copiae magno adjumento *Ludovico* fuêre. Namque maxima earum pars magni caloris,

98) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 403; Erchemperti hist. Langob. c. XXXII, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 245; Ignoti auctoris hist. rer. a Langob. gestar. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 265; Anonymi Salernit. Paralip. c. 87, 88, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 240; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. 1, c. 36, Murat. S. r. It. t. IV, p. 312.

quo regio illa laborat, impatiens, morbo dysenterico correpta fuit. Quâ lue cum multi exstinguerentur, reliqui autem perferendis belli laboribus impares essent, *Lotharius* domum reverti statuit. Igitur infecto bello, multis suorum amissis, Lotharingiam repetit [99]). Interea *Ludovicus*, etsi fratris auxilio destitueretur, bellum contra Arabes prosecutus est. In quo incepto maxime ab *Hadriano II*, summo pontifice, confirmatus fuit, qui non tantum amplissimis laudibus ejus in rem Christianorum merita efferebat, verum etiam datis anno 868 ad *Ludovicum*, Germaniae regem, literis, huno serio monebat, ne aliquo modo imperatoris terras infestaret, eâque re eum a debellandis Arabibus abstraheret. Ludovicus igitur omnem curam ad oppugnandam *Barim* intendit. Sed ut oppido illo facilius posset potiri, necessarium videbatur, circumjacentes urbes, quae in Arabum potestate erant, expugnare. Quamobrem primo Materam, munitissimam civitatem, iter dirigit, eâque expugnatâ ferro igneque grassatur. Inde Venusiam petit Canusiumque, captoque utroque oppido praesidia illic locat. In hunc modum Arabes Barenses ab occidentali parte omni praesidio atque adjumento intercluduntur, et in dies magis magisque in angustias adducuntur. Sed cum jam ad finem vergeret annus (868), imperator nil ultra molitus Beneventum cum exercitu sese recepit. Tradit quidem *Erchempertus*, *Ludovici* exercitum ad Oëriam usque, quae civitas in orientali *Baris* latere sita est, progressum fuisse, neque tamen memorat, num ea civitas tum temporis expugnata fuerit [100]).

§. LXXII.

At vero *Ludovicum* minime fugiebat, Arabes Barenses obsidionem diu toleraturos, nisi simul terrâ marique auxiliis commeatuque intercluderentur. Quae res eum haud parum sollicitum habuit, quippe cui copiae maritimae

---

99) Annal. Franc. Metens. in du Chesne Script. h. Franc. t. III, p. 310.

100) Chron. Vulturn. loc. cit. Erchemperti hist. Langob. c. XXXIII, in Murat. S. r. It. t. II, P. 1, p. 245; Ignoti auctoris hist. rer. a Langob. gestar. l. c. Leonis Marsicani Chron. Cassin. l. c.

deessent. Igitur ad *Basilium*, Graecorum imperatorem, legatos misit, qui auxilia maritima eum rogarent. Neque *Ludovici* petitionem *Basilius* adspernatus est. Ut autem quam firmissima inter utrumque imperatorem amicitia redderetur, constitutum fuit, ut *Ludovicus* filiam suam, *Hermengardam*, *Constantino*, *Basilii* filio, in matrimonium daret. Eâ re pactâ *Basilius* anno 869 quadringentarum navium classem *Barim* misit, ut urbem hanc mari clauderet oppugnaretque. Et jam consociatis duorum imperatorum viribus Arabes nequaquam diu restitissent, nisi ea societas brevi dissoluta fuisset. Cum enim *Basilii* legatus *Ludovici* filiam Constantinopolim deducere vellet, *Ludovicus*, uxoris suae, *Angilbergae*, consilio motus, promissis stare tergiversatus est. Quod factum *Basilius* indignatus, classem suam confestim a *Baris* obsidione retraxit [101]). Postquam Graecorum classis discessit, *Ludovicus Baris* obsidionem quidem prosecutus est, sed parum prospero successu. Quare adveniente hyeme oppidi illius obsidionem omisit, Beneventumque reversus est. Qui dum se recipit, Arabes Bari egressi extremum exercitus agmen adoriuntur, et amplius bis mille equorum intercipiunt auferuntque. Cum quibus, duobus agminibus factis, ecclesiam *St. Michaëlis* in monte *Gargano* petunt, eamque diripiunt, sacerdotes multosque alios mortales, qui sacrorum causâ illuc confluxerant, captivos reddunt, praedâque onusti *Barim* revertuntur. Quae clades et imperatorem *Ludovicum* et pontificem summum, *Hadrianum*, haud parum sollicitum habuit [102]).

§. LXXIII.

Insequenti anno (870) *Ludovicus* interruptam hyeme obsidionem denuo adgressus est, tantoque cum successu oppidum illud impugnavit, ut Arabes pacis conditiones offerrent, quas tamen imperator adspernatus est. Et profecto jam hoc anno *Barim* in potestatem suam redegisset [103]), nisi

101) Annal. Bertin. in du Chesne Script. hist. Fr. t. III, p. 237; Anonymi Salernit. Paralip. c. 93, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 243.

102) Annal. Bertin. l. c. Romualdi Salernit. Chron. in Murat. S. r. It. t. VII, p. 159.

103) Si Pagium in Criticâ Annalium Baronii, t. III, p. 694, audiamus,

copias suas distraxisset, partemque illarum Calabris in auxilium misisset. Namque eodem tempore ea Calabriae pars, quae Graecorum imperio parebat, ab Arabibus magnopere adflictabatur. Cujus incolae cum viderent, sibi in Graecorum imperatore nullum praesidium esse, legatos ad *Ludovicum* miserunt, qui ejus auxilium implorarent eique obsequium atque tributum pollicerentur. *Ludovicus*, etsi oppidi *Baris* oppugnatio plurimum negotii sibi facesseret, tamen adflictos Calabros haud destituendos ratus, suppetias illis duce *Ottone*, Bergami comite, misit. Is Arabes pabulantes ex improviso adortus est, magnamque illis cladem intulit. Quod cum Arabum duci, qui *Amanteum* oppidum tenebat, nuntiatum esset, contractis copiis suis, *Ottoni* obviam ivit. Commisso certamine Arabes denuo profligantur, et ad *Amantei* portas usque propelluntur. Iteratam cladem ut ulcisceretur, simulque Arabes Barenses obsidione liberaret, *Amantei* dux, acceptis ex Siciliâ auxiliis, statuit, *Ludovici* exercitum ad *Barim* collocatum in ipso Christi natali festo adoriri, sperans, illo die se Christianos, nonnisi sacris rebus intentos, facili negotio oppressurum. At vero callidum illud consilium imperator per exploratores rescivit. Quare praeparatis omnibus, quae ad excipiendum hostem necessaria visa sunt, imperator, ubi festus ille dies advenit, militum animos celebratis multo mane sacris confirmàt, eosque contra hostes educit. Qui cum dolum suum in irritum cecidisse, seque contra, quam opinati fuerant, a Christianis fortiter impugnari vident, conturbantur, multisque suorum amissis terga vertunt. Superatis in hunc modum triplici certamine Arabibus, qui Calabriam tenebant, et Christianorum exercitui animus additus, et Arabum, tam Calabrorum, quam Barensium vires spiritusque fracti sunt [104]).

---

jam anno 870 Ludovicus Bari potitus fuit. At rectius Camillus Peregrinius in hist. Princip. Langob. Murat. S. r. It. II, P. I, p. 275, oppidi illius expugnationem ad annum 881 refert.

104) Andr. Presbyt. Chron. in Menckenii Script. rer. German. t. I, p. 97, 98; Anonymi Salernit. Paralip. c. 108, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 254; Ludovici imperatoris epistola ad Basilium, Graecor. imperat. data, in Anonymi Salernit. Paralip. c. 102, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 250.

§. LXXIV.

Jam nihil amplius obstitisse putares, quo minus *Ludovicus* obsessâ jam in quartum annum *Bari* potiretur. Neque tamen defuêre impedimenta, quae oppidi illius expugnationem adhuc retardarent. Maxime autem *Ludovici* conatibus amicitia societasque obfuit, quae Arabibus cum Neapolitanis intercedebat. Etenim hi commeatu, armis aliisque rebus obsessos juvabant; quod *Ludovicus*, classe destitutus, cum prohibere vix posset, obsidionem in longum protrahi necesse erat. Neque tamen cum Barensibus tantum Arabibus Neapolitani faciebant, verum etiam aliis quibuscunque, qui per Italiam grassabantur, aderant, duces sociosque incursionum se illis praebentes, eosque, ubi repellebantur, in urbem suam recipientes. De quibus rebus *Ludovicus* in epistolâ ad *Basilium*, anno 871 datâ, graviter conqueritur [105]). Eo rerum statu *Ludovicus* omnes vires intendere statuit, ut oppido illo pertinacissimo tandem aliquando potiretur. Neque impigro labori defuit successus. Namque mense Februario anni 871 vi tandem capta fuit *Baris*, omnesque ejus propugnatores gladio interemti. Quam tamen stragem ipse Arabum dux cum duobus comitibus effugit. Is enim expugnatâ urbe in turrim quandam bene communitam sese receperat, unde *Adelchis*, Beneventanorum principis, qui imperatoris exercitui intererat, fidem gratiamque implorabat. Cujus precibus *Adelchis* eo magis animum inclinavit, quod Arabum dux *Adelchis* filiam, quam obsidem tenebat, honestissime tractaverat. Igitur *Adelchis* apud *Ludovicum* pro Arabum duce intercessit; quo facto hic cum duobus comitibus vitae incolumitatem reportavit. Quin imo ab *Adelchi* in amicitiam atque familiaritatem receptus fuit, quae res *Ludovico* mox multum negotii facessivit [106]).

105) Ludovici imperatoris epist. ad Basilium in Anonymi Salernit. Paralip. c. 106, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 252.

106) Erchemperti hist. Langob. c. 33, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 245; Anonymi Salernit. Paralip. c. 108, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 254; Andr. Presbyt. Chron. in Menckenii Script. rer. German. t. I, p. 98; Cedreni hist. Compend. t. II, p. 576, 577; Zonarae Annal. l. XVI, c. 9, t. II, p. 169—171; Constant. Porphyrog. in

§. LXXV.

Eodem tempore, quo *Ludovicus* Arabes Barenses impugnabat, *Ursus Participatius*, Venetorum dux, cum maritimis Arabum copiis decertabat.

---

vitâ Basilii Maced. ex edit. Franc. Combefisii, p. **181**, **182**. — Scriptores Byzantini *Ludovicum* in expugnandâ *Bari* a Graecorum exercitu non tantum adjutum fuisse tradunt, verum etiam primas in oppidi illius expugnatione partes Graecis deferunt. At vero, quam anno 869 *Basilius Ludovico* suppetias miserat classem, eodem adhuc anno retraxit; neque exinde repetitis auxiliis *Ludovicum* juvisse videtur; id quod etiam ex *Ludovici* ad *Basilium* epistolâ, jam saepius memoratâ, efficitur. Ex quâ epistolâ, quae ad *Baris* oppugnationem spectant, haud poenitebit protulisse: „Obstupescimus in iis, quae Serenitas Tua (imperator *Basilius*) prosequitur, dicens: Suis, i. e. Graecis, *Barim* ex parte suâ debellantibus et elidere decertantibus, nostros vel solum intuitos, vel prandiis dissolutos, nullum auxilium praestitisse, hancque ideo civitatem capi minime potuisse: cum nos, sive intuendo tantum, sive prandendo, sive aliud quid agendo, Barim tamen, licet perpauci, et fine tenus impugnasse, et ope divinâ cepisse noscamur. Vestri autem sicut bruchi multitudine apparentes, et sicut locustae primum impetum dantes, eo ipso, quo conatum suum in primâ fronte monstraverunt, pusillanimitate superati protinus infirmati sunt, et more locustarum repente quidem salierunt, sed confestim fatigati quasi a nixibus volandi deciderunt, ac per hoc, neque intuendo, neque prandendo, neque bellando quibuslibet insignibus triumphi monstratis, motu subitaneo et clandestino recesserunt, et inefficaces; nonnulli e contra, Christianis solummodo captivatis, ad propria repedarunt. — — — De paucitate vero quid miraris, si pauci fuerunt, et tamen multa lucra detulerunt? Praeterea quâ de re pauci fuerunt nostri, primum Dilectioni Tuae patefecimus; sed quoniam nos super hoc pulsasti, denuo nostrum sume responsum. Cum enim diu demorando stolo Fraternitatis Tuae illius jam minime praestolaremur adventum, et in anno ipso de obsidione Bari nihil omnino fieri putaremus, omnes ad suas aedes ire permiseramus, his solum retentis, quos ad prohibitionem alimentorum sufficere credebamus. Et hoc est, quod stolus insperatus apparens non nisi paucos

Solebant enim Arabes mare Hadriaticum percurrere, ejusque maris et litora, et naves mercatorias, si quas offenderent, praedari, unde Veneti haud parum detrimenti acceperunt. Eam injuriam cum nequaquam tolerandam censeret *Ursus*, armatis navibus Arabum classi obviam ivit. Quam ubi ad *Tarentum* deprehendit, absque morâ certamen iniit, et cum aliquamdiu fortiter restitissent hostes, tandem superior discessit. Neque tamen eâ clade Arabes deterriti sunt, quo minus sinum Hadriaticum intrarent, urbesque Dalmatiae maritimas depopularentur. Quod cum Venetis nuntiatum esset, navem cum exploratoribus in Istriam miserunt, qui Arabum itinera observarent, ne forte ex improviso ipsas Venetias adgrederentur. Quod tamen navigium a piratis Narentanis interceptum fuit, quique in eo inventi sunt Veneti, interemti. Interea Arabes *Gradum* usque progressi sunt, idque oppidum oppugnarunt. Neque tamen eo potiti sunt; namque cives Gradenses strenue repugnarunt, usque dum Venetorum classis ipsis in auxilium adcurreret. Ut primum enim Venetiarum duci nuntiatum fuit, *Gradum* ab Arabibus oppugnari, filium suum *Joannem* cum copiis maritimis oppido illi suppetias misit. Quod cum Arabes rescivissent, omissâ *Gradi* oppugnatione naves solvunt, dumque in reditu Italiae oras legunt, *Comaclum* oppidum adoriuntur atque diripiunt [107]).

---

nostros invenerit. Verumtamen isti pauci, et adhuc pauciores, quibusdam horum diverso languore gravatis, effecti, antequam *Baris* caperetur, tres *Ammireodas*, qui totam Calabriam depopulabantur, et innumeram multitudinem Saracenorum prostraverunt, et magnam vestratibus salutem divino brachio contulerunt. Quare non solum Calabritanorum Ilismaelitûm ingens ex tum facta est diminutio, sed et Barensium potentatus omnimodo dissolutus, ac per id ad capiendum facilis adinventio. Cujus facti tropbaea vestros credimus Tuo Imperio retulisse, et opera Dei, quae taceri non debent, mirabiliter enarrasse." — Anonymi Salernit. Paralip. c. 102, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 250.

107) Andr. Danduli Chron. Venet. l. VIII, c. 5, in Murat. S. r. It. t. XII, p. 184, 186. Paulo aliter auctores Byzantini, *Cedrenus Zonarasque*, incursionem hanc, in Dalmatiae oras ab Arabibus factam,

§. LXXVI.

Expugnatâ *Bari Ludovicus* exercitum victorem *Tarentum* misit, ut ex illo quoque oppido Arabes exterminaret. Etenim propositum habebat, omnem Italiam ab Arabibus vindicare; quinimo trajecto freto timendum illum Christiani nominis hostem ex *Siciliâ* quoque exturbare. Quod propositum ut perfici posset, copiis navalibus opus erat, quae Arabes commeatu auxiliisque intercluderent. Quibus copiis cum deficeretur *Ludovicus*, *Basilium*, Graecorum imperatorem, rogavit, ut in oppugnandis Arabibus justo navium numero sibi subveniret [108]). At vero *Basilius*, aegre ferens, *Ludovici* potentiam in Italiâ in dies augeri, non tantum expetito auxilio eum destituit, verum etiam omnem operam impendit, ut ejus auctoritas viresque deminuerentur. Accedebat, quod et Italiae inferioris principes *Ludovico* infensi essent. Verebantur enim, ne, si *Ludovici* potentia in illis terris nimium incresceret, ipsi principatu suo exuerentur, et *Ludovici* imperio subjicerentur. Quibus causis factum est, ut *Ludovicus* magnanimum illud

exponunt. Tradunt enim, Arabes, occupatis direptisque quam plurimis Dalmatiae oppidis, *Ragusium* etiam obsedisse. Ejus oppidi incolas, cum diu fortiter restitissent, multaque mala perpessi fuissent, tandem ad incitas redactos, legatos ad Graecorum imperatorem, *Basilium*, misisse, qui eum rogarent, laborantibus subveniret, neve in hostium, Christiano nomini infestissimorum potestatem sese redigi pateretur. *Basilium* legatorum preces exaudivisse, centumque navium classem Ragusiis in auxilium misisse. De cujus adventu cum certiores facti fuissent Arabes, confestim *Ragusium* deseruisse, eamque Italiae partem, cui Langobardiae nomen, petiisse. Illic *Barim* ab iis occupatam, terrasque circumjacentes depopulatas fuisse. — At vero constat, *Barim* jam multo ante ab Arabibus occupatam, principemque eorum in terris illis sedem fuisse, unde eam Italiae partem adsiduis incursionibus infestarent. Quae cum ita sint, nos *Dandulum*, scriptorem et in ceteris fide dignissimum, potius quam Byzantinos sequendum duximus. Vide Cedreni Compend. histor. t. II, p. 576; Zonarae Annal. l. XVI, c. 9, t. II, p. 169.

108) Ludovici ad Basilium epistola in Anonymi Salernit. Paralip. c. 107, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 253.

expellendorum ex Italiâ Siciliâque Arabum consilium non tantum non posset perficere, verum etiam gravissimum ipse mox periculum incurreret, sicuti paulo inferius enarrabitur.

Cap. VIII.

Graeci ad Ennae castrum ab Arabibus superantur; Messana, Leontini, Ragusa deditionem faciunt. Castrum Ennae in Arabum devenit potestatem. Graecorum imperator, Michaël, laborantibus Siculis Basilium auxilio mittit. Syracusae ab Arabibus expugnantur atque diripiuntur.

§. LXXVII.

Dum haec in Italiâ geruntur, Arabes, quam expugnatâ Panormo in Siciliam jam adepti erant dominationem, magis magisque stabilire, ceteraque illius insulae oppida, quae nondum ipsorum parebant imperio, in potestatem suam redigere conantur. Licet autem *Mohammed ben Abdullah*, primus, sicuti superius monitum fuit, Siciliae, dominantibus Arabibus, praefectus, parum bellicosi animi fuisse videtur (tradunt enim, haud unquam Panormo pedem extulisse), tamen ducum sibi subditorum operâ, quos per omnes insulae partes cum copiis emisit, complures urbes in ditionem suam redegit. Jam biennio postquam *Panormus* capta esset, Arabum exercitus *Ennam* petiit; quod oppidum etsi tum temporis haud fuerit expugnatum, tamen magnam ad illius moenia cladem Graecorum copiae acceperunt. Inde Arabum pars *Tauromenium* contendit, pars, duce *Alfadhl ben Jakub*, *Syracusas* versus iter dirèxit, magnamque in illâ expeditione praedam fecit; alii denique cum Graecorum *patricio*, qui Siciliae praeerat, congressi sunt, eumque nonnisi victum, vulneratum atque spoliatum dimiserunt. Neque satis habebat *Mohammed ben Abdullah* terrestribus certaminibus Graecorum adterere vires, quinimo et maritimas copias plus simplici vice emisit, quae haud sine successu cum Graecis decertarent. At vero in id praeprimis intentum habebat animum, ut munitis Siciliae locis potiretur; quare oppida, quae in montis *Aetnae* confinio sita erant, maxime vero *Catanam* et *Ennae* castrum infestari atque impugnari jussit. Ad *Ennam* infeliciter res gesta fuit; quod tamen damnum victoriâ navali resartum, quâ novem Graecorum naves ab Arabibus inter-

ceptae sunt. Haud multo post et *Ennae* obsidio prosperum habuit successum; namque reperto in propugnaculis loco minus munito, oppugnatores illic concurrunt, oppidoque arci subjecto potiuntur. Quibus rebus gestis Arabes, relictis praesidiis, onusti spoliis *Panormum* revertuntur [109]).

§. LXXVIII.

Defuncto, a. H. 223, p. Chr. 838, *Zejadat Allah* frater ejus *Alaghlab ben Ibrahim*, cui *Abu Ekal* cognomentum, in Africae imperio successit. Quo sceptra tenente, a. H. 225, plures Siciliae arces in Arabum devenerunt potestatem; in quibus *Kalta Bellota, Platanum, Corleo, Mirta* aliaeque [110]). Triennio post, *Abulabbasi Mohammedis ben Alaghlab* sub imperio, *Alfadhl ben Dschafar Alhamdani Messanam* classe adpellit, ejusque urbis portum obsidione cingit. At vero oppidani fortiter hostium incursum excipiunt; quare Arabum dux copiarum partem dimittit, ut adjacentia urbi loca diripiat, partem vero, ut e tergo oppidanos adgrediatur. Qui ubi utrinque, terrâ marique, impugnari se vident, deditionem faciunt [111]). Praeclaram victoriam et insequenti anno, H. 229, p. Chr. 844, Arabes, duce *Abbaso ben Alfadhl*, de Graecis reportarunt. Cum enim Arabes *Scharram* peterent, ejusque oppidi incolae obviam illis procederent, certamen commissum est, in quo, si *Ebn Alathiro* fides, amplius decem millia Graecorum caesa fuêre [112]). Haud multo post, a. 845, *Motuca* capta fuit; biennio inde *Leontini*, quod oppidum dolo in Arabum devenit potestatem. Petierant nempe oppidani, obsidione adflictati, auxilium a Graecorum *patricio*, qui quantocyus se illis subventurum, adventumque suum accenso in edito loco igne indicaturum promiserat. Ea res cum Arabum duci *Alfadhl ben Dschafar* prodita esset, partem copiarum in loco ab urbe remoto

109) Ebn Khaldoun hist. de l'Afrique, p. 44, 45 text. Arab.

110) Nowairii hist. Sicil. c. III; Ebn Khaldoun hist. de l'Afrique, p. 46 text. Arab. Ebn Alathir p. 111, not. 117.

111) Ebn Khaldoun, p. 50 text. Arab.

112) Ebn Alathir, p. 119, not. 125.

in insidias collocat, reliquis, qui urbem obsidebant, praecipit, ut, si forte oppidani eruptionem facerent, simulatâ fugâ ad insidiarum locum sese reciperent. Quibus ita compositis, noctu in loco edito ignem accendi jubet, quo conspecto *Leontini*, auxilia exspectata adventare opinati, ex oppido prorumpunt, fugientesque ex composito Arabes ad insidiarum locum usque persequuntur. Quo cum pervenissent, et fugientes pedem sistunt, et qui in insidiis collocati erant, proruunt, *Leontinos*que adgressi, tantam illis cladem inferunt, ut nonnisi paucissimi e manibus hostium evaderent. Hac clade acceptâ *Leontini*, pactâ vitae bonorumqne securitate, deditionem fecerunt. Insequenti anno, p. Chr. 848, et *Ragusa* Arabum so subjecit potestati; cujus oppidi incolis vita quidem concessa, sed bona direpta, oppidumque ipsum subversum fuit [113]). Talia incrementa Arabum res in Siciliâ sub auspiciis *Mohammedis ben Abdullah* cepêre; qui rerum summae per novemdecim annorum spatium praefuit, ad annum 851 usque, quo diem obiit supremum. In ejus locum Siculi *Abbasum ben Alfadhl* praefectum sibi elegerunt, quam optionem et *Mohammed ben Alaghlab*, Africae princeps ratam habuit [114]).

§. LXXIX.

Ut primum *Alabbas* munus sibi demandatum obivit, summo studio Arabum in Siciliâ imperium promovere annisus est. Neque impigris ejus conatibus defuit successus. Ac primum quidem contra castellum *Abi Thur* (*Caltavuturo*) copias eduxit; ex quâ expeditione magnam praedam multosque reportavit captivos, quos omnes occidi jussit. Haud multo post *Ennam* profectus est, ejusque oppidi agros misere devastavit, sperans, se eâ injuriâ

113) Ebn Khaldoun p. 50, 51 text. Arab. Chron. Cantabrig. in Gregorii Collect. p. 41, 42; Abulfedae Annal. Muslem. t. II, p. 178 text. Arab. — Quae hic memoratur *Ragusa* nequaquam confundenda cum *Ragusio*, notissimo Dalmatiae oppido. Erat autem *Ragusa*, de quâ nobis sermo, Siciliae castellum, quod in *Edrisii* descriptione Siciliae منيعة, *inaccessum*, dicitur.

114) Nowairii hist. Sicil. c. IV; Ebn Khaldoun p. 51 text. Arab. Abulfedae Annal. Muslem. t. II, p. 190 text. Arab

praesidia Graecorum e castello eliciturum; quae tamen spes falsum eum habuit. Nihilo tamen minus a. H. 238, p. Chr. 853, magnâ militum manu eodem reversus est, vastatisque locis circumjacentibus, *Catanam*, *Syracusas*, *Ragusam Buteram*que contendit, et ubique ferro et igni grassatus est. Longum esset singula enumerare loca, quibus procedente tempore *Alabbas* potitus est; sufficiat monuisse, eum a. H. 242, p. Chr. 856, quinque castella expugnasse, et biennio post etiam *Ennae* castrum, quod toties frustra impugnatum fuit, in Arabum potestatem redegisse [115]). Erat autem *Ennae* castrum et naturâ et arte munitissimum; quare opulentissimi quique Syracusanorum, quod Syracusis se minus tutos fore existimarent, et sedem et bona sua in castrum illud transtulerant. Sed eandem propter causam et Arabibus nil magis in votis erat, quam, quocunque modo firmissimo illo atque opulentissimo loco ut potirentur. Igitur *Alabbas* anno 858 copias suas ad oppugnandum *Ennae* castrum eduxit. Verum non sine magno labore, magnâque et temporis et hominum jacturâ castrum illud expugnari potuisset, nisi casus secundus Arabes adjuvisset. Cum enim vicina *Ennae* loca Arabum copiae praedarentur, inter cetera et hominem quendam intercepêre, quem *Alabbas* trucidari jussit. Qui ut imminentem sibi mortem effugeret, *Abbaso* pollicitus est, si vitae suae parceretur, se Arabes in castrum *Ennae* introducturum. Accepit conditionem *Alabbas*, adsumtisque millo equitibus et septingentis peditibus, noctu, duce captivo illo, *Ennam* versus profectus est. Ad quod oppidum cum jam propius accessisset, promtissimi quique ex agmine eliguntur, et cum duce praemittuntur, reliqui maximo cum silentio sequuntur. Ubi ad montem, in quo situm erat *Ennae* castrum, perveniunt, qui praemissi fuerant, ab antesignano suo ad praeruptissimum locum, qui ab oppidanis minus custodiebatur, ducuntur, eumque admotis scalis escendunt. In eo loco muros castri aquaeductus trajiciebat, per quem Arabes multo mane irrepunt, caesisque excubiis portas effringunt; quo facto reliquum agmen, quod subsecutum erat, in castrum irruit, magnâque strage editâ illo potitur. In hunc modum validissimum illud *Ennae* castrum die 24

115) Ebn Alathir p. 122, not. 130; Ebn Khaldoun p. 51 text. Arab.

Januarii a. 859 in *Abbasi* pervenit potestatem; quo expugnato nil amplius obstare Arabibus potuit, quo minus universam Siciliam in suam redigerent ditionem [116]. Eodem fere tempore, quo *Alabbas Ennae* castro potitus est, et frater ejus *Ali* insignem victoriam navalem reportavit. Namque Graecorum imperator adflictis Siculis quadraginta navium classem suppetias miserat, quâcum Arabes haud procul Syracusis certamen inierunt, eâque profligatâ decem naves interceperunt [117]. Duplex haec, et mari et terrâ, victoria haud parum ferociae Arabibus Siculis addidit, omneque *Abbasi* studium in promovendis dominationis suae finibus positum fuit. Et profecto magnas adhuc res gessisset, nisi brevi post, anno videlicet 861, morte interceptus fuisset [118].

§. LXXX.

Defuncto *Abbaso* Arabes Siculi *Ahmedem ben Jakub* praefectum sibi elegerunt, quae tamen electio in irritum cecidisse videtur, siquidem paulo post *Abdullah*, *Abbasi filius*, Siciliae praeficitur. Verum et *Abdullah* non ultra V menses summae rerum praefuit. Credibile est, ejus optionem Cairawani principi, *Ahmedi*, minus adrisisse. Is enim vix elapsis V mensibus *Chafadscham*, *Sofiani filium*, ex Africâ in Siciliam misit, ut insulam hancce administraret. Qui simul atque eo pervenit, *Abbasi* vestigia premens, bellum oppidis illis intulit, quae nondum Arabum imperio parebant. Ejus operâ *Neetum* expugnatum fuit anno 864. Neque tamen ex animi sententiâ ditionis suae fines proferre potuit. Namque Graecorum imperator, *Michael*, laborantibus Siculis *Basilium* cum copiis in auxilium misit, cujus ope Arabum impetus aliquantum repressi, *Neetum*que et *Ra-*

---

116) Nowairii hist. Sic. c. V, in Gregorii Collect. Abulfedae Annal. Muslem. t. II, p. 190 text. Arab. Ebn Khaldoun p. 52 text. Arab. Chron. Cantabrig. p. 42, in Gregorii Collect.

117) Ebn Alathir p. 123, not. 131; Ebn Khaldoun p. 52 text. Arab. Nowairii hist. Sic. c. V.

118) Nowairii hist. Sic. l. c. Ebn Khaldoun p. 53 text. Arab.

gusa recuperatae fuere. Quin imo etiam ***Ennae*** castrum acriter a Graecis oppugnatum fuit; in quo defendendo ***Chafadschah*** et strenui ducis, et militis impigri partes implevit. Neque tamen ejus virtutem aequavit fortuna; accidit enim, ut in certamine quodam, fortissime pugnans, ab hostibus obrueretur, captivusque redderetur. Tanti viri jacturam aegerrime ferentes Arabes cum Graecorum duce de redimendo illo egerunt, convenitque inter utrosque, ut Arabes sex et triginta millia aureorum Byzantinorum pro ducis sui liberatione penderent; quo pretio soluto ***Chafadschah*** in libertatem restitutus fuit. Neque tamen fata superstitem diu voluerunt; namque die XV Junii anni 869 ab exercitus sui milite, cui nomen ***Chalfun ben Abi Zejad***, ex improviso invaditur atque occiditur. Occiso ***Chafadschae*** filius ejus ***Mohammed*** ab Arabibus Siculis sufficitur, quam optionem ratam habuit Cairawani princeps, ***Abu Abdullah Mohammed***. Sed haud meliori, quam pater, fortunâ usus est filius. Etenim d. XXVII Maji, anno 871, a servis suis eunuchis, factâ conjuratione, interficitur [119]).

§. LXXXI.

Interfecto ***Mohammede, filio Chafadschae***, brevi temporis spatio pluribus praefectis Sicilia subjecta fuit. Namque Arabes Siculi ***Mohammedem ben Abilhosain*** praefectum crearunt, quem tamen Cairawani princeps non admisit, inque ejus locum ***Rabbachum ben Jakub*** substituit. Is autem vix inito munere vitâ decessit, ad finem vergente anno 871. Deinde ***Abulabbas ben Jakub*** Siciliae praefecturam accepit, quâ tamen, morte interceptus, non ultra mensem functus est. Hunc sequitur frater ejus, cui brevissimis intervallis ***Hosain ben Rabbach, Abdullah ben Mohammed***, nec non ***Ahmed ben Jakub***, cognomine ***Habaschi***, succedunt. Is regiâ Aghlabidarum stirpe oriundus, Siciliae praefecturam anno 873 auspicatus est, eamque strenuissime gessit [120]). Inter res memorabiles, quae ejus ductu

119) Nowairii hist. Sic. c. V. Abulf. Annal. Muslem. t. II, p. 206 text. Arab. Ebn Khaldoun p. 53 — 55 text. Arab.

120) Nowairii hist. Sic. c. V. Abulf. Annal. Muslem. t. II, p. 240 text. Arab. — Si ***Nowairium*** audiamus, ***Ahmed ben Jakub Alhabaschi***

atque auspiciis ab Arabibus in Siciliâ gestae fuere, primo loco ponenda *Syracusarum* expugnatio. Jam praeter *Syracusas Tauromeniumque* omnia fere Siciliae oppida Arabum imperio parebant. Quare omnem curam in id intendebant Arabes, ut utrumque illud oppidum expugnarent, eoque facto universâ Siciliâ potirentur. Maxime vero *Syracusas* adpetebant, quod ea civitas et nobilissima et opulentissima totius Siciliae esset. At vero non sine magno labore urbs illa expugnari potuit; namque et operibus et viris munitissima erat. Neque tamen ea res *Ahmedem* deterruit, quo minus *Syracusas* adgrederetur. Igitur anno 877 terrâ marique urbem obsedit. Oppidani autem, et suis opibus confisi, et a Graecorum imperatore sese adjutum iri sperantes, omnibus viribus resistere, et extrema potius experiri, quam deditionem facere statuerant. Verum enim vero omnis, quam in Graecorum imperatore posuerant, spes atque fiducia in irritum cecidit. Miserat quidem imperator *Basilius Hadrianum*, patricium, cum auxiliis in Siciliam; verum is, vel quod naves suas Arabum classi impares putaret, vel quod ignaviâ certamen cum hostibus detrectaret, ad Peloponnesum classem adpulit, ibique, tempestatem navigationi iniquam causans, commoratus est. Interea Syracusani ab Arabibus graviter adflicti fuere. Omni commeatu cum intercluderentur, mira annonae caritas famesque ingruit. Jam tritici modius centum et quinquaginta, imo ducentis aureis vendebatur. In tantâ omnium eduliorum inopiâ atque caritate vulgus hominum herbis, corio ossibusque vescebatur. Ossa namque contundebantur atque molebantur, quaeque inde redibat farina aquâ adspergebatur, inque eum modum comedebatur. Nonnulli sordidissimas quasque res devorabant, quinimo humanas etiam carnes comesas fuisse tradunt. Famem saevissima pestis

Siciliae praefecturam per XXVI annorum spatium gessit. Cui tamen temporis notationi non consentit *Ebn Alathir*. Hoc namque auctore jam anno H. 267, p. Chr. 880, septennio postquam *Ahmed ben Jakub* Siciliae praefecturam auspicatus esset, *Alhasan ben Alabbas* ejusdem insulae praefectus constitutus fuit; quem brevius temporis intervallis *Mohammed ben Alfadhl*, *Hosain ben Ahmed*, nec non *Sowadah ben Mohammed ben Chafadschah Altamimi* secuti sunt.

secuta est; quo factum, ut miseris oppidanis cum tribus atrocissimis hostibus, fame videlicet, peste Arabumque gladiis dimicandum esset. Tantis obruti malis Syracusani per novem menses incredibili constantiâ atque fortitudine obsidionem eam tolerarunt; tandem die XXI Maji, a. 878, omnibus fere propugnatoribus sauciatis, magnâque munimentorum parte dirutâ, facto ab Arabibus impetu, urbs expugnatur. Tum ingens hominum strages edita, virorum maxima pars occisa, mulieres in servitutem abductae. Expugnatâ urbe, ejusdem praefectus cum selectâ manu in arcem se receperat. Sed furenti hostium impetui nequaquam par, postero die cum septuaginta commilitonibus capitur, octavoque post expugnatam urbem die capite plectitur. Triginta dies evertendis *Syracusarum* munitionibus consumti, per quod temporis spatium ipsa urbs direpta flammisque vastata fuit. In hunc modum antiquissima illa atque nobilissima Siciliae civitas pessumdata fuit, destructis etiam, quod maxime doleas, quam plurimis iisque pretiosissimis antiquitatis monumentis [121]). Inter eos, qui expugnatâ urbe victorum gladios effugerunt, memorandi nobis Syracusarum episcopus, *Sophronius*, *Theodosius*que monachus. Hi ab Arabibus capti catenisque onerati *Panormum* abducti luêre. Illic Christianorum sacris ut renunciarent, *Mohammedis*que placita sequerentur, jussi sunt, quod cum recusarent, in carcerem conjecti. In eâ captivitate *Theodosius*, quae in *Syracusarum* obsidione atque expugnatione viderat passusque erat, literis consignavit, quod monimentum ad nostram usque aetatem superavit. Haec dum in Siciliâ geruntur, *Hadrianus*, quem Graecorum imperator Syracusanis in auxilium miserat, in Peloponneso adhuc moratur. Qui ubi *Syracusas* ab Arabibus expugnatas audit, illico cum classe *Constantinopolim* revertitur. Verum delicti sui sibi conscius, justasque ignaviae poenas metuens, ut primum adpulit, supplex in

121) Nowairii hist. Afric. dynast. Aghlabid. in Gregorii collect. p. 11, nota b; Ebn Khaldoun, p. 127, n. 140; Chron. Cantabr. p. 42; Cedreni hist. Compend. t. II, p. 585, 586; Leonis Grammatici Chronograph. ex edit. Franc. Combefis, p. 472; Theodosii Monachi epistola de Syracusar. expugnatione, in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 257 — 265; Cardonne hist. de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. 27.

templum confugit. Neque tamen ea supplicatio poenâ eum liberavit. Namque templo extractus, in exilium ejectus fuit [122]).

Cap. IX.

Ludovicus ab Adelchi, Beneventi principe, in custodiam datur. Arabes Salernum obsident, quâ tamen obsidione, a Ludovici exercitu iteratâ vice victi, desistunt. Ludovicus diem supremum obit. Arabes provinciam Beneventanam agrumque Romanum populantur; ad quos impugnandos Joannes VIII, pontifex Max., Italiae principes sollicitat. Athanasius, princeps Neapolitanus, Arabes Siculos in Italiam evocat.

§. LXXXII.

Expugnatis *Syracusis* omnis spes evanuit, Siciliam Graecorum armis recuperatum, Arabesque ex insulâ illâ exturbatum iri. Ex Italiâ *Ludovici* operâ Arabes expelli potuissent, nisi et Graecorum imperator et inferioris Italiae principes, *Ludovico* infensi, ejus incepta in irritum redegissent. Infensus ille in *Ludovicum* animus *Adelchim*, Beneventi principem, eo audaciae impulit, ut imperatorem necopinantem adgrederetur, captumque in custodiam traderet. Ejus rei causa ratioque haec fere fuit. Captâ *Bari* *Ludovicus* maximam exercitus sui partem ad oppugnandum *Tarentum* misit, ipse cum paucis copiis *Beneventum* reversus est. In quo oppido dum morabatur, comites ejus militesque insolentius se gerere, oppidanosque multis modis vexare. Quae res *Adelchim* haud parum contra *Ludovicum*, nimis in suos indulgentem, irritavit. Accedebat, quod et Graecorum imperator, qui *Ludovici* in Italiâ potentiae invidebat, *Adelchim* ceterosque Italiae principes in Francos eorumque imperatorem incitaret. Fortasse etiam (quod auctores nonnulli tradunt) Arabum Barensium dux, quem expugnatâ *Bari* captum *Ludovicus Adelchi* indulserat, principi Beneventano consilium invadendi imperatoris dederat. Id certe constat, *Adelchim* homine illo familiarissime usum fuisse, consiliaque sua saepius cum illo communicasse. His igitur permotus causis *Adelchis Ludovico* insidias parat. Quem

122) Cedreni hist. Comp. t. II, p. 586.

ut eo facilius opprimere posset, se eius observantissimum simulat, eique persuadet, ut, quos *Beneventi* secum haberet milites, in urbes vicosque circumjacentes collocaret, ne scilicet Beneventani nimio onere premerentur. Quod cum *Ludovicus* fecisset, et, praeter stipatores, omnes milites *Benevento* dimisisset, *Adelchis*, mense Augusto anni 871, cum selectâ manu imperatorem, nil mali suspicantem, invadit. *Ludovicus* repellendis conjuratis impar, in turrim praealtam firmiterque munitam se recipit, inque eâ per triduum hostibus resistit. Sed deficientibus deinde alimentis, deditionem facit, captusque ab *Adelchi* in custodiam traditur. In hunc modum imperator, quem tutorem suum colere debuissent Italiae inferioris principes, hostis instar habitus fuit, quae res eum a consilio expellendorum ex Italiâ Siciliâque Arabum avocavit [123]).

§. LXXXIII.

Haud multo post *Adelchim* commissi in *Ludovicum* facinoris poenituit. Namque expugnatâ *Bari* Arabes ab Africae principe auxilia expetiverant, nuntiusque ferebatur, ingentem classem ex Africâ Italiam petere. Hoc nuntio accepto *Adelchis* metuens, ne et cum Arabibus et cum *Ludovici* copiis dimicandum sibi esset, optimum ratus est, imperatorem ex custodiâ dimittere. Quod priusquam faceret, imperatorem jurejurando obstrinxit, ne unquam earum rerum causâ, quae sibi *Beneventi* evenissent, ultionem exigeret. Id jusjurandum cum praestitisset imperator, in libertatem restitutus est [124]). Interea Arabum classis, vergente anno 871, ex Africâ

123) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 403; Erchemperti hist. Langob. c. XXXIV, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 245; Anonymi Salernit. Paralip. c. 109, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 255; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 36, Murat. S. r. It. t. IV, p. 313; Annal. Francor. Metens. du Chesne S. H. Fr. t. III, p. 313; Constant. Porphyrog. in vitâ Basilii, p. 182, 183; Cedreni hist. Compend. t. II, p. 577—578; Zonarae Annal. l. XVI, c. 9, t. II, p. 169—171.

124) Joannis Diacon. Chron. episcopor. Neapolit. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 317; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 36, Murat. S. r. It. t. IV, p. 313.

cum triginta bellatorum millibus solvit, rectâque *Salernum* tendit. Neque tamen incautos offendit Salernitanos. Etenim Arabs quidam, cui Salerni princeps, *Guaiferius*, jam ante gratum qnid fecerat, cum intelligeret, populares suos *Salernum* invasuros, *Guaiferium* de periculo, quod ipsi immineret, certiorem fecit. Igitur *Guaiferius* quam potuit firmissime *Salernum* munit, inque ceteris urbis munitionibus tres robustissimae exstruuntur turres, quarum unam ipsi Salernitani, alteram Campani, qui tum temporis *Salerni* principibus parebant, tertiam Tusci, qui exercendae mercaturae causâ *Salerni* degebant, erigunt. Mittuntur praeterea legati *Beneventum*, qui *Adelchim* in auxilium vocarent. Neque Beneventi princeps cessavit, copias suas cum Salernitanis contra communem hostem consociare. Visum fuit initio Salerni Beneventique principibus, patenti campo cum Arabibus, qui jam Calabriam superiorem populabantur, decertare. Cum vero rescivissent, se copiarum numero ab hostibus longe superari, statuerunt, in oppida munitissima sese recipere, ibique contra hostium impetum se defendere. Quare *Guaiferius* cum copiis suis *Salernum*, *Adelchis* vero *Beneventum* repetiit. Paulo post Arabum exercitus castra ad *Salernum* locavit, idque oppidum obsidione clausit. *Guaiferius* impavido animo hostes excipit, et nunc ex muris, nunc factâ ex improviso eruptione, haud parum detrimenti illis infert. Verum in tantâ hostium multitudine, deficientibus praeterea magis magisque in dies alimentis, facile erat intellectu, urbem in hostium potestatem cessuram, nisi tempestivo auxilio juvaretur. Non fugit ea res *Guaiferium*, sed non liquebat, unde auxilium expetendum esset. Namque et finitimae civitates Neapolitanorum, Campanorum atque Beneventanorum ab Arabibus infestabantur, neque arcendo a finibus suis hosti pares erant. Eo rerum statu ad *Ludovici* opem sibi confugiendum esse *Guaiferius* censuit. Igitur *Petrum*, cognatum suum, filiumque *Guaimarium* ad *Ludovicum* legatos misit, qui miseram *Salerni* conditionem imperatori exponerent, ejusque auxilinm implorarent. At vero *Ludovicus*, quod *Guaiferium* socium facinoris, ab *Adelchi* in se commissi, putaret, non tantum auxilium expetitum recusavit, verum etiam legatos comprehensos in custodiam tradidit. Quod ubi Salernitanis nuntiatum fuit, adeo animum desponderunt,

ut jam de deditione faciendâ cogitarent. In tanto discrimine Amalfitanorum dux, *Marinus*, veritus, ne, si *Salernum* ab Arabibus caperetur, suae quoque civitati exitium immineret, quocunque posset modo urbi laboranti subvenire statuit. Quare, cum nullâ magis re, quam commeatu, indigerent Salernitani, naves alimentis onerari easque clam *Salernum* transvehi iussit. Quod cum prospere cessisset, Salernitani aliquantulum recreati sunt, ita ut obsidionem diutius possent sustinere [125]).

§. LXXXIV.

Inter haec et *Landulphus*, Capuae episcopus, *Ticinum*, quo loco *Ludovicus* eo tempore versabatur, adiit, impensiusque imperatori supplicavit, laborantibus Salernitanis opem ut ferret. *Ludovicus* gravibus viri querelis precibusque tandem victus, contractis copiis Campaniam petit. Ubi *Patenaram*, Campaniae locum, pervenit, a diversarum civitatum legatis excipitur, certiorque redditur, omnem Arabum exercitum in tria agmina divisum esse, quorum unum, X millibus armatorum conflatum, ad *Capuam*, alterum ejusdem numeri ad *Beneventum*, tertium ad *Salernum* positum esset. Quo nuntio accepto, comes *Gontharius*, *Ludovici* nepos, adolescens bellicosissimus, imperatorem rogavit, liceret sibi illud Arabum agmen, quod ad *Capuam* positum erat, invadere. Aegre tantum imperator *Gontharii* votis satisfecit, quasi praesagivisset, immoderatum adolescentuli ardorem in perniciem ipsi versurum. Igitur *Gontharius* cum imperatorii exercitus parte, cui et Campani se junxerant, Arabes ad *Capuam* positos adgreditur. Postquam utrinque aliquamdiu fortiter pugnatum fuisset, Arabes funduntur atque fugantur. Magna eam victoriam secuta est Arabum clades, adeo ut ex X hominum millibus vix mille evasisse, reliqui occubuisse ferantur. Quod etsi vix videatur credibile, constat tamen, plurimum detrimenti in eo cer-

---

125) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. **403**; Erchemperti hist. Langob. c. XXXV, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. **246**; Anonymi Salernitani Paralip. c. **110 — 117**, Murat. S r. It. t. II, P. II. p. **255 — 260**.

tamine Arabibus illatum fuisse. Verum et Christiani haud paucos suorum amiserunt, in quibus etiam copiarum dux, cujus occasum maxime *Ludovicus* doluit. Eâdem fortunâ et ad *Beneventum* pugnatum fuit. Namque et illuc imperator partem exercitus sui miserat, quae unâ cum Beneventanis, *Adelchi* duce, Arabes in loco, cui *Mamma* nomen, adoritur, eosque, tribus fere millibus occisis, devincit. Duplici hac victoriâ, vergente anno 872 partâ, *Ludovicus*, ineunte anno 873, *Capuam* adiit. Quod cum Arabes, qui *Salernum* obsidebant, resciscerent, haud leviter perculsi sunt, veriti, ne jam cum omnibus copiis suis imperator ipsos adgrederetur, gravioremque acciperent cladem, quam ad *Capuam Beneventum*que socii sui acceperant. Igitur statuerunt, omissâ *Salerni* obsidione, in naves sese recipere, priusquam imperatoris exercitus superveniret. In quam sententiam cum belli dux, *Abu Malek*, transire nollet, contra, constanter urbem ut oppugnarent, Arabes hortaretur, hi, seditione conflatâ, ducem invadunt, vinctis in terga manibus in navem detrudunt, sublatisque castris propere ab urbe discedunt. In eâ fugâ Arabes multam supellectilem, magnamque tritici hordeique vim reliquerunt, quam tamen Salernitani, simulatam fugam illam, dolumque aliquem subesse existimantes, igne injecto temere perdiderunt. Neque tamen protinus Arabes ex Italiâ discesserunt. Verum per Calabriam iter facientes caede atque rapinis grassati sunt. Id eo facilius tutiusque facere poterant, quod Calabria et omni Graecorum praesidio nudata esset, et illius terrae incolae in diversas partes scinderentur, gravesque inter se inimicitias exercerent. Tandem expleti rapinis naves conscenderunt, domum reversuri. Sed in eo reditu adversâ fortunâ usi sunt; namque obortâ tempestate magnus navium hominumque numerus undis submersus fuit [126]).

126) Jo. Diaconi Chron. episcopor. Neapolit. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 318; Chron. Vulturn. Erchemperti hist. Langob. Leonis Marsic. Chron. Cassin. locis citatis; Anonymi Salernit. Paralip. c. 118—121, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 260—263; Chron. Cantabr. ad A. 872, in Gregorii collect. p. 42. — Constantinus Porphyrog. in vitâ Basilii Macedonis, p. 183, 184, tradit, Arabes Graecorum metu Beneventi Capuaeque obsidionem intermisisse inque Africam reversos fuisse. Sed

§. LXXXV.

Insigni huic, quam de Arabibus reportaverat, victoriae haud diu superstes fuit *Ludovicus*. Namque biennio post, anno 875, ad *Brixiam* diem obiit supremum. *Ludovici* morte Arabum in Italiâ animus opesque denuo increvêre. Etenim *Carolus*, cui *Calvi* cognomentum, *Ludovici* in Italiae regno successor, illius regni negotia parum curabat; ipsi autem Italiae principes Arabum potentiae nequaquam pares erant. Jam superius memoratum fuit, *Ludovicum*, expugnatâ *Bari*, maximam exercitus sui partem *Tarentum* misisse, ut ex eo quoque oppido Arabes exturbaret. Sed exorto deinde inter *Ludovicum* et *Adelchim*, Beneventi principem, dissidio, *Tarenti* obsidio soluta fuit, quae res plurimum *Adelchi* intulit detrimenti. Dum adhuc in vivis esset *Ludovicus*, Arabes Tarentini timidius quidem agebant; sed simul ac de vitâ decessisset imperator, audacius proruperunt, et maxime *Baris Cannarum*que agros invaserunt atque diripuerunt. Haud quidem *Adelchis* cessavit, illorum incursionibus obviam ire, tribusque vicibus in Apuliae finibus cum iis conflixit; sed parum prospero successu. Neque tamen haec summa malorum fuit, quae *Adelchi* ab Arabibus illata fuêre. Mox graviora damna passa est terra Beneventana. Namque anno 876 Arabibus Tarentinis magna auxiliorum manus ex Africâ supervenit, quae simul atque in terram escenderat, fluminis instar per universam terram Beneventanam se effudit, inque ceteris *Beneventum*, *Telesam Alifam*que graviter adflixit. Tantis malis ut occurreret *Adelchis*, denuo proelio decertavit; sed iterum superatus, eâ demum conditione pacem reconciliavit, ut Arabum Barensium ducem, quem expugnatâ *Bari* captum retinebat, in libertatem restitueret. Quo facto Beneventanorum quidem finibus Arabes pepercerunt, neque tamen a vicinâ Apuliâ abstinuerunt. Quare Barenses veriti, ne iterum in Arabum inciderent potestatem, cum a Beneventanis nihil

---

nullus auctorum, quos laudavimus, Graecis vel minimam in hoc bello partem tribuit. Quare crediderim, Constantinum immeritam popularibus suis laudem vindicare voluisse, id quod in scriptorum Byzantinorum historiâ haud raro depreheuditur.

auxilii possent exspectare, *Gregorium*, Graecorum ducem, qui Hydrunti cum copiis versabatur, *Barim* invitarunt, ut oppido illi praesidio esset. Accepit conditionem *Gregorius;* sed hostium magis, quam amicorum instar Barenses tractavit. Namque ut fides eorum sibi constaret, urbis praefectum ceterosque primores *Constantinopolim* obsides misit. Quo autem Arabum incursiones facilius Graeci reprimere possent, Salernitanos, Neapolitanos, Amalfitanos, Campanos Cajetanosque in auxilium vocarunt. Neque tamen omnium quisquam illorum petitioni morem gessit; satius namque visum fuit, pacem cum Arabibus exercere, quam eorum arma experiri [127]).

§. LXXXVI.

Verum non satis habuêre Salernitanorum, Neapolitanorum ceterorumque, quos memoravimus, civitates, pacem cum Arabibus coluisse; quin imo, composito foedere, excursionum, quas illi faciebant, socii, vel etiam duces fuêre. Junctis igitur armis utrique, et Christiani et Arabes, Romanorum maxime fines invadebant atque diripiebant. Quae res *Joannem VIII*, pontificem maximum, admodum sollicitum habuit. Neque enim Romani ingruentibus hostibus pares erant, neque ab imperatore *Carolo* auxilia impetrari poterant. Ipse enim *Carolus*, acceptâ *Romae* dignitate imperatoriâ, habitisque *Ticini* ad constituendas Italiae res comitiis, in Galliam reversus erat, indeque cum Germaniae rege, *Ludovico*, ejusque filiis controversias exercebat. In Italiâ *Bosonem*, conjugis suae fratrem, vicarium reliquerat, qui tamen publicis negotiis minus, quam propriis intentus erat. Hunc imperatoris vicarium *Joannes VIII* frequentibus literis obsecrabat, ut adflictis Christicolis auxilium ferret; sed adeo gravissimas summi pontificis querelas precesque Boso negligebat, ut non tantum nullo auxilio eum juvaret, verum etiam vix operae pretium existimaret, ad summi pontificis literas rescribere,

127) Chronicon Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 403; Erchemperti hist. Langob. c. XXXVIII, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 246; Anonym. Salernit. Paralip. c. 123, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 264.

et negligentiam suam aliquo praetextu excusare [128]. ***Joannes*** ubi videt, preces suas a ***Bosone*** parvi aestimari, ipsum imperatorem ad bellum contra

---

128) Joannis VIII, pontificis M., epistolae I, IV, in du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 867, 868. — Ut adpareat, quantas in angustias *Joannes VIII* Arabum incursionibus adductus fuerit, liceat ex epistolâ IV, ad ***Bosonem*** datâ, sequentia depromere: „Saepe gloriam Tuam (Bosonem) missis, et literis hortari ac deprecari studuimus, ut manum auxilii porrigens, contra nefandos ***Saracenos*** hostiliter occurrere tandem satageret; sed, pro dolor, nihil hactenus praesidii adipisci meruimus, adeo, ut nec responsum, sicut nec de aliis quibusque necessitatibus, a nobilitate tuâ recipere hucusque noscamur. Quapropter nimis dolentes gementesque iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur et obsecramus, ne differas ultra, nec patiaris populum Domini ab illis divinitus fulminandis ***Agarenis*** discerpi; qui operuerunt universam superficiem terrae, sicut locustae, ita ut pene cunctis habitatoribus inde sublatis, et in praedam et in gladium traditis, redacta sit in solitudinem et in cubilia bestiarum, et (quod est adhuc amplius formidandum atque cavendum) certâ relatione didicerimus, stolum amplissimum in primo ad expugnandam urbem venturum, i. e. C naves, ex quibus cum equis sunt XV grandes. Quod quam ingens malum et incomparabile sit, si intente consideraveritis, advertetis.; perditio enim istius urbis totius est mundi dispendium, imo et ipsius Christianae religionis jactura, et ideo (secundum quod et spiritualis filius noster semper Augustus necessario tuae commisit industriae) omnium ceterarum rerum curis omissis, hoc vos convenit toto considerare mentis intuitu, et ad auxilium nostrum non modicum exercitum quantocius destinare. Si enim vestrum divinitus roboratum nobis non porrigitis validum et amplum confestim auxilium, scitote, nihil amplius remanere, nisi ut, nobis a vobis desperatis dimissis, vobis etiam ab hac sanctâ ecclesiâ nulla spes ultra remaneat. Porro si in praesenti necessitate nobis aptum et sufficiens praebueritis auxilium, et, nihil differentes, populo Dei, beato Petro speciali praerogativâ commisso, subvenire statueritis: scitote in omni opportunitate vestrâ tanto nos fore promtiores, quanto fuerimus redditi ab hoste securiores. — — — Similibus querelis etiam ***Joannis*** ad ***Carolum***

Arabes suscipiendum sollicitat. Sed *Carolum* aliae detinebant curae, quo minus pontifici maximo morem gereret. Ut tamen aliquid fecisse videretur, *Lamberto*, Spoleti duci, ejusque fratri *Guidoni* mandat, ut pontificem M., quantum possent, juvarent. Sed facile erat intellectu, Spoleti ducem contra Arabes eorumque socios Christianos parum effecturum. Igitur vix aliquod praesidium superesse videbatur, nisi quod Salerni, Neapolis ceterarumque civitatum principes, qui cum Arabibus sese consociaverant, ab eâ societate revocarentur, quin imo, si fieri posset, contra Arabes incitarentur. Quod ut perficeret *Joannes*, ineunte anno 877, comitantibus eum *Lamberto* atque *Guidone*, Salernum Neapolimque profectus est. Neque in irritum ejus conatus cecidêre. Etenim *Guaiferius*, Salerni princeps, illico Arabibus societatem renuntiavit; utque pontifici M. animi sui in eum propensi testimonium exhiberet, quam plurimos Arabum, qui *Salerni* degebant, trucidari jussit. Minus facilem pontifex M. Neapolitanorum ducem, *Sergium II*, invenit. Is enim, maxime *Adelchis*, Beneventanorum principis, consilio usus, neque precibus, neque monitis, neque minis adduci poterat, ut a foedere, quod cum Arabibus inierat, descisceret. Quae pertinacia pontificem M. permovit, ut excommunicationis poenâ eum adficeret. Ea res *Sergio* exitio fuit. Namque frater ejus, *Athanasius*, episcopus Neapolitanus, homo subdolus et dominandi cupidissimus, et cupidini suae et pontifici M. gratificaturus, *Sergium* prehendi oculisque privari jussit. Quo facto Romam eum misit, quo in loco infelicissimus ille paulo post animam misere efflavit. *Athanasius*

---

imperatorem epistolae refertae sunt. Vide Joannis VIII epist. VIII, XII, XIV, XVIII. In epistolâ XII, IV Id. Febr. a. 877 datâ, inter cetera haec quoque habentur: „Totâ Campaniâ ab ipsis Deo odibilibus *Saracenis* funditus devastatâ, jam fluvium, qui a Tiburtinâ urbe Romam decurrit, furtim transeunt, et tam Sabinos, quam sibi adjacentia loca praedantur, Sanctorum quoque basilicas et altaria destruxerunt, sacerdotes et sanctimoniales, alios quidem captivos duxerunt, alios autem variis mortibus necaverunt, et omnem Christi sanguine redemtum populum in circuitu deleverunt. Du Chesne S. h. Fr. t. III, p. 874.

vero, fraterni parricidii praemium, Neapolis principatum summique pontificis plausum retulit [129]).

§. LXXXVII.

Sed non diu *Athanasius* in pontificis M. officio gratiâque permansit. Namque ut primum Neapolis principatum adripuit, pacem atque amicitiam cum Arabibus colere coepit. Intelligebat enim, iucepta sua, doli atque ambitionis plena, optime cessura, si Arabes amicos sociosque haberet. Quare illorum excursionibus, in diversas Italiae partes, maxime Salernitanorum Romanorumque agros factis, non tantum obviam non ibat, verum etiam clam eos juvabat, praedaeque reportatae partem sibi vindicabat. Quae res summi pontificis indignationem eo magis movit, quo minus *Athanasium*, quem sui observantissimum putaverat, talem agendi rationem secuturum existimabat. Igitur initio per legatos *Athanasium* a societate, quam cum Arabibus iniverat, avocare conatus est. Quod cum parum succederet, ipse pontifex M. a. 881 Neapolim profectus est, ut hominem pervicacem ad meliorem frugem reduceret. Sed in cassum omnis admonitio omnesque minae abiêre. Quare, sicuti paucis annis ante *Sergius*, ita nunc *Athanasius* excommunicationis poenâ adficitur.. Sed parum pontificis M. iram, inflictamque sibi excommunicationis poenam *Athanasius* curabat. Contra, ut illum ludificaretur, seque ipsum ab omni vi tutum redderet, validam Arabum manum ex Siciliâ arcessivit, eamque ad montis Vesuvii radices collocavit. Sed ea res secus, atque speraverat *Athanasius*, cecidit. Namque Arabes Neapolitanis non praesidio, verum oneri atque detrimento fuêre. Hostium instar, quaecunque libido ferebat, hospitibus suis extorquebant, et quidquid in agro Neapolitano deprehendebant, fruges, pecora, mulieres rapiebant.

---

129) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 403; Erchemperti hist. Langob. c. XXXIX, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 247; Anonymi Salernit. Paralip. c. 123, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 264, 265; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 40, Murat. S. r. It. t. IV, p. 315.

Quae cum aliquamdiu sustinuisset *Athanasius*, tandem tantorum pertaesus incommodorum, Salernitanos Campanosque obsecrat, ut sibi contra oppressores suos auxilium ferrent. Adnuit afflicti precibus *Guaimarius*, Salerni princeps, ejusque ope contigit *Athanasio*, ut Arabes e viciniâ suâ amoveret; qui, relicto Vesuvio, Acropolim petierunt, ibique castra metati sunt [130]).

Cap. X.

Arabes ad Garilianum considunt; S. Vincentii ad Vulturnum, Sanctique Benedicti in monte Casinate coenobia vastant; ad S. Severinam a Graecia, ad Garilianum a Spoletinis profligantur. Arabes Hispani Fraxinetum occupant, vicinaque loca depopulantur. Atenulphus Arabes Gariliano exturbare conatur; quod inceptum Joannes X, pontifex M., Berengarii Leonisque imperatorum auxilio perficit.

§. LXXXVIII.

Eodem fere tempore, quo inter pontificem M. et *Athanasium* inimicitiae exercebantur, et inter *Pandenulphum*, Capuae comitem, *Docibilem*que, Cajetae praefectum, controversiae exortae sunt; quibus effectum est, ut Arabes ad *Garilianum* fluvium considerent, quo in loco ultra XXX annos commorati, multa damna terris populisque vicinis intulerunt. Ea autem res in hunc modum gesta narratur. *Pandenulphus*, Capuae comes, *Joannem VIII*, cui se totum dediderat, rogavit, ut *Cajetam*, quae tum temporis pontifici M. parebat, suae committeret dominationi. Adnuit huic petitioni *Joannes*, licet *Cajeta* jam *Docibili*, praefecto, subjecta esset. At vero *Pandenulphus*, ut auctoritatem suam contra *Docibilem* tueretur, mirum in modum Cajetanos vexare coepit. Quam iniquam civium suorum sortem aegre ferens *Docibilis*, Arabes *Acropoli* degentes in auxilium vocat. Illi, promtissimo animo vocationem secuti, *Fundos* primum veniunt, ejusque oppidi

---

130) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 404; Erchemperti hist. Langob. c. 44, 49, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 248, 249; Anonymi Salernit. Paralip. c. 132, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 271; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 40, Murat. S. r. It. t. IV, p. 315.

vicina populantur. Deinde *Cajetam* descendunt, inque collibus Formianis castra locant. Quod ubi pontifex M. comperit, poenitet eum, quod *Pandenulphi* dominationi Cajetanos subjecerit, blandisque verbis atque promissis *Docibilem* a societate, quam cum Arabibus iniverat, abstrahere conatur. Obtemperavit pontificis M. precibus monitisque *Docibilis*, ruptoque foedere arma contra Arabes sumsit. Sed male ea res Cajetanis cessit; namque proelio ab Arabibus superati, quam plurimos suorum, qui vel caesi, vel capti sunt, amiserunt. Haec clades *Docibilem* permovit, ut foedus cum Arabibus instauraret; quo facto Cajetanis captivi ab Arabibus redduntur, Arabibus autem a *Docibili* ad *Garilianum* fluvium sedes adsignantur [131]).

§. LXXXIX.

Ut primum Arabes ad *Garilianum* consederunt, locum, quem occupaverant, munitionibus circumdederunt, ut, si forte in excursionibus suis rejicerentur, tutus laborantibus receptus superesset. Ex eo tempore locus ille ad *Garilianum*, sicuti antea *Baris*, caput et arx bellorum fuit, quae in Italiâ Arabes gesserunt. Jam anno 882 inde proruperunt, vicinas terras invaserunt, praedasque ex illis egerunt. Inter cetera, quae eo tempore direpta atque vastata fuêre loca, memorandum maxime coenobium *S. Vincentii*, ad Vulturnum fluvium situm, quod jam anno 865 male ab Arabibus habitum fuit. Ejus coenobii monachi ubi audiverunt Arabes adpropinquare, congregatis famulis aliisque, quos subjectos sibi habebant, hominibus, intrepide hostibus obviam eunt, et ad pontem, qui *Maroneus* dicebatur, cum illis concurrunt. Committitur pugna fortiterque monachi Arabibus resistunt. At vero nonnulli ex coenobii famulis, diuturni periculosique certaminis pertaesi, lucri insuper pravâ spe inducti, ad hostes transfugiunt, iisque pollicentur, se aliâ viâ illos ad coenobium ducturos, si vita libertasque sibi concederetur. Accipit conditionem Arabum dux, donisque praeterea transfugas ad explendum promissum incitat. Igitur hi, adsumtâ validâ Arabum

---

131) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 404, 405; Erchemperti hist. Langob. c. 44. Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 248.

manu, dum reliqui pugnam persequuntur, alià vià ad coenobium tendunt. Quod ubi attigerunt, Arabes irruunt, et trucidatis, qui illic relicti fuerant, senioribus infirmisque monachis, coenobium diripiunt ignemque injiciunt. Jam illi, qui pugnam ad pontem *Maroneum* adhuc sustinebant, monachi, conspectis flammis, intelligunt se proditos esse; mox etiam ab illo hostium agmine, quod ex coenobio revertebatur, a tergo sese peti vident. Igitur incerti, quo se convertant, quibusve resistant, inter duas acies fortiter quidem pugnant, sed longo fessi labore, hostiumque multitudine superati, maximam partem occumbunt. In eo proelio nongenti monachi caesi traduntur, qui tum ex *S. Vincentii* coenobio, tum ex aliis, quae ab illo pendebant, monasteriis confluxerant. Finità pugnà victores *S. Vincentii* coenobium petunt, ejusque thesauros, quos monachi defoderant, facto per transfugas indicio, eruunt, reliquaque ferro ignique vastant perduntque. Ex eo tempore florentissimum illud quondam coenobium per XXXIII annorum spatium desolatum perstitit [132]). Eandem fere cladem et *S. Benedicti* in *monte Cassinate* coenobium accepit. Quo coenobio cum per universam Italiam vix ullum celebratius esset atque opulentius, fieri non potuit, quin Arabum excitaret cupiditatem. Igitur sequenti anno (883) locus ille sacer ab Arabibus invaditur, expugnatur, diripitur incendioque vastatur. Magna Monachorum pars in eà clade caesa, quin et ipse coenobii Abbas, *Bertharius*, ad altare B. *Martini*, quo confugerat, trucidatus fuit. Neque tamen defuère, quibus hostium gladios effugere contigit. Hi cum thesauris, quos in tantà perturbatione atque festinatione surripere licuit, *Teanum* confugerunt. Inter profugos et *Angelarius*, coenobii Cassinatis praepositus, fuit, qui, in locum occisi *Bertharii* Abbas suffectus, biennio post destructa coenobii illius aedificia restaurari jussit [132]).

---

132) Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 405; Echemperti hist. Langob. l. c. Anonymi Salernit. Paralip. c. 136, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 274; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 44, Murat. S. r. It. t. IV, p. 317. Si Leonem Marsicanum audiamus, coenobium Cassinense pridie Nonas Septembris a. 884, indictione secundà, ab Arabibus expugnatum atque destructum fuit. Eundem annum et Er-

§. XC.

Etsi vero Arabes vires suas maxime ad *Garilianum* contraxissent, ejusque fluminis vicina praeprimis infestarent, tamen et in ceteris Italiae inferioris partibus stationes snas habebant, unde in circumjacentia loca excurrerent praedasque agerent. In Calabriâ maxime plura oppida tenebant; in quibus *Sancta Severina, Amanteum, Tropea* aliaque. Ex quibus oppidis cum pro libito prorumperent, illarumque terrarum incolis multa damna inferrent, Graecorum imperator, *Basilius, Nicephorum Phocam*, Patricium, a. 884, cum exercitu in Calabriam misit, ut Arabes inde, si fieri posset, exturbaret. Igitur Graecorum exercitus *S. Severinam* tendit, idque oppidum obsidione claudit. Quod ubi Arabes, qui *Acropoli* et ad *Garilianum* versabantur, audiverunt, magno numero advolarunt, ut obsessis opem ferrent. At vero Graecorum exercitus hostibus adcurrentibus fortiter obviam ivit, tantamque inter illos stragem edidit, ut paucissimi tantum fugâ evaderent. Pulsis, qui in popularium suorum auxilium adcurrerant, Arabibus, mox et *S. Severina* in Graecorum devenit potestatem. Quo oppido capto, paulo post *Amanteum* quoque atque *Tropea* a Graecis expugnata fuêre. Eâ victoriâ Calabris requies malorum, saltem ad tempus, reconciliata [133].

---

chempertus, hist. Langob. c. 61, exhibet. At vero Anonymus Salernit. cladem illam ad annum 883 refert, quae computatio praeferenda videtur; si quidem initium indictionis secundae, quam Leo Marsicanus memorat, ad ejusdem anni 883 mensem Septembrem referendum. Notandum praeterea, in Chronicis Vulturnensibus restitutionem coenobii Cassinatis ad quartum et tricesimum post ejus eversionem annum referri. Sed Chronicorum illorum auctor id, quod coenobio Vulturnensi evenit, etiam Cassinati adsignasse videtur. Contra Anonymus Salernitanus coenobium Cassinense jam anno 884, et Leo Marsicanus nec non Erchempertus biennio post, quam destructum fuisset, restauratum tradunt.

133) Erchemperti histor. Langob. c. 51, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 249; Cedreni hist. compend. t. II, p. 650; Constant. Porphyrog. in vita Basilii, p. 192.

§. XCI.

Eo tempore Arabes facili negotio ex Italiâ pelli potuissent, si illius terrae principes vel Graecos auxilio suo jnvissent, vel ipsi consociatis viribus communem hostem adgressi fuissent. At vero adsiduae inimicitiae, quas, dominandi cupidine incitati, et inter se, et cum Graecis exercebant, effecêre, ut Arabes diutius se sustentarent. Attamen repetitis, quas anno **886** ad *Teanum* oppidum fluviumque Garilianum accepêre, cladibus haud parum debilitati sunt. Eo scilicet anno haud amplius CXX Arabum *Teanum* praedabundi adorti sunt. Sed male ea incursio cessit. Namque a *Landone,* Capuae comite, tantâ vi excepti atque debellati fuêre, ut nonnisi V ex illo numero evasisse dicantur. Haud felicius cum *Guidone II*, Spoleti principe, manus ad Garilianum contulerunt. Is enim, quod Spoletinorum fines invaserant praedasque egerant Arabes, ipsos in eorum castris ad *Garilianum* adgressus est. In quo certamine fortiter adeo rem gesserunt Spoletini, ut munimenta hostium perrumperent, haud paucis eorum caesis, reliquis in fugam coniectis [134]). Quam victoriam si persecutus fuisset *Guido*, nullum dubium, quin jam tum Arabes de *Gariliano* exterminasset. At vero satis habuit, injuriarum, quas ab illis acceperat, in praesens poenas repetiisse, incautus futuri temporis. Quo factum est, ut Arabes, contractis ex Siciliâ auxiliis, vires suas denuo reficerent, et iteratis incursionibus vicinas *Gariliano* terras infestarent. Quinquennio postquam a *Guidone* et Spoletinis pulsi disjectique fuissent (a. **891**) eorundem Spoletinorum provinciam denuo invaserunt atque diripuerunt. Eo tempore nobile illud atque opulentum coenobium *Farfense* ab incolis suis desertum et ab Arabibus vastatum fuit. Per septem annorum spatium ejus coenobii Abbas, *Petrus,* Arabum impetum cum monachis militibusque suis sustinuerat. Postremo, exantlato multo labore, hostium potentiae se imparem videns, consilium deserendi coenobii cepit. Igitur, divisis in tres partes coenobii sui thesauris, unam *Romae*, alteram in oppido

---

134) Erchemperti hist. Langob. c. LV, LVIII, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. **250, 251**; Anonymi Salernit. c. **134, 135**, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. **273**.

Realino deponit, cum tertiâ parte ipse in *Firmanorum* fines proficiscitur. Deserto vix coenobio, Arabes superveniunt, et, quaecunque relicta fuerant, rapiunt vastantque. Verum et *Firmanorum* fines haud immunes Arabum incursionibus fuêre. Quae res *Petrum* permovit, ut in monte *Matenano* castellum conderet, in quo coenobii *Farfensis* monachi ad ea usque tempora commorati sunt, quibus Arabes ex Italiâ exterminati fuêre [135]).

§. XCII.

Exeunte seculo nono Italia diversis ex partibus ab Arabibus infestata fuit. Tradit *Hepidannus*, anno 899 *Agarenos* Italiam intrasse, et *Langobardos* bello vicisse [136]). Quos *Hepidannus Langobardos* dicit, Calabriae incolae fuisse videntur. Namque eam Italiae partem, quam Calabriam auctores antiqui dixêre, mediae aetatis scriptores Langobardiam vulgo adpellant. Unde Agareni, sive Arabes illi in Calabriam descenderint, non quidem memorat *Hepidannus*; sed credibile est, eos ex Siciliâ vicinâ in Calabriam trajecisse. Fortasse non diversi fuêre ab illis, qui, sicuti inferins memorabitur, anno 900 *Abulabbaso* duce ex Siciliâ in Calabriam trajecerunt, *Rhegium*que oppidum expugnarunt. Dum hi australem Italiae partem adfligunt, valida Arabum Hispanorum manus naves conscendit, et in septemtrionalibus Italiae adpellit. Inde austrum versus populabundi descendunt, et ad Beneventanam usque provinciam progrediuntur. In eâ excursione nemo fere praedantibus restitit. Fuêre quidem aliquot civitates, quae, contractis tumultuarie copiis, hostibus obviam ire auderent; sed cum intelligerent, se Arabibus nequaquam pares esse, fugâ potius, quam armis salutem quaesiverunt. Quo factum est, ut Arabes impune, quantum liberet, raperent, rapinisque satiati secure in patriam reverterentur [137]).

---

135) Chron. Farfense in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 454.

136) Hepidanni Annales in du Chesne S. hist. Franc. t. III, p. 474.

137) Glabri Rudolphi hist. l. I, c. V, in du Chesne S. h. Fr. t. V, p. 8.

§. XCIII.

Etsi expeditio haec haud parum detrimenti Italiae intulerit, tamen nequaquam tanti fuit momenti, quanti alia eorundem Arabum Hispanorum incursio, quae paulo ante evenit. Ea autem res in hunc modum acta fuit. Viginti non amplius Arabes circa annum 889 parvo navigio ex Hispania profecti erant, piraticam exercituri. Exorto vento adverso homines illi ad oppidum, cui nomen *Fraxinetum*, deferuntur. Situm erat oppidum illud haud procul ab Italiae finibus, in *Provincia*, in recessu sinus *Tropetopolitani (Saint-Tropès)*, uno latere maris fluctibus adlutum, reliquis partibus densissimis sylvis munitum. Illic adpulsi piratae illi noctu in terram escendunt, oppidum invadunt, incolas necopinantes trucidant, locoque in hunc modum potiuntur. Deinde montem oppido contiguum, quam firmissime possunt, muniunt, ut refugio sibi atque praesidio esse possit, si quando a vicinis populis peterentur [138]. His ita adparatis in circumjacentes terras

---

138) De *Fraxineti* situ non una est virorum doctorum sententia. Sunt, qui oppidum illud in Italiae atque Provinciae confinio, inter *Monachum* et *Nicaeam*, prope *Villam Francam*, positum fuisse existiment; quam tamen sententiam alii eam propter causam rejiciunt, quod neque locorum natura, qualis a medii aevi auctoribus describitur, neque rerum ab Arabibus, *Fraxinetum* tenentibus, gestarum ratio regioni illi convenire videatur. Satius igitur in sinus *Tropetopolitani* recessu *Fraxinetum* locari existimant, ejusque loci nominisque vestigia in vico, qui nostris temporibus *Garde-Frainet* dicitur, superesse censent.* Hanc sententiam novissime admodum probabilem reddidit doctiss. *Reinaud*, qui in libro jam saepius laudato: *Invasions des Sarrazins en France*, p. 160, de *Fraxineti* situ in hunc modum disputat. „On croit, que *Fraxinetum* répond au village actuel de la *Garde-Frainet*, qui est situé au pied de la montagne la plus avancée du côté des Alpes. Il est certain, que la position occupée par ce village dut paraître fort importante; car c'est le seul passage par lequel il soit possible de communiquer en ligne directe du fond du golfe avec le plat pays, en se dirigeant vers le nord. D'ailleurs on aperçoit encore au haut de la montagne des vestiges de travaux formidables. Ce sont des portions de murs taillées dans le roc, une citerne également taillée

incurrunt, praedasque inde agunt. Cum res prospere cederet, nuntios in Hispaniam mittunt, qui sodalibus suis rem omnem exponerent, eosque, *Fraxinetum* ut migrarent, invitarent. Accipiunt conditionem plures, quibus adaucti, qui *Fraxinetum* tenebant Arabes, mox omnibus finitimis suis terrorem injiciunt. Accedebat ad augendam eorum potestatem, quod populi finitimi crebras inter se inimicitias exercerent, et, quo facilius adversarios suos opprimere possent, Arabes in auxilium vocarent. Hi, arreptâ occasione, modo unam, modo alteram partem juvant, omnibusque debilitatis impune omnes vexant spoliantque. Neque satis habebant, circumjacentia tantum loca infestasse; quinimo ulterius excurrebant, *Augustam Taurinorum* et *Novalicium* usque palantes. Erat *Novalicii* coenobium ditissimum, cuius thesauris Arabes inhiabant. Igitur oppidi illius atque coenobii invadendi consilium incunt. At vero coenobii Abbas, *Domnivertus*, de illorum adventu certior factus, cum omnibus coenobii incolis thesaurisque *Augustam Taurinorum* confugit. Ubi Arabes adveniunt, locum vacuum atque desolatum deprehendunt. Quare direptis, quae a monachis relicta fuerant, templa, domos ceteraque incendio vastant. Ex eo tempore loca illa Alpibus subjecta, nec non Alpium fauces viaeque ultra octoginta annos ab Arabibus, qui *Fraxinetum* tenebant, infestata fuere [139]).

§. XCIV.

Dum haec ad Alpes geruntur, Arabes ad *Garilianum* positi haud cessant terras incursare circumjacentes. Quibus incursionibus cum maxime

---

dans le roc et quelques pans de muraille." — In cujus viri doctissimi sententiam transire nulli dubitamus, quamvis olim scriptorum Italicorum partes secuti simus, qui *Fraxinetum* inter *Monachum Nicaeamque* positum fuisse existimant. De *Fraxineti* situ copiose agitur etiam in Dissertatione Chronograph. de Italiâ medii aevi, in Murat. S. r. It. t. X, p. CV, CVI.

139) Luitprandi histor. l. I, c. 1, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 425; Chron. Farfense, l. II, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 416; Chron. Novaliciense, l. IV, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 730; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 161, 163.

Campani atque Beneventani adflictarentur, *Atenulphus*, Capuae Beneventique princeps, vir magni animi magnique consilii, Arabes ad *Garilianum* positos adgredi, et si fieri posset, eo loco exturbare statuit. Cui rei cum se solum imparem videat, cum Neapolitanis atque Amalfitanis societatem init, contractoque sat magno exercitu *Garilianum* (a. 908) petit. Jungitur fluvius ponte in loco, cui *Setra* nomen, trajectisque copiis hostes impugnantur. Dum ibi per aliquot temporis spatium *Atenulphi* exercitus consistit, accidit, ut nocte quâdam excubiae negligentius agerentur. Quod cum Arabes animadvertissent, unâ cum Cajetanis, quos sibi foedere junxeraut, e munitionibus suis prorumpunt, *Atenulphi* exercitum ex improviso adoriuntur, multos occidunt, reliquos ad pontem usque rejiciunt. Illic vero animum colligunt victi, pugnamque redintegrant prospero adeo successu, ut Arabes in munitiones suas sese recipere cogerentur [140]. *Atenulphus* inpraesentiarum quidem hostibus haud ulterius insistendum duxit, quippe cujus copiae haud levem jacturam fecerant; neque tamen, quod jam ceperat exturbandorum de Gariliano Arabum consilium, abjecit. Sed cum intelligeret, vires suas debellandis hostibus haud sufficere, neque se Neapolitanis, belli sociis, satis posse confidere, quippe qui tempori servire solebant, filium suum *Landulphum* ad *Leonem*, Graecorum imperatorem, misit, qui, quanta damna Italiae ab Arabibus infligerentur, imperatori exponeret, ejusque auxilium imploraret. *Leo* occasionem adesse ratus, quâ imperatorum Graecorum auctoritatem, magnopere in Italiâ deminutam, restituere posset, *Landulphum* honorifice excepit, auxiliumque expetitum pollicitus est. Neque tamen *Atenulphus* voti sui compos factus est; namque dum *Landulphus Constantinopoli* adhuc moratur, diem obiit supremum. Quod ubi *Landulpho* nuntiatum fuit, *Capuam* revertitur, et cum fratre *Atenulpho* Beneventi Capuaeque regimen auspicatur [141].

---

140) Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 50, Murat. S. r. It. t. IV, p. 324.

141) Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 52, Murat. S. r. It. t. IV, p. 325.

§. XCV.

Quod *Atenulphus* inierat consilium exterminandorum de *Gariliano* Arabum, eo defuncto maxime *Joannes X*, pontifex M., proseeutus est. Namque et Romanorum fines haud minus, quam Beneventanorum atque Campanorum, ab Arabibus infestabantur. Igitur *Joannes* et *Constantinopolim* ad *Leonem* imperatorem, et *Ticinum* ad *Berengarium*, Italiae regem, legatos misit, qui auxilia contra Arabes peterent. Quo autem *Berengarium* incepto suo proniorem redderet, amplissima ei dona, imperatoriam insuper dignitatem obtulit, licet imperator *Ludovicus III* inter vivos adhuc versaretur. *Berengarius* pontificei M. morem gerens, copias suas colligit, Romamque proficiscitur, ubi ipso paschalis festo (a. 916) coronâ imperatoriâ ornatur. Acceptis a *Berengario* auxiliis pontifex M., quo militibus animum adderet, ipse in bellum proficiscitur, comitante eum cum copiis suis *Alberico*, Camerini Spoletique principe. Interea et Graecorum imperator haud spernendam classem, duce *Nicolao* Patricio, cui *Picingli* cognomentum, in Italiam mittit. Qui ut primum advenit, eos Italiae principes, qui Arabibus favere adhuc videbantur, maxime Cajetae ducem, *Joannem, Gregorium*que, Neapolitanorum principem, ab hostium societate avocare conatur. Trahuntur deinde in belli societatem Capuae et Beneventi principes, *Landulphus* atque *Atenulphus*, nec non Salerni princeps *Guaimarius*. Conflato in hunc modum magno exercitu, iter ad *Garilianum* dirigitur. Ex alterâ parte pontifex M. Spoletique princeps *Albericus* eum copiis suis eodem tendunt. Conveniunt ad *Garilianum* utrique exercitus, hostemque ex utrâque parte medium claudunt. Tantis copiis eum se nequaquam pares esse intelligerent Arabes, satius duxerunt, inter munitiones suas sese continere, quam in aperto decertare. Igitur ex munitionibus Christianorum impetum defendunt, intrepide fortiterque pugnantes. Sed cum per tres menses obsessi, omnique commeatu interclusi essent, ingruente fame ad incitas redacti sunt. Jam aut intra munitiones misere pereundum, aut inde erumpendum, mediosque per hostes via aperienda erat. Habito consilio conveniunt inter se, gladio viam per exercitus hostiles aperiendam esse. Quare, injectis in munitiones ignibus, summâ vi prorumpunt, mediosque per hostes evadere conantur. Sed parum

prospere inceptum illud cessit; plurimi enim occisi sunt, vixque uni alterive contigit in montes sylvasque proximas elabi. In hunc modum, consociatis duorum imperatorum plurimorumque Italiae principum armis, Arabes anno **916** de *Gariliano* exterminati sunt, postquam quatuor et triginta annos sedes illic habuerunt, multaque per illud tempus mala Italiae intulerunt [142]).

Cap. XI.

Arabes Panormitani atque Agrigentini contra Africae principem rebellant; mox tamen ad officium reducuntur. Rhegium ab Arabibus diripitur, Tauromenium expugnatur. Africae Siciliaeque imperium ab Aghlabidis ad Fatimidas transit. Siculi a Fatimidis deficiunt, Abbasidisque sese subjiciunt; sed brevi ad Fatimidarum obsequium revertuntur, unde graves in Siciliâ turbae exortae.

§. XCVI.

Minus prospere Christianorum res in *Siciliâ* cesserunt. Expugnatis, ut supra memoratum fuit, anno 878 *Syracusis,* vix quidquam obstare potuit, quo minus universâ insulâ Arabes potirentur. Haud quidem Graeci recuperandae Siciliae consilium abjiciebant; sed deerant vires, quibus tantum hostem debellarent, et licet uno alterove certamine superiores evaderent, tamen nequaquam impedire poterant, quin majores in dies progressus hostes facerent. Insequenti post expugnatas Syracusas anno (879) fortuna Graecis adridere visa est; eo namque anno inter Graecorum Arabumque classes acerrimum proelium ad Siciliae oras commissum fuit, in quo victoriam Graeci reportarunt, interceptis haud paucis Arabum navigiis. Haud sequiori fortunâ et biennio post (881) terrestri pugnâ Graeci cum Arabibus decertarunt; quod certamen Arabibus, duce *Abulthaur*, adeo exitiabile fuisse traditur, ut, caesis fere omnibus, nonnisi septem viri eam stragem effugerint [143]). At

---

142) Luitprandi hist. l. II, c. 14, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 441; Chron. Farfense, l. II, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 455; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. I, c. 52; Murat. S. r. It. t. IV, p. 325, 326; Anonym. Barensis, Murat. S. r. It. t. V, p. 147.

143) Ebn Alathir p. 134, 135, not. 146.

vero singula haec, quibus superiores Graeci discessêre, certamina haud multum pollebant contra adsiduas incursiones, quibus Arabes eas Siciliae partes, quae nondum suae cesserant ditioni, infestabant. Constituto, a. 880, ***Alhasano ben Alabbas*** Siciliae praefecto, Arabes in ***Catinensium***, ***Tauromenitanorum*** atque ***Bakarensium*** fines excurrerunt, caesisque arboribus et raptis frugibus Panormum reversi sunt. Consimili modo et insequenti anno, remoto a praefecturâ ***Alhasano***, suffectoque in ejus locum ***Mohammede ben Alfadhl***, magna Arabum manus eosdem ***Catinae Tauromenii***que fines praedabunda peragravit, indeque reversa cum Graecorum exercitu, quem ***Barsas*** ducebat, congressa est, cumque, tribus fere millibus occisis, fudit fugavitque [144]). Repetitis quovis fere anno incursionibus, expugnatoque castello, quod haud ita pridem Graeci condiderant, ***Regium***que ***(Castro Reale)*** adpellaverant, Arabes, anno 884, flagitantibus Graecis, indutias fecerunt, captivosque invicem permutarunt. Neque tamen indutiae illae diuturnae erant; jam insequenti anno, tenente Siciliae praefecturam ***Sowadah ben Mohammed ben Chafadschah***, certamina inter Arabes Graecosque redintegrata fuêre; in quibus etsi nonnunquam praevalerent Graeci, tamen gravissimam cladem anno 889 ad ***Milatium*** accepêre, quo in loco omnis fere eorum classis ab Arabibus capta fuit, et ad quinque millia hominum occisa traduntur [145]). Sed dum in Siciliâ Arabes feliciter adversus Graecos pugnant, inter ipsos turbae bellaque exorta sunt. Namque qui Panormi Agrigentique degebant Arabes, principum Aghlabidarum in Siciliam dominationem excutere, eamque insulam peculiaribus principibus subjicere moliti sunt. Quam late ea conspiratio per Siciliam diffusa fuerit, non quidem memorant auctores; sed credibile est, praeter Arabes Panormitanos atque Agrigentinos, quam plurimos alios incepti illius socios fuisse. Fuit eo tempore Siciliae praefectus ***Abu Malek Ahmed ben Omar ben Abdullah***; qui qualem in eâ conspiratione sese gesserit, non quidem constat; attamen tradit ***Ebn Alathir***,

---

144) Ebn Alathir l. c. Chron. Cantabrig. p. 43.

145) Ebn Alathir p. 136. Chron. Cantabrig. p. 43; Echemperti hist. Langob. c. 81, Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 255.

illum Siciliae praefecturâ ab Africae principe exutum fuisse, quod tanto muneri impar judicaretur [146]).

§. XCVII.

Ut primum Africae princeps *Ibrahim Ben Ahmed* certior factus est, *Panormitanos* atque *Agrigentinos* a se defecisse, filium suum *Abulabbas* cum magno exercitu in Siciliam misit, eique mandavit, *Panormum* primum in potestatem suam redigeret, deinde in Italiam trajiceret, et a *Rhegii* aliarumque Calabriae civitatum incolis, qui foedus cum Panormitanis inive-rant, poenas repeteret. Igitur *Abulabbas* in Siciliam cum copiis venit, et postquam *Mazaram* adpulisset, itinere pedestri *Panormum* petit. Cum ad oppidum adpropinquasset, Panormitanorum exercitus ei objicitur; quem cum fudisset, haud magno negotio *Panormo* potitur, die VIII Sept. a. 900 [147]). Compositis *Panormi* rebus, *Abulabbas* in Italiam trajicit, *Rhegium*que oppidum adgreditur. Illuc magna hominum vis ex omni Calabriâ ad depel-lendos Arabes confluxerat. Sed vixdum ignavissimi illi homines hostem conspexerant, cum in fugam conversi sunt, ita ut nemine fere resistente Arabes in oppidum irrumperent. Magna deinceps inter oppidanos strages edita, neque sexui, neque aetati ulli temperatum fuit. Postquam caede satiati fuissent victores, ad rapinam se converterunt, ingentemque praedam cepe-runt. Tum ad XVII millia hominum, qui, ut caedem effugerent, locis secretis se absconderant, protracti, omnesque fere in servitutem abducti sunt. His ita gestis *Abulabbas* praedâ captivisque onustus *Panormum* revertitur, indeque nuntios ad patrem mittit, qui optima quaeque spoliorum perferrent, omnemque rem, sicuti acta esset, exponerent. At vero Africae princeps indignatus, quod filius partam victoriam non ulterius prosecutus esset, nimiumque Christianis pepercisset, ignaviae eum accusat, inque Africam

146) Ebn Alathir p. 136.

147) Jo. Diaconi Martyrium S. Procopii, in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 269; Chron. Cantabr. p. 43, in Gregorii collect. Ebn Khaldoun p. 57 text. Arab.

reverti jubet. *Abulabbas*, parentis indignationem timens, initio tergiversatur; post, ubi ficto nuntio certior redditur, patrem exstinctum, regnumque vacuum esse, propere in Africam proficiscitur. Quem reversum pater comiter excipit, edocetque, se in Italiam ad debellandos Christianos profecturum, ipsique interea regni administrationem commissurum. Igitur Africae princeps *Ibrahim Ben Ahmed* paulo post magno cum exercitu Siciliam petit. Quam insulam ubi adtigit, ipse quidem *Panormum* non adiit, sed, extractis inde copiis, *Tauromenium* tetendit, ut, priusquam in Italiam trajiceret, eam quoque urbem, quae sola adhuc Graecis parebat, in suam potestatem redigeret. Perlustrato diligenter urbis illius situ, facilius dolo, quam vi eam capi posse *Ibrahimus* intellexit. Quare accitis quibusdam Aethiopibus, quos agiliores esse cognoverat, amplissima dona pollicetur, si eo loco, quo propter difficilem accessum moenia negligenter custodiebantur, in urbem penetrarent. Quod si succederet, clamore sublato signum sibi darent, quo audito se cum exercitu successurum urbemque impugnaturum. Aethiopes *Ibrahimi* mandata prospero cum successu exsequuntur, superatisque muris ingentem clamorem tollunt, quo percepto omnis Arabum exercitus adcurrit, murosque urbis portasque horrido cum ululatu adoritur. Effringuntur portae priusquam oppidani, qui paulo ante prandio vacaverant, animum colligere, hostibusque obviam ire possunt. Expugnatâ urbe immane quantum ferro flammisque saevitum. Viri, mulieres infantesque promiscue caeduntur, omnisque urbs incendio vastatur. In eâ clade et *Tauromenii* episcopus, *Procopius*, misere periit. Namque ex latibulo, quo confugerat, protractus, et ad *Ibrahimum* deductus, Christianorum sacris renuntiare, inque *Mohammedis* partes transire jussus fuit. Quod cum recusaret, dissecto pectore cor ei evulsum, corpusque exanime flammis traditum est [148]).

---

148) Jo. Diaconi Martyrium S. Procopii, in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 269—273; Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 415; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 160; Ebn Khaldoun p. 59 text. Arab. Chron. Cantabr. p. 44, in Gregorii collect. — In definiendo tempore, quo Tauromenium expugnatum fuit, in diversas partes virorum doctorum discedunt sententiae. Si *Chronicorum Can-*

§. XCVIII.

Expugnato *Tauromenio* jam omnis Sicilia in Arabum ditionem cessit. Illius autem oppidi expugnatio magnum terrorem vicinis Italiae civitatibus injecit. Quae res complures permovit, ut legatos ad *Ibrahimum* mitterent, pacem foedusque qui peterent. Eos insolenter admodum Arabs tractavit; namque primo cum illis colloqui dedignatus est; deinde ubi, interjectis aliquot diebus, eos in conspectum suum admisit, in hunc modum locutus est: „*Revertimini, illisque, qui vos miserunt, nuntiate, me Hesperiae dominum esse, et de ejus incolis, sicuti libuerit, constituturum.*“ Quae cum legati, domum reversi, popularibus suis renuntiassent, magna consternatio omnium animos occupat. Igitur, quam celerrime possunt, urbium muros atque munitiones reficiunt, ex agris, quaecunque necessaria viderentur, in urbes invehunt, omnia denique parant, quae in tanto periculo usui esse possent. Fuêre etiam, qui, cum in oppidis suis ab hostium impetu minus tutos se existimarent, sedes suas desererent vastarentque, inque alias urbes sese reciperent, quae plus securitatis praebere videbantur. Id quod castello *Lucullano* accidit, quod, translatis *Neapolim* incolis ejus, desolatum funditusque dirutum fuit. Interea *Ibrahimus* cum exercitu in Italiam trajecit, castraque ad *Consentiam*, Calabriae urbem, metatus est. Neque tamen ex sententiâ expeditio ea successit. Multis enim copiis illic

---

tabrigiensium auctorem audiamus, oppidum illud anno **908** expugnatum fuit. At vero ex *Lupi Protospatae* sententiâ *Ibrahimus*, Arabum princeps, quo duce *Tauromenium* expugnatum fuit, jam anno **901** in Calabriam trajecit, et ad *Consentiam* castra metatus est. Quod cum expugnato demum *Tauromenio* evenerit, sequitur, oppidum illud vel ante annum **901**, vel saltem non post illum annum expugnatum fuisse. Cui supputationi consentit et *Ebn Chaldun*, quo auctore *Tauromenium* circa finem mensis Schaban anni H. **289**, p. Chr. **901**, captum fuit. Idem etiam ex *Nowairii* relatione colligas, qui *Ibrahimum* medio inter annos **900** et **902** tempore Siciliam adiisse, diemque supremum obiisse tradit. Quare nulli dubitamus, *Tauromenii* expugnationem, praeeunte *Martorand*, ad annum **901** referre. Vide Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. I, p. 208.

unâ cum filio amissis, princeps ipse in gravem morbum incidit, eoque absumtus diem obiit supremum anno 901 [149]).

§. XCIX.

Defuncto *Ibrahimo* filius ejus *Abulabbas* Africae principatum obtinuit. Is *Mohammedem ben Alsarkusi* Siciliae praefectum constituit; cui tamen paulo post *Ali ben Mohammed ben Abilfawares* suffectus fuit. De utroque nil memoriae proditum. Neque id mireris; cum enim omnis Sicilia in Arabum potestatem jam redacta esset, satius erat pacis, quam belli artes colere. At vero illorum temporum auctoribus, quae in pace gerebantur, minus, quam quae ad bellum pertinebant, memoratu digna visa sunt. Praefuit *Ali* Siciliae ad id temporis usque, quo *Zejadat Allah*, interfecto patre *Abulabbaso*, Africae principatum invasit. Is, remoto *Ali*, *Ahmedem ben Abilhosain* Siciliae praefecit. Sed neque *Zejadat Allah*, neque ejus in Siciliâ vicarius provinciam, quam susceperant, diu tuiti sunt. Namque contra *Zejadatum* insurrexit *Abu Abdullah*, imperioque eum exuit. Ea autem res in huncce modum acta fuit. *Abu Abdullah ben Ahmed*, cui

---

149) Jo. Diaconi Martyrium S. Procopii, l. c. Chron. Vulturn. l. c. Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 38; Anonymi Chron. Barense in Murat. Antiquit. Ital. t. I, p. 32; Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun p. 59 text. Arab. — *Ebn Chalduno* auctore *Ibrahimus*, vastatâ Calabriâ, in Siciliam reversus est, ibique in oppugnatione *Casnae* occubuit. At vero *Casna* illa, quam *Castam Nowairius* dicit, non est diversa a *Consentiâ*, quod oppidum non in Siciliâ, verum in Calabriâ situm. Unde efficitur, *Ibrahimum* nequaquam in Siciliam reversum, sed in Calabriâ defunctum fuisse. De mortis genere, quo exstinctus fuit, auctores dissentiunt. *Lupus Protospata* fulmine eum perculsum fuisse tradit. Idem mortis genus et *Chronicorum Vulturnensium* auctor innuere videtur, qui *Dei judicio* illum exstinctum memorat. At vero *Abulfeda* et *Joannes Diaconus*, qui *Ibrahimi* in Siciliam Italiamque expeditionem copiosius exposuit, alvi profluvio eum absumtum fuisse scribunt, quae sententia propius ad veritatem accedere videtur.

cognomentum *Alschii*, quod Schiitarum sectae addictus esset [150]), consilium ceperat, omnibus adniti viribus, ut *Alii* posteris summam potestatem, quam injuste ereptam sibi dolebant, vindicaret. Quod ut consequeretur, cum *Ketamitis*, Berberorum populo, qui itidem *Alii* partes sequebantur, societatem iniit. Cujus rei nuntium cum *Ibrahimus*, tum temporis Africae princeps, accepisset, *Mosi ben Ajasch*, *Milae* praefecto, mandavit, ut *Abu Abdullae* incepta diligenter observaret, seque de illis certiorem redderet. At vero *Milae* praefectus, rem omnem parvi pendens, *Ibrahimo* renuntiavit, non esse, quod mali quid de *Abu Abdullah* suspicaretur; quippe qui sectatores suos nonnisi ad pietatem bonaque opera hortaretur. Sed brevi compertum fuit, rem longe aliter se habere. Namque, subjectis sibi omnibus fere Berberorum populis, *Abu Abdullah* urbem *Tasrut* primum, deinde *Milam* in potestatem suam redegit. Quod cum *Ibrahimus* rescivisset, filium suum *Ahwal* cum exercitu obviam *Abu Abdullae* misit. Concurritur, cruentoque certamine commisso *Abu Abdullah* in fugam conjicitur. Neque tamen ea clades *Abu Abdullae* rebus multum detrimenti adtulit. Namque defuncto brevi post *Ibrahimo*, interfectoque ejus filio regnique herede *Abulabbaso*, Schiitarum vires nova incrementa ceperunt. Id eo facilius fieri potuit, quod *Zejadat Allah*, *Abulabbasi* successor, nullam rei publicae curam ageret, totusque ludo atque voluptatibus deditus esset. Interea *Abu Abdullah Satifum* aliaque oppida expugnaverat; quâ re *Zejadat Allah* tandem permotus fuit, ut *Ibrahimum ben Hobaisch* cum XL hominum millibus adversus hostem mitteret. Qui copiarum numerus in itinere duplo amplius auctus fuit, ita ut facili negotio *Abu Abdullah* cum sectatoribus suis opprimi posse videretur. At vero praeter exspectationem res evenit. Namque ubi ad pugnam ventum est, *Ibrahimus* a copiis suis destitutus et in fugam con-

150) *Schiitas* a religionis Mohammedanae sectatoribus eos dici, qui legitimam in Mohammedis locum successionem, summamque proinde in rebus divinis humanisque potestatem nonnisi *Alio* ejusque posteris deberi contendunt, res est omnibus notissima. Cfr. Abulfaragii hist. dynast. p. 169 text. Arab.

jectus fuit. Quâ victoriâ reportatâ *Abu Abdullah* majores in dies progressus fecit. *Tabna, Belezma* pluraque alia oppida in ejus devenêre potestatem, *Harun ben Tabni*, qui cum exercitu se illi objecit, devictus atque occisus fuit, tantusque terror omnibus injectus, ut *Zejadat Allah*, quamvis belli imperitissimus, exercitum adversus hostem educere sibi proponeret. A quo tamen proposito aulici eum averterunt; quippe qui monerent, si princeps ipse ab hostibus superaretur, nullam ultra spem salutis futuram. Igitur *Zejadat Allah* exercitum *Ibrahimo ben Abilaghlab* commisit, seque *Rakkadam* contulit, quo in loco, immemor periculorum, quae sibi imminerent, genio suo indulsit. Neque tamen vel *Ibrahimo* contigit, ut imminens principi suo exitium averteret. Licet enim innumeras fere copias contra *Abu Abdullam* educeret, tamen ubi ad pugnam ventum est, ab hostibus superatus atque fugatus fuit. Cujus cladis nuntius tantum terrorem *Zejadato* injecit, ut, collectis thesauris suis, in Aegyptum fugeret. Jam nihil obstabat, quo minus *Abu Abdullah* Africae imperio potiretur; at vero haec omnia non in rem suam, verum in gratiam *Obeid Allah Almehdi*, qui a *Fatimâ*, *Mohammedis* filiâ, *Ali*oque genus ducere existimabatur, molitus erat. Igitur ut primum *Abu Abdullah Rakkadam* pervenit, quo *Kairawani* incolae obviam ei processerant, *Almehdium* principem salutavit. In hunc modum Africae Siciliaeque imperium ab *Aghlabidis* ad *Fatimidas* transiit, anno H. 296, p. Chr. 909 [151]).

§. C.

Ea rerum mutatio simul atque in Siciliâ innotuit, Arabes in insulâ illâ degentes adversus *Ahmedem ben Abilhosain*, quem *Zejadat Allah*, remoto *Ali ebn Abilfawares*, Siciliae praefecerat, rebellarunt, impetuque in eum facto opes ejus diripuerunt, ipsumque in carcerem conjecerunt. Sici-

151) Ebn Khaldoun p. 60 — 66 text. Arab. Ebn Alchatib Chronolog. Chalifarum regumque Hispaniae et Africae, in Casirii biblioth. Arab. t. II, p. 194; De Sacy Exposé de la religion des Druzes, p. CCXLVII — CCLXXVI.

liae autem praefecturam denuo *Alio* commiserunt, literisque ad *Abu Abdullam* datis rogarunt, ut optionem illam ratam haberet. Morem gessit rogantibus *Abu Abdullah*, quo factum, ut *Ahmed ben Abilhosain*, imperantibus Aghlabidis, ultimus Siciliae praefectus, primusque, Fatimidis sceptra tenentibus, *Ali ebn Abilfawares* esset. Neque tamen dignitatem iterum sibi collatam diu *Ali* sustinuit. Ejus rei haec causa fuit. Susceptâ provinciâ Africam adire statuit, vel ut principem salutaret, vel etiam ut rerum gerendarum consilia cum illo communicaret. Quod ut sibi liceret, literis ad principem datis petiit. Adnuit petitioni *Almehdi*; quare nil mali metuens Africam *Ali* petit. Verum ubi *Rakkadam*, haud procul *Kairawano*, pervenit, principis jussu comprehensus in vincula conjicitur. Quibus causis id factum fuerit, auctores non memorant; probabile videtur, insignem, quâ apud Arabes Siculos *Ali* valebat, gratiam atque auctoritatem principi suspicionem stomachumque movisse [152]).

§. CI.

Remoto in hunc modum a Siciliae administratione *Ali*, *Hasan ben Ahmed ben Abi Chenzir* insulae illi praeficitur anno 910 [153]). At vero Arabes Siculi ereptum sibi, quem ipsi creaverant, praefectum aegerrime tulerunt. Neque *Hasan* provinciam sibi commissam ita administrabat, ut civium sibi gratiam conciliaret. Namque ii, quorum ministerio in regendâ provinciâ utebatur, populum durius habebant. Quo factum est, ut odium, quod jam initio erga *Hasanum* Siculi susceperant, magis magisque in dies cresceret, donec occasione datâ in apertam vim prorumperet. Ea autem occasio hujuscemodi fuit. Adparatis epulis lautissimis, *Hasan* Panormi proceres domum suam invitaverat. Qui cum confluxissent, rumor exoritur, (an ex vero, an fictus, ambigitur,) *Hasanum* servis suis gladios clam distribuisse, quibus convivas inter epulas trucidarent. Repente omnes pavore corripiuntur, perque fenestras ad arma clamant. Quo clamore audito Panormitani ad praefecti palatium concurrunt, ignesque injicere minantur, nisi

---

152) Nowairii hist. Sic. c. V, in Gregorii collect.

153) Ebn Khaldoun p. 67 text. Arab.

illico civitatis proceres salvi dimitterentur. Dimissis illis, *Hasan* in conspectu populi negat, se quidquam mali in convivas suos intendisse. Neque tamen verbis ejus fides habetur; quinimo audacissimi quique in domum irruunt, extremamque vim praefecto intendunt. Qui ut hominum illorum furorem effugeret, de palatii sui tecto in domnm contiguam desiluit, fractoque crure captus et in carcerem conjectus fuit [154]).

§. CII.

His ita actis summam imperii *Chalilus, Alcami* praefectus, adripit, literisque ad *Almehdium* datis omnem rem, sicuti gesta erat, exponit. Is autem probe intelligens, adhibitâ vi aegre ad obsequium redigi Siculos posse, indulgentiâ utendum censuit, remotoque *Hasano Alium ben Omar Albaluni* Siciliae praefectum constituit [155]). Ingressus est *Ali* provinciam suam mense Augusto anni 912; neque tamen meliori, quam decessor suus, fortunâ eam administravit. Cum enim aetate jam provectior esset, segniter admodum munere suo fungebatur; quo factum est, ut Siculis in contemtionem veniret. Accedebat, quod et ipsius principis *Almehdii* imperium quam plurimis molestum esset. Cum enim, ut supra memoratum fuit, Schiitarum sectae addictus esset, illorum placita sustentare summo studio nitebatur, multas praeterea res novas in judiciis exercendis vectigalibusque pendendis moliebatur, quae haud parum ad exacerbandos hominum animos, maxime in regimine novo, faciebant. His causis incitati Arabes Siculi contra praefectum *Ali ben Omar* rebellarunt, summamque imperii *Ahmedi ben Korhab* commiserunt. Neque tamen satis habebant, de praefecturâ pro libito statuisse; quinimo id spectabant, ut insulam suam principibus Fatimidis subtraherent, et Abbasidarum imperio subjicerent. Id eo facilius fieri posse existimabant, quod eo tempore *Almehdi* cum Chalifâ *Moktadero Billah* parum feliciter bellum gereret, neque facile aliorsum arma convertere posset.

154) Nowairii hist. Sic. l. c.

155) Qui a Nowairio Omar Albaluni dicitur, ab Ebn Chalduno Amru Albalawi adpellatur. Ebn Khaldoun p. 67 text. Arab.

Igitur anno 912 legatos ad *Moktaderum* mittunt, qui Siciliae dominationem illi offerrent, obsequiumque pollicerentur. Lubentissime eam oblationem *Moktader* accepit, transmissisque dignitatis insignibus, chlamyde talari, vexillo, torque aureo armillisque, Siciliae praefecturam *Ahmedi ben Korhab* solenniter detulit [156]). At vero *Almehdi*, compertâ Siciliae defectione, licet in Aegypto a *Moktadero* admodum premeretur, tamen eam jacturam haud praetermittendam ratus est. Igitur *Hasan ebn Abi Chenzir* cum copiis navalibus delegatur, ut Siculos ad obsequium reduceret. Sed male ea expeditio cessit. Namque ubi res inter Afros Siculosque ad manum venit, Afrorum classis victa flammisque deleta, ejusque dux *Hasan ebn Abi Chenzir* in proelio occisus est. Minus prosperâ fortunâ haud multo post Siculorum classis usa est, cum denuo adversus Afros excurreret. Namque ad Africae oras cum *Almehdii* copiis congressa, fusa penitus atque fugata fuit; quâ clade *Ahmedis ben Korhab*, qui Siculorum classem duxerat, gratia atque existimatio apud populares suos haud leviter concussa fuit [157]).

§. CIII.

Interea Siculi, quibus vetus necessitudo cum Afris intercedebat, dolent se ab Africae principe descivisse, consiliumque ineunt ad *Almehdii* obsequium revertendi. Igitur eâ de re literas ad *Almehdium* dant, quibus defectionis veniam petunt, et obsequium fidemque pollicentur. Mox duce *Abulghaffaro* contra *Ahmedem* praefectum rebellant, postulantque, ut praefecturâ Siciliâque decederet. Quod cum ille renueret, ad vim descendunt, fortiterque resistentem capiunt inque Africam relegant, ubi cum filio suo capite plectitur, vergente ad finem anno H. 300, p. Chr. 913 [158]).

---

156) Nowairii hist. Sic. c. V, in Gregorii collect. Ebn Khaldoun p. 68 text. Arab.

157) Ebn Khaldoun l. c. Chron. Cantabrig. in Gregorii collect. p. 44.

158) Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun l. c. Chron. Cantabrig. l. c. — In enarrandis *Ahmedis* rebus *Nowairi*, *Ebn Chaldun Chronicorumque Cantabrig.* auctor non consentiunt. Ex *Nowairii* et *Ebn Chalduni* sententiâ *Ahmed ben Korhab* Siciliae praefecturam anno 912

Sublato *Ahmede ben Korhab, Musa ben Ahmed* Siciliae ab *Almehdio* praeficitur, multisque stipatus copiis in insulam eam mittitur. Nondum enim Siculis satis confidi posse *Almehdi* existimabat; id quod et eventu comprobatum fuit. Namque *Abulghaffar*, quo duce Siculi *Ahmedem ben Korhab* praefecturâ deturbaverant, eam dignitatem sibi deberi existimabat, et nonnisi aegerrime *Musae*, quem *Almehdi* Siciliae praefectum constituerat, cedebat. Ea res *Musam* permovit, ut *Abulghaffarum* prehendi, compedibusque vinctum in carcerem conjici juberet. Quod facinus magnarum per Siciliam turbarum causa fuit. Namque *Abulghaffari* frater, *Ahmed*, Agrigentinos in *Musam* concitavit; quos cum *Musa* ad obsequium cogere vellet, magnum inter utramque partem certamen exortum est. Quod Agrigentini praeiverant exemplum, complures alias Siciliae civitates ad seditionem traxit, ita ut tantis turbis se parem futurum *Musa* diffideret. Cui auxilium ab Africae principe petenti, mense Augusto anni **916** haud spernendus exercitus, duce *Abu Said Aldhaif*, suppetias mittitur. Verum et Siculi vires suas augere summopere annisi sunt; quem in finem cum *Ebn Ali Wawa Alsaari* foedus composuerunt [159]. Ut primum *Abu Said* ad Siciliam adpulit, *Panormum*, quo loco Siculi maximam copiarum suarum partem contraxerant, adgreditur. Intrepide Siculi urbem principem contra hostium impetum defenduut; at

consequitur; quâ cum per XI tantum menses functus esset, a Siculis rebellantibus pellitur. At vero *Chronicorum Cantabrig.* auctor tradit, *Ahmedem* anno **913** Siciliae Emirum factum, ejus classem anno **914** Afrorum naves flammis delevisse, anno vero **915**, cum adversus Graecos excurreret, ad locum *Halajaneh* (حلايانة) pessum ivisse, ipsum denique *Ahmedem* anno **916** Siciliae praefecturâ depulsum, et in Africam relegatum fuisse, ibique diem supremum obiisse. — Nos in eâ auctorum dissensione probatissimos, *Nowairium* atque *Ebn Chaldunum*, sequendos esse censuimus.

159) *Ebn Ali Wawa Alsaari* quisnam fuerit, Chronicorum Cantabrig. auctor, cui haec debentur, non quidem tradit; sed verisimilis *Martoranae* videtur sententia, fuisse illum belli ducem a partibus *Almoktaderi Billah* Abbasidae. Vide Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. I, p. **213**, not. **100**.

vero, continuatâ per sex menses obsidione, tanta fames *Panormi* ingruit, ut diutius resistere obsessi nequaquam possent. Igitur, pactâ vitae bonorumque securitate, mense Martio anni 917 deditionem fecerunt. Eodem anno et Agrigentum, quod a *Musd* oppugnabatur, in illius transiit potestatem. Depressâ in hunc modum Arabum Siculorum seditione, *Abu Said* cum classe in Africam reversus est. Neque *Musa* diutius Siciliae praefecturam retinuit. Cum enim *Almehdio* minus probaretur, a provinciâ suâ avocatus, ejusque in locum *Salem ben Raschid Alkenai* suffectus est. Is pactione potius quam vi reliqua quoque oppida, quae Fatimidis adhuc infensa erant, ad officium reducere conatus est. Igitur anno 919 cum *Tauromenii* celerorumque castellorum incolis, qui animum hostilem nondum exuerant, induciae componuntur, huncque in modum omnis Sicilia paulatim pacatur [160]).

Cap. XII.

Arabes Siculi Italiam vastantes prope Neptunium caeduntur. Iteratis illorum in Calabriam incursionibus, Graecorum imperator pacto tributo pacem redimit. Arabes Fraxinetum tenentes loca subalpina infestant; Afri Genuam diripiunt, in reditu a Genuensibus opprimuntur. Arabes a Guilielmo, Provinciae comite, Fraxineto exturbantur.

§. CIV.

Exterminatis anno 916 de *Gariliano* Arabibus, putares illas Italiae partes tandem aliquando quiete fruituras; verum longe aliter res cecidit. Namque iidem Graeci, quorum auxilio Arabes de *Gariliano* exterminati fuerant, societatem jam cum illâ gente inierunt, ad opprimendos Italiae inferioris principes. Cujus rei causa ea fuit, quod Apuli atque Calabri, qui Graecorum subditi erant imperio, pertaesi injuriarum, quibus a dominis suis adficiebantur, ab illis deficerent, *Landulphoque* atque *Atenulpho*, Beneventi Capuacque principibus, se subjicerent. Quos cum ad officium re-

160) Nowairi hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun p. 69 text. Arab. Chron. Cantabrig. p. 45 in Gregorii collect.

ducere suo Marte Graeci non valerent, quippe quibus eodem tempore etiam cum Bulgaris dimicandum erat, Arabes Siculos in belli societatem invitarunt. Haud cunctanter Siciliae praefectus, *Salem ben Raschid*, occasionem hanc adripuit, multisque navibus anno 919 in Italiam tetendit. In itinere insulas Aeolias adivit, *Liparam*que cepit. Ubi in Italiam adpulit, *Calabriam* populabundus peragrat, aucto in dies exercitu iis Arabum catervis, quae per Calabriam Apuliamque dispersae erant. Magna damna eo tempore et Beneventanae provinciae tam ab Arabibus, quam a Graecis illata fuêre. Maxime vero coenobia ab Arabibus male habita. Inter quae, quod *Allifis* florebat *D. Salvatoris coenobium*, nec non *B. Petri monasterium* in territorii Beneventani loco, cui *Tontole* nomen, direpta atque desolata fuere [161]). Devastatâ provinciâ Beneventanâ, Arabes Campanorum fines invadunt, locaque inter *Vulturnum* fluvium *Garilianum*que posita populantur. Deinde Garilianum trajiciunt, *Terracinam* diripiunt, *Roma*mque versus iter faciunt. Jam *Neptunium* usque processerant, verendumque erat, ne brevi *Romam* ipsam adgrederentur. In eo periculo pontifex M. *Joannes X*, unâ cum Spoleti principe, *Alberico*, copias quam possunt amplissimas colligunt, hostibusque obviam eunt. Concurrunt prope *Neptunium* agmina hostilia, funduntur Arabes, pedemque referre coguntur [162]). In quo receptu plurimum detrimenti Arabes accepêre. Namque sociatis viribus Salernitani, Amalfitani Calabrique revertentes adgressi sunt, pluribusque certaminibus, exeunte anno 921, et ineunte anno 922, adtriverunt. Quinimo ipsi quoque Graeci, reductis interea ad officium Apulis Calabrisque, ab Arabum societate defecerunt, Italorumque partes amplexi, eos in perdendis hostibus juvarunt.

§. CV.

Neque tamen ea clades Arabes Siculos deterruit; quo minus anno 923 denuo in Italiam incurrerent. In quâ incursione *Rhegium Consentiam*-

---

161) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 418.

162) Giannone storia civile di Napoli, l. VII, c. 41, §. 1. Rampoldi Annali Musulmanni, a. 919, 922.

que ceperunt, ceterasque Calabriae partes praedabundi pervagati sunt. Novis anno insequenti (924) viribus ex Africâ aucti *castellum S. Agathae* in Calabriâ expugnarunt; eodemque, vel, ut alii volunt, sequenti demum anno (925) *Oria*, Calabriae itidem oppidum, in eorum cessit potestatem. In cujus oppidi expugnatione immaniter saevitum fuit; magna incolarum pars ferro interemta, reliqui in Africam in servitutem abducti [163]). In tantis malis cum nil usquam praesidii haberent Calabri, inducias cum Arabibus fecerunt, quas quibus conditionibus redemerint, haud quidem constat, sed duriores eas fuisse inde conjicias, quod *Leo*, Siciliae episcopus, Calabriae tum temporis praefectus, firmandi pacti causâ, obses Arabibus traditus fuerit. Neque tamen induciae illae diuturnae fuerunt; siquidem jam anno 927 *Tarentum* ab Arabibus expugnatur atque diripitur, caesis partim oppidanis, partim servituti reservatis [164]). Capto *Tarento*, vicinam Apuliam Arabes invadunt, *Otrantum*que, illius provinciae oppidum, expugnant incendioque delent. Inde, correptis morbo militibus, in Siciliam revertuntur, tantumque temporis in eâ insulâ morantur, quantum reficiendis viribus sufficeret. Mox rursus in Calabriam trajiciunt, eamque terram unâ cum finitimâ Beneventanorum provinciâ pro more suo populantur. Longum esset, omnia enumerare oppida, quae tum temporis pessum data fuere; sufficiat memorasse, ex-

163) Chron. Cantabrig. p. 45, 46, in Gregorii collect. Anonymi Chron. Barense in Murat. Antiquit. It. t. I, p. 31; Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 38. — In definiendo, quo *Oria* expugnata fuit, anno auctores laudati non consentiunt. *Lupus Protospata* annum 924 exhibet; *Anonymus Chronici Barensis auctor* a. 925; *Chronicon Cantabrig.* annum 926. Tutissimum videri possit, medium inter extremos annum, videlicet 925, adscivisse.

164) Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Alathir p. 162, not. 179; Ebn Khaldoun p. 69 text. Arab. Anonymi Chron. Barense in Murat. Antiquit. It. t. I, p. 32; Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 38. — *Romualdus Salernitanus Tarentum* non ab Arabibus, verum ab Hungaris anno 926 expugnatum fuisse tradit. Cui tamen auctores citati adversantur, qui oppidi illius expugnationem unanimiter ad Arabes referunt.

pugnatâ *Termulâ* ad duodecim millia incolarum in servitutem abducta fuisse. Quae mala cum Graecorum imperator, *Romanus Lecapenus*, cui Calabria parebat, armis nequaquam arcere posset, pacto in singulos annos duorum et viginti millium aureorum tributo, pacem tandem restituit [165]).

§. CVI.

Dum haec in australi Italiae parte geruntur, qui *Fraxineti* sedes fixerant Arabes septemtrionalia illius terrae loca, maxime vero Alpium vias infestant. Quae res iis praeprimis molesta fuit atque perniciosa, qui ex septemtrionalibus terris Italiam vellent adire; quorum magna pars in viarum angustiis ab Arabibus oppressi, spoliati atque trucidati fuêre. Id quod anno 921 Anglorum accidit catervae, quae cum Romam proficisci vellet, in Alpium angustiis saxorum mole, e montium cacuminibus ab Arabibus dejectorum, obruta fuit. Simili clade etiam anno 923 aliud Anglorum agmen in Alpium faucibus deletum [166]). Eâ re illorum, qui transalpinas terras inhabitabant, populorum cum Italis commercium mirum in modum impeditum fuit. Neque tamen adjacentes tantum terras, verum etiam vicina maria Arabes illi infesta reddebant. Credibile est, eos maritimis excursionibus haud parum detrimenti Graecis quoque tulisse. Namque anno 931 Graeci piratas illos mari persequuntur, magnamque iis cladem infligunt. Vix tamen probabile, quod *Frodoardus* tradit [167]), Arabes illos tum temporis a Graecis ad internecionem deletos, eamque Italiae partem in tuto collocatam fuisse. Namque haud multo post, anno 933, ab iisdem Arabibus Alpium viae obsessae tenentur, locaque circumjacentia affliguntur [168]). Quinimo circa

---

165) Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Alathir p. 162, not. 179; Ebn Khaldoun p. 69 text. Arab. Chron. Cantabrig. p. 46, in Gregorii collect. Cedreni hist. compend. t. II, p. 650.

166) Frodoardi Chron. in du Chesne S. H. Fr. t. II, p. 591, 594.

167) Frodoardi Chron. in du Chesne S. H. Fr. t. II, p. 599.

168) Frodoardi Chron. l. c. p. 601.

annum 935 ad *Aquas (Acqui)* usque praedabundi excurrunt, quo tamen in loco, inito cum terrarum illarum incolis proelio, misere caeduntur [169]).

§. CVII.

Eodem fere tempore Arabum Afrorum classis mare Ligusticum transcurrens *Genuam* adpulit. Quibus causis homines illi eam Italiae partem petierint, non quidem constat; sed credibile est, cupidine praedae inductos cursum eo direxisse. Accidit autem, ut eo ipso tempore Genuensium copiae navales ab urbe abessent. Quâ re nil optatius Arabibus esse potuit; namque nemine fere resistente in terram escenderunt, urbemque adorti sunt. Quam cum facili negotio cepissent, magnam hominum stragem ediderunt, urbem diripuerunt, mulieres parvulosque captivos abduxerunt. Haud multo postquam discessissent, Genuensium copiae navales domum revertuntur; quae ut primum audivêre, quantam cladem civitati Arabes intulerint, illico naves solvunt, hostesque persequuntur. Interea Arabes in insulam quandam, Sardiniae adjacentem, adpulerant, ut praedam illic dividerent, genioque indulgerent. Quos necopinantes adorti Genuenses ad internecionem delerunt. In cujus rei testimonium multis annis post ingens tumulus monstratus fuit, qui occisorum corpora tegere putabatur. Deletis hostibus Genuenses mulieres, parvulos, omnemque praedam recuperarunt, magnoque cum gaudio domum reversi sunt [170]).

§. CVIII.

Interea Arabes *Fraxineti* degentes, etsi iteratis vicibus magnam hominum jacturam fecissent, novis tamen ex Hispaniâ incrementis acceptis, vires suas reparant, solitoque more loca subalpina incurrunt, et viatores,

---

169) Luitprandi hist. l. IV, c. 2, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 452; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 171.

170) Luitprandi hist. l. c. Jacobi de Voragine Chron. Januense in Murat. S. r. It. t. IX, p. 10, 11; Danduli Chron. Venet. l. VIII, c. 11, Murat. S. r. It. t. XII, p. 201; Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun p. 69 text. Arab. Chron. Cantabrig. p. 46, in Gregorii collect.

qui per Alpium fauces Italiam peterent, praedantur atque trucidant. Quae latrocinia licet quotannis exercerent, tamen maxime annis **936, 939** et **940** magna damna Christiano nomini intulerunt [171]. Ut cetera, quae illo tempore ab Arabibus afflictata fuére, oppida taceamus, unius *Fori Julii* mentionem injecisse juvat, quod oppidum, tum temporis sat amplum, anno **940** male adeo habitum fuit, ut ab omnibus fere incolis desereretur. Eam injuriam diutius haud tolerandam ratus *Hugo*, Italiae rex, statuit, infestissimos illos homines e sedibus suis exterminare. Quod ut facilius efficere posset, legatos Constantinopolim misit, qui Graecorum imperatorem rogarent, ut copiis navalibus in debellandis Arabibus sese juvaret. Id namque *Hugo* spectabat, ut, dum ipse terrestri exercitu ***Fraxinetum*** adgrederetur, Graeci ex alterâ parte maritimis copiis hostes impugnarent, caverentque, ne illi ex Hispaniâ commeatu auxiliisque juvarentur. Adnuit Hugonis petitioni ***Romanus***, eâ tamen conditione, ut nepoti suo *Constantino Hugo* filiam suam in matrimonium daret. Quam conditionem cum *Hugo* accepisset, Graecorum imperator, quas ille expetierat, copias navales in Italiam misit. Igitur terrâ marique Arabes impetuntur. Quorum naves cum Graecorum classem, quo minus adpelleret, arcere vellent, igne injecto comburuntur. Haud minori eum successu et terrestris ***Hugonis*** exercitus rem gerit. Tantâ enim vi ***Fraxinetum*** oppugnat, ut Arabes, abjectâ spe retinendi oppidi, nonnisi in fugâ salutem sibi relictam existimarent. Igitur deserto oppido in montem vicinum se recipiunt, ibique castra locant muniuntque. In eo loco Arabes facile ad internecionem deleri potuissent, nisi ***Hugoni*** satius visum fuisset, ad arcendum ab Italiâ ***Berengarium*** illorum operâ uti. Namque ***Berengarius***, ***Jorcae*** princeps (Marchio), ut ***Hugonis*** insidias vitaret, in Germaniam confugerat; ubi a Sueviae duce, ***Hermanno***, Germaniaeque rege, ***Ottone***, honorifice exceptus et in tuto collocatus fuit. Qui ne Germanorum adjutus auxiliis Italiam invaderet, cum timeret ***Hugo***, Arabibus parcendum, Alpiumque custodiam illis committendam duxit. Igitur, dimissis Graecorum auxiliis, Arabes in societatem tutelamque suam recepit, eâ conditione, ut Alpes, quae Italiam

171) Frodoardi Chron. in du Chesne S. H. Fr. t. II, p. **602, 604, 605.**

a Germaniâ dirimunt, insiderent, et *Berengarium*, si forte Italiam invadere vellet, arcerent rejicerentque. Acceptâ conditione Arabes sedes sibi adsignatas, inque his maxime *Sancti Bernhardi* montem, occupant. Neque tamen *Berengarium* arcent; is enim anno 945 Italiam cum exercitu invadit, *Hugonem*que regno exuit. At vero miseri viatores, qui Italiam petebant, ab Arabibus spoliautur atque trucidantur, nisi gravi tributo securitatem vitamque redimerent[172]). Neque praedones illi satis habent, Italiae fauces obsedisse atque infestasse; imo etiam in planum descendunt, Nicaeam usque et maris Genuensis litora excurrentes. Credibile est, hominum illorum agmen aliquamdiu *Nicaeae* consedisse, si quidem oppidi illius vicus in hodiernum diem a *Saracenis* nomen gerit [173]).

§. CIX.

Neque tamen rapinae illae Arabibus, Alpium juga inhabitantibus, impune semper cessêre; quinimo circa seculi decimi medium gravem passi sunt calamitatem. Illo namque tempore castrum *Frascenedellum*, quod Arabes tenebant, captum atque devastatum est [174]). Quae res, si *chronicorum Novaliciensium* auctorem audiamus, in hunc fere modum acta fuit. Cum saepissime e castro illo Arabes loca circumjacentia incursarent, praedamque reportatam inter se partirentur, accidit aliquando, ut inter duos illorum duces de muliere formosâ, quae capta fuerat, contentio oriretur. Quam

---

172) Luitprandi hist. l. V, c. 4, 5, 7, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 462—464; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 176—180.

173) Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 180.

174) De castri *Frascenedelli* situ certi quid statuere, difficile videtur. Doctiss. *Reinaud* in opere jam saepius laudato, p. 181, 182, fluctuat, utrum castrum illud ad *Padum*, haud procul *Casali*, ubi nunc *Frassinetum*, an eo loco, quem nunc *Fenestrella*, Sabaudiae castellum, tenet, positum fuerit. Fortasse omnis illa Chronicorum Novaliciensium de castro *Frascenedello* narratio ad *Fraxinetum Provinciae*, ejusque per *Guilielmum*, Provinciae comitem, excidium referenda.

cum alter litigantium adhibitâ vi sibi vindicaret, alter, cui *Aimo* nomen, cupidine ulciscendae injuriae incensus, ad Provinciae comitem, *Rotbaldum*, confugit, eique operam suam in impugnandis Arabibus pollicetur. Accipit conditionem animo lubentissimo *Rotbaldus*, validâque manu, comite vel duce *Aimone*, *Frascenedellum* tendit. Quod castrum cum adtigisset, *Aimo*, quâ viâ atque ratione facillime expugnari possit, edocet. Neque consilio illi defuit successus; facto impetu *Frascenedellum* expugnatur, Arabum plurimi caeduntur, paucissimi in montes saltusque vicinos evadunt, ibique dilabuntur. In hunc modum ea regio ab Arabum vexatione injuriisque vindicata fuit [175]).

§. CX.

Licet autem uno alterove loco Arabes pellerentur, haud tamen desinebant terras Alpibus subjectas incursare atque populari. Praeter *Provinciam*, quae mali illius sedes fuit, *Delphinatus*, *Sabaudia*, *Pedemontium*, imo et *Helvetia* gravissima damna ab hominibus illis accepère. Ea res *Ottonem I*, Germaniae regem, postmodum imperatorem, permovit, ut exturbandorum e terris illis Arabum consilium iniret. Sed fama ferebat, Arabes, *Provinciam* incolentes, *Abdurrahmani*, Chalifae Cordubensis, praesidio inniti; quare optimum *Ottoni* visum est, missâ ad *Abdurrahmanum* legatione, de revocandis ex *Provinciâ* terrisque adjacentibus Arabibus cum illo tractare. Cujus legationis quisnam fuerit exitus, haud quidem compertum est; at vero constat, Arabes et postmodum *Provinciam* infestasse; unde colligas, *Ottonis* legatum haud multum apud *Abdurrahmanum* profecisse [176]). Nihilo tamen minus inde ab anno 960 Arabum Alpinorum potentia frangi coepta; illo namque anno de *Sancti Bernhardi* monte dejiciuntur; quinquennio post, anno 965, e territorio *Gratianopolitano* expelluntur. Quinimo et imperator *Otto* impugnandorum Arabum consilium nequaquam abjecerat; id quod ex

175) Chron. Novalic. l. V, c. 8, in Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 736, 737.

176) Legationis illius historia habetur in Mabillonii Actis Sanctor. ord. St. Benedicti, saec. V, p. 404, sequ. Conf. Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 187—195.

ejusdem adparet epistolâ, anno 968 ad Germaniae proceres datâ, in quâ id se agitare imperator docet, ut, misso adversus Arabes, *Fraxineti* degentes, exercitu, latrones illos penitus ex eo loco exterminaret [177]). Neque tamen laudabile hoc propositum ad effectum perductum fuit. Exorto enim haud multo post inter *Ottonem* et *Nicephorum*, Graecorum imperatorem, bello, *Otto* a consilio impugnandorum Arabum avocatus fuit.

§. CXI.

Quod *Ottoni* non licuit, aliis rebus distracto, brevique post, a. 973, morte pracoccupato, id tandem *Guilielmus*, Provinciae comes, perfecit. Jam dudum terrarum subalpinarum incolae damnorum, ab Arabibus sibi illatorum, pertaesi erant; sed maxime eorum movit indignationem injuria, quâ Cluniaci Abbas, *Majolus*, ab Arabibus adfectus fuit. Namque is Româ, quo religionis causâ profectus fuerat, redux, ab Arabibus, inter *Vapincum* et *Eborodunum (Gap* et *Embrun)* locatis, cum magnâ viatorum catervâ interceptus, fame sitique cruciatus, et nonnisi ingenti pecuniâ solutâ in libertatem restitutus fuit. Quae injuria, tanto viro illata, omnes terrarum subalpinarum incolas Christianos ad repetendas ab Arabibus poenas incitavit. Igitur primo, qui *Delphinatum* incolebant, Christiani arma contra Arabes capiunt, eosque ex arcibus suis expellunt. Quod hi praeivère exemplum, *Provinciae* incolae secuti sunt, qui, duce *Guilielmo*, Provinciae comite, Arabes in primariâ suâ sede, *Fraxineto*, adgressi sunt. In eo loco summâ cum contentione utrinque pugnatum est. Tandem omnibus ex partibus circumventi et ad incitas redacti Arabes noctu ex arce prorumpunt, inque vicinos saltus profugiunt. Persequuntur profugos Christiani, maximamque eorum partem vel

177) Witichindi Annal. l. III, in Meibomii rer. German. Script. t. I, p. 661; Pagii Critica in Baronii Annales, ad a. 968, t. IV, p. 19. Mirum videri possit, *Ottonem* de exterminandis *Fraxineto* Arabibus cogitasse, cum jam ab *Hugone*, Italiae rege, ut supra memoratum, Arabes inde pulsi fuerint. At vero homines illi insequenti tempore locum eum vel denuo occupasse, vel illius nomen in novas sedes transtulisse videntur.

caedunt, vel capiunt, paucissimi elabuntur. In hunc modum grex ille praedonum anno 975 disjectus fuit, postquam ultra octoginta annos loca Alpibus subjecta infestasset [178]).

Cap. XIII.

Arabes Sardiniam Corsicamque in potestatem suam redigunt. Modschahed summam rerum in Sardiniâ tenet. Arabes Sardi Pisanorum fines invadunt, Pisas opprimunt, quae tamen urbs Chiuzicae beneficio servatur. Arabes a Pisanis ad Lunam caeduntur, Modschahed Sardiniâ exturbatur, quam insulam Pisani occupant. Modschahed Sardiniam iteratis vicibus adgressus, iterato funditur.

§. CXII.

Sed tempus monet, ut rerum in *Sardiniâ Corsicâ*que ab Arabibus gestarum rationem habeamus. At vero insularum illarum historia per seculi noni decimique decursum adeo sterilis est, ut de earum per illa tempora conditione vix quidquam compertum habeatur. Id certe constat, Arabes et seculo nono ab incursionibus suis non destitisse, donec utramque insulam in potestatem suam redegerint. Maxime vero medio seculo nono et *Sardiniam* et *Corsicam* adflixisse videntur; eo namque tempore magna Sardorum Corsorumque turba patrium solum reliquit, inque Italiam trajecit, novas quaerens sedes. Subvenit profugorum necessitatibus *Leo IV*, pontifex maximus, urbemque *Ostiensem* incolendam illis adsignavit [179]). Cum in hunc modum *Sardinia* atque *Corsica* haud exiguo incolarum suorum numero

178) Glabri Rudolphi hist. l. I, c. 4, in du Chesne S. II. Fr. t. IV, p. 6; Pagii Critica in Baronii Annal. ad a. 972, t. IV, p. 30; Reinaud Invasions des Sarrazins en France, p. 201—212. — De Arabum, *Fraxinetum* incolentium, per *Provinciam, Sabaudiam, Pedemontium Helvetiam*que excursionibus uberrime atque diligentissime disputavit *Reinaud* in tertiâ operis laudati parte, p. 157—225. Nos, pro instituti nostri ratione, ea maxime adtigimus, quae ad illustrandam Italiae historiam pertinere videbantur.

179) Anastasii Bibliothecarii vita Leonis IV, Murat. S. r. It. t. III, P. I, p. 242.

destituerentur, fieri non potuit, quin brevi utraque insula in Arabum deveniret potestatem. Quo tempore id factum sit, non quidem constat; sed credibile est, *Corsicam* vel medio seculo nono, vel haud multo post ab Arabibus occupatam fuisse. *Sardiniam* quod adtinet, diligentissimus ille rerum Italicarum serutator, *Muratorius* [180]), existimat, insulam illam ante annum 865 nequaquam in Arabum cessisse ditionem. Eo namque anno Christianos adhuc judices in *Sardiniâ* obtinuisse, quos dissolutam propter vitam *Nicolaus I*, pontifex M., excommunicationis poenâ adfecerit. In *Muratorii* sententiam et *Matthaejus* descendit [181]), his maxime nixus argumentis, quod circa annum 891 quatuor adhuc in *Sardiniâ* sedes episcopales, *Calaritana* nimirum, *Sulciensis*, *Turritana* et *Phausaniensis*, locum habuerint [182]); quinimo ipsa *Sardinia* eodem tempore inter imperii Byzantini provincias recenseatur [183]). Quae argumenta etsi non omnem tollant dubitationem, tamen probabile admodum videtur, ante seculi noni exitum *Sardiniam* Arabum imperio vix fuisse subjectam.

§. CXIII.

Quaenam per seculi decimi decursum *Sardiniae* fuerit fortuna, penitus ignoratur. Si *Herbelotium Cardonniumque* audiamus, insula illa circa annum 970 jam Arabum imperio subjecta fuit. Tradit enim uterque, *Moëzzum Ledin Allah*, quartum ex Fatimidarum gente principem, postquam annos viginti in Africâ regnasset, relictâ *Mansuriâ*, *Sardiniam* petiisse, inque

180) Antiquit. Ital. medii aevi, t. II, dissert. 32, p. 1076.

181) In dissertatione de Sardiniâ ejusque ecclesiis, c. II, nro. VIII, IX, p. 6, 7, Sardiniae sacrae.

182) Conf. episcopatuum Graecorum notitiam, quae in ceteris habetur ad calcem Georgii Codini de Curiae et Ecclesiae Constantinopol. officiis, p. 353, edit. Jac. Goar.

183) Conf. Provinciarum imperii Orient. notitiam in Schelstratii Antiquit. Eccles. t. II, p. 719; quae notitia non anno 881, vel 883, ut *Schelstratius* opinatur, verum a. 891, sicuti *Beveregius*, *Pagius Matthaejusque* docuerunt, concinnata fuit.

insulâ illâ integrum annum (361 H., 971 p. Chr.) degisse [184]). In utriusque sententiam et *Mimaut* transivit, qui medio seculo decimo Arabes stabiliendae in *Sardiniâ* dominationis suae consilium cepisse, idque consilium inde ab anno 970 ad annnm 1000 usque executos fuisse contendit [185]). At vero, sicuti viri doctissimi *Reinaud* et *Quatremère* jam docuerunt [186]), omnis illa de *Moëzzi* in insulam *Sardiniam* itinere narratio falsâ vocabuli سردانية, *Sardaniah*, nititur interpretatione. Refert enim *Nowairius*, ad quem auctorem *Herbelotius* provocat, *Moëzzum*, priusquam Aegyptum peteret, in loco voluptario, cui *Sardaniah* nomen, per anni unius spatium commoratum fuisse. Jam vero locus ille nequaquam cum insulâ *Sardiniâ* confundendus; quippe qui in Africâ, haud procul *Dscheluld* et *Kairawano* situs erat. Fortasse, quae est doctiss. *Quatremère* conjectura, locus ille a Sardis, quos captivos e patriâ suâ Arabes abduxerant, inque Africae oras transportaverant, nomen traxit [187]). Quodsi nullo testimonio comprobari potest, *Moëzzum* in insulâ *Sardiniâ* commoratum fuisse, perperam etiam contenditur, principem illum, cum *Sardiniâ* discederet, praefectis, sive Emiris, insulam eam suo nomine administrandam commisisse; quos inter *Modschahed,*

---

184) D'Herbelot ad vocem Moëz Ledin-illah; Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. 67, 82.

185) Histoire de Sardaigne, t. I, c. 24, p. 93, 94.

186) Invasions des Sarrazins en France, p. 208, nota 2; Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, Journ. Asiat. troisième serie, t. III, p. 87.

187) Quod de *Moëzzi* in Sardiniam itinere viri doctiss. *Reinaud* et *Quatremère* docuerunt, procul dubio etiam de principis *Zeiridae Abu Menad Badis* in insulam illam profectione statuendum videtur. Refert enim *Cardonnius* (Histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. 96) principem illum, ut primum post patris *Abulkasemi* mortem, a. 996, rerum potitus sit, in *Sardiniam* profectum fuisse, inque eâ insulâ Africae proceres in illius obsequium jurasse. Verum etiam in hac narratione villam illam voluptariam, cui *Sardaniae* nomen, cum insulâ *Sardiniâ* confundi, jam inde colligas, quod haud verisimile videatur, *Badisum* regni proceres in insulam ab Africâ remotam ad dicendum sibi sacramentum arcessivisse.

sive ***Mugetus***, ut auctores Latini habent, summam imperii regiumque nomen sibi vindicaverit [188]). Id unum constat, ineunte seculo decimo primo Arabes in ***Sardiniae*** historiâ denuo comparere, inque eorum ducibus ***Modschahedum*** prae ceteris emmere [189]).

§. CXIV.

Igitur ineunte seculo decimo primo Arabes expugnandae ***Carali*** intentos videmus, quam urbem anno **1002** in suam redegerunt potestatem [190]). Utrum urbem illam tum primum occupaverint, an occupatam jam antea, post vero amissam, recuperaverint, non ausim pronuntiare. Expugnatâ ***Carali*** vix quisquam in ***Sardiniâ*** Arabibus se opposuisse videtur; quare exteris oris arma sua intulerunt. Cum Pisani eo tempore haud parum mari pollerent, fieri non potuit, quin interdum cum Arabibus concurrerent, inimicitiasque cum illis exercerent. Quare in Pisanorum fines Arabes Sardi jam irruerunt, iisque depopulatis magnam praedae captivorumque copiam asportarunt. Quam injuriam ut ulciscerentur Pisani, Sardiniae bellum intulerunt. Sed inceptum hoc successu destitutum fuit. Namque Pisanorum vicini Lucenses, absente illorum exercitu, in fines eorum incurrerunt; quae injuria Pisanos permovit, ut copias suas quantocius ex Sardiniâ revocarent [191]).

§. CXV.

Triennio post, a. **1005**, Arabes Sardi Pisanorum fines denuo invaserunt, ipsasque ***Pisàs*** in magnum discrimen addnxerunt. Nuntiatum fuerat Arabibus Sardis, Pisanos cum copiis navalibus Calabriam petiisse, ut illius terrae incolis contra Arabum Siculorum incursiones auxilium ferrent. Eam occasionem haud praetermittendam Arabes Sardi rati, ad ***Arni*** ostium trajecerunt, eoque fluvio ***Pisas*** usque subvecti, urbem adorti sunt, eamque ex parte ceperunt diripueruntque. In eo periculo mulierem, cui ***Chinzicae***

---

188) Mimaut Histoire de Sardaigne, t. 1, c. **24**, p. **94**.
189) Manno Storia di Sardegna, édit. III, t. 1, l. VII, p. **268**.
190) Breviarium Histor. Pisanae, in Murat. S. r. It. t. VI, p. **167**.
191) Breviarium Hist. Pisanae, l. c.

nomen, urbem ab excidio vindicasse ferunt. Dum enim terrore subito perculsi quam plurimi oppidanorum trepidant fugiuntque, illa principes civitatis de periculo instante certiores facit, pulsis campanis oppidanos convocat, et ad defendendam ab hostibus urbem incitat. Qui ubi Pisanos animum colligere et ad arma confluere vident, conscensis navigiis in fugam se conjiciunt. Conservatis in hunc modum *Pisis*, magnanimae mulieri statuam oppidani collocant, illique urbis parti, quam hostes occupaverant, *Chinzicae* nomen imponunt. Haud multo post et Pisanorum exercitus, qui contra Arabes, per Calabriam grassantes, profectus fuerat, ad *Rhegium* oppidum cum illis conflixit, pulsisque hostibus victor domum reversus est [192]).

§. CXVI.

Jam illatis sibi injuriis ad ultionem de Arabibus Sardis exigendam Pisani incitabantur; sed accedebat et pontificis summi, *Joannis XVIII*, exhortatio, quippe qui edicto, anno **1004** emisso, principes Christiano nomini addictos ad liberandam a Christicolarum hostibus Sardiniam provocaverat, illisque insulae illius ditionem promiserat, quibus Arabes inde exturbare contingeret. His causis incitati Pisani, quotiescunque occasio sese offerret, Arabes Sardos bello lacessebant; neque tamen ante annum **1016**, quod memoriâ dignum esset, gessisse videntur. Illo autem anno, consociato cum Genuensibus Marte, *Modschahedum* adorti sunt, insignemque de illo victoriam reportarunt. Ea vero res in hunc modum acta fuit. Adpulerant Arabes

---

192. Chron. Pisan. in Murat. S. r. It. t. VI, p. **107**; Breviar. Hist. Pis. Murat. t. VI, p. 167. — Quae de *Chinzicâ*, Pisarum vindice, traduntur, (Vid. Tronci Memorie Istoriche della città di Pisa, p. **10**.) a *Muratorio* in Italiae Annalibus, t. IX, p. **146**, in dubium vocantur. Opinatur doctissimus vir, *Chinzicae* nomen ex linguâ Arabicâ petitum, illique Pisarum regioni eam propter causam inditum esse, quod illic negotiatores Arabes, qui exercendae mercaturae causâ Pisas adirent, deversarentur. Nobis, etsi illa de *Chinzicâ* narratio suspecta omnino videatur, tamen non liquet, a quonam linguae Arabicae vocabulo *Chinzicae* nomen sit derivandum.

Lunam, Etruriae civitatem, eâque occupatâ in circumjacentes terras excurrebant, earumque incolis multas injurias damnaque inferebant. Cujus rei nuntius cum ad pontificem summum, *Benedictum VIII*, delatus esset, finitimarum terrarum principes civitatesque provocavit, ut ad exturbandos *Lunâ* Arabes auxilio sibi essent. Morem pontifici summo prae ceteris gesserunt Pisani atque Genuenses, copiisque et maritimis et terrestribus Arabes adgressi sunt. Atrox illic certamen exortum, ancipitique Marte per tres dies pugnatum est. Tandem in Christianorum partes victoria inclinavit, magnaque hostium strages edita fuit. Quam stragem Arabum dux *Modschahed* singulo navigio effugit, relictâ uxore suâ, quam cum ingenti praedâ Christiani ceperunt. Inter spolia, quae victores retulerunt, prae primis diadema, auro gemmisque mirum in modum distinctum, memoratur, quod *Modschahedi* uxori ereptum, summoque pontifici oblatum fuit. Quod muliebre ornamentum, mille librarum pretio aestimatum, pontifex summus postea *Henrico II*, imperatori, dono dedit [193]).

§. CXVII.

Acceptâ ad *Lunam* clade *Modschahed* furibundus in Sardiniam reversus est, illiusque damni poenas a Christianis insulam incolentibus repetere statuit. Igitur omnibus modis illos vexare, quinimo atrocissimis haud raro cruciatibus insontes adficere. Ut vero et Sardiniae incolas facilius in officio continere, et ab exteris hostibus insulam illam promtius defendere posset, urbis condendae, et quam firmissime muniendae consilium cepit. Quae cum pontifex summus, *Benedictus VIII*, rescivisset, misso Pisas episcopo Ostiensi, civitatis illius populum ad bellum contra *Modschahedum* denuo suscipiendum sollicitavit. Neque Pisani pontificis summi petitionem abnuerunt, adsumtisque Genuensibus belli sociis, anno 1017 in Sardiniam trajecerunt. Interea et ipsi *Modschahedi* milites, coeli Sardoi gravitatem dinturnamque a patriâ

---

193) Dithmari Chron. l. VII, in Leibnitii Scriptorib. rer. Brunsvicens. t. I, p. 411; Chron. Pisan. Murat. S. r. It. t. VI, p. 107; Breviar. Hist. Pisanae, Murat. t. VI, p. 167.

absentiam aegre ferentes, de duce suo conqueruntur. Haud illi sufficere Hispaniae insulaeque Ebusi (Yebisat) fertilissimas terras, peragrare eum maria periculosa, ut avaritiae suae satisfaceret, neque inde quidquam emolumenti in milites redundare, contra nonnisi gravissimos labores interitumque ipsos manere. Quae querelae cum magis magisque in dies audirentur, intelligeretque *Modschahed*, si diutius in Sardiniâ moraretur, et cum hostibus, et cum militibus suis negotium sibi fore, insulam illam inpraesentiarum deserere statuit. Igitur collectis omnibus divitiis, captivis armentisque naves cum copiis suis conscendit, ancorasque solvi jubet. At vero male ea profectio cessit. Namque, exortâ paulo post tempestate, misere Arabum classis disjicitur. Magna navium pars undis demergitur, aliae ad litoris Sardoi scopulos adliduntur. Ab omni parte certa pernicies infelicibus imminet; namque qui aquarum voragines effugiunt, ab hostibus in litore collocatis excipiuntur atque trucidantur. Cessante denique tempestate, *Modschahed* exiguas classis suae reliquias colligit, inque insulam *Ebusum* sese recipit. Liberatam in hunc modum ab Arabibus Sardiniam Pisani occuparunt, summi pontificis innixi promissis, qui insulae ejus ditionem, si Arabes exturbare contingeret, Pisanis pollicitus fuerat. At vero Genuenses, quorum auxilio Sardinia expugnata fuit, insulam illam sibi vindicare contenderunt. Ex eâ contentione bellum inter utrumque populum exortum est, in quo Pisani superiores evaserunt, adeo quidem, ut, ejectis Genuensibus, soli Sardiniâ potirentur [194].

§. CXVIII.

Neque tamen *Modschahed* Sardiniae renuntiaverat; contra, contractis in Africâ auxiliis, anno 1021 in insulam illam reversus est, ut, si fieri posset, eam denuo in suam redigeret potestatem. At vero Pisani, solos se *Modschahedi* copiis impares existimantes, Genuenses iterum ad belli societatem invitarunt. Consensère Genuenses, sed acceptae a Pisania injuriae

194) Chron. Pisan. Murat. S. r. It. t. VI, p. 108; Breviar. hist. Pisanae, Murat. S. r. It. t. VI, p. 167; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. I, P. II, c. 110, p. 595, 596.

memores, veritique, ne rursus praemio suo defraudarentur, pactionem fecerunt, ut omnis praeda, quae ex illo bello redundaret, sibi adjudicaretur; Pisanis vero ipsa Sardinia in possessionem cederet. Quo pacto composito Pisani atque Genuenses junctis viribus *Modschahedum* adgressi sunt, fusumque atque fugatum ex insulâ exturbarunt. Genuensibus ex pacto amplissima spolia, quae ex hostibus relata fuere, cesserunt; Pisani autem insulam ipsam sibi vindicarunt. Quam cum occupassent, in quatuor provincias, *Caralitanam, Arborensem, Turritanam* atque *Galluriensem* diviserunt, singulisque provinciis judicem, negotia publica qui administraret, praefecerunt [195]).

§. CXIX.

Etsi vero iteratâ jam vice Arabes ex Sardiniâ ejecti essent, tamen haud destitisse videntur, repetitis incursionibus insulam illam lacessere. Quibus injuriis ut finem imponerent Pisani, in Africam trajicere, hostibusque in patriâ ipsorum terrâ arma inferre statuerunt. Igitur anno **1035**, collectis quam maximis copiis, Africam petunt, classemque haud procul *Bonâ* adpellunt. Devastatis oris maritimis ipsam *Bonam* expugnant, ingentique praedâ potiti domum revertuntur [196]). Eâ incursione Pisani effecêre, ut Arabes aliquamdiu Sardiniâ abstinerent; quamvis non omnem ejus recuperandae spem abjecissent. Ergo per tria exinde lustra Sardi quieti degerunt. At vero medio seculo decimo primo *Modschahed*, amplissimis contractis auxiliis, Sardiniam denuo invasit. Quem impetum cum Pisani nequaquam praecavissent, facili negotio Arabes omnem insulam, praeter civitatem *Caralitanam*, in suam redegerunt potestatem. Eâ jacturâ etsi haud parum Pisani pertur-

---

195) Breviar. hist. Pis. Murat. S. r. It. t. VI, p. 167; Benvenuti Imolensis Comment. in Dantii Comoed. in Murat. Antiquit. Ital. t. I, p. 1089; Matthaeji Sardinia Sacra, c. II, nro. XI, p. 8.

196) Chron. Pis. in Murat. S. r. It. t. VI, p. 108; Breviar. bist. Pis. Murat. S. r. It. t. VI, p. 167. — Si Breviarii hist. Pis. auctorem audiamus, Pisani in eâ expeditione, praeter *Bonam*, et *Carthaginem*, ejusque civitatis regem ceperunt. Cujus rei cum in Chronicis Pisanis nulla injiciatur mentio, dubitari possit, an omnino evenerit.

barentur, tamen animum non desponderunt; quinimo *Leonis IX*, pontificis summi, maxime exhortatione erecti atque incitati, ad expugnandam denuo Sardiniam se accinxerunt. Neque inceptum hoc prospero destitutum fuit successu. Namque trajecto in Sardiniam exercitu, commissoque ad *Caralim* certamine, Pisani superiores evaserunt, ipsumque Arabum ducem, *Modschahedum*, interceperunt. Quo pertinacissimo adversario postquam potiti sunt, mox omnem insulam recuperarunt. In hunc modum Sardinia anno 1050 denuo in Pisanorum devenit potestatem [197]).

§. CXX.

Quod ad Arabum res, in insulâ *Corsicâ* inde a medio seculo nono gestas, adtinet, altissimum apud illorum temporum scriptores silentium. Si *Philippinum* audiamus [198]), *Hugonis Colonnae* posteri, *Blancus, Orlandus, Rudolphus, Guido* atque *Henricus* insulam illam per seculi noni decimique decursum tenuerunt; at vero jam superius monitum fuit, omnem illam de expugnatâ per *Hugonem Corsicâ* narrationem admodum esse suspectam; quare et ea, quae de *Hugonis* posteris, in insulâ illâ dominantibus, traduntur, vix majorem fidem mereri videntur. Quodsi in re incertâ conjecturae locus, putarim, nono decimoque seculo *Corsicae* eandem atque *Sardiniae* fuisse fortunam, neque Arabes e *Corsicâ* prius exturbatos, quam eorum in *Sardiniâ* dominatio labefactata esset.

---

197) Breviar. hist. Pis. in Murat. S. r. It. t. VI, p. 167. — Sunt, qui *Modschahedum*, ante quam Pisani in Sardiniam adpulissent, insulam eam deseruisse tradant. In his *Tronci* (Memorie Istoriche della città di Pisa, p. 19.) Quod quâ auctoritate adseratur, non habemus compertum. Nos auctorem laudati Breviarii hist. Pisanae secuti sumus, qui regem *Mugetum* a Pisanis captum, ejusque coronam imperatori *(Henrico III)* traditam fuisse narrat.

198) Historia di Corsica, l. II, p. 52.

Cap. XIV.

Agrigentum Panormusque seditionem movent, quam Chalilus capto utroque oppido sedat. Siciliae res in meliorem ordinem rediguntur. Graeci ab Arabibus in Calabriâ caeduntur, pacemque pacto tributo redimunt. Arabes Siculi solenni sacramento Almoëzzo obstringuntur, Tauromenium expugnant, Graecos terrâ marique superant, Romettam Tauromeniumque delent, nova oppida in Siciliâ condunt.

§. CXXI.

Expeditior aliquando Siciliae, quam Sardiniae atque Corsicae historia. Pacatâ, ut superius monitum fuit, circa annum 919 per praefectum *Salem ben Raschid* insulâ illâ, vix quidquam, quod memoriâ dignum esset, illic gestum fuisse videtur usque ad annum 932. Hoc anno seniores duo, *Ben Salmah* et *Ebn Aldajah*, in Siciliam venisse, Siculosque magnâ mulctâ mulctasse traduntur [199]. Credibile est, seditionem aliquam tum temporis exortam, et duumviros illos in Siciliam missos fuisse, ut in facinoris illius causas inquirerent, ejusque auctores debitis poenis adficerent. Sed durius, quam par esset, quaesitores illi Siculos tractasse videntur; namque ubi anno sequenti in Africam reversi sunt, operam suam principi *Almehdio* nequaquam probarunt [200]. Haud multo post, anno scilicet 934, Africae princeps, *Obeid Allah Almehdi* de vitâ decessit, regnique haeredem filium suum, *Abulkasem Mohammed Alkajemum*, reliquit. Qui ut primum imperium auspicatus est, repetitis turbis Sicilia concussa fuit. Earum causa ad *Salemum ben Raschid* referenda, qui intolerandâ superbiâ atque atrocitate omnium animos in se concitaverat. Quo factum est, ut *Agrigentini*, impatientes injuriarum, quibus adficiebantur, anno 937 adversum *Salemum* rebellarent, milites praesidiarios oppido pellerent, castelli *Albellut* praefectum loco suo exturbarent, ejusque copias armis privarent. Quod ubi *Salemo* nuntiatum fuit, exercitum duce *Abu Dekak* misit, qui Agrigentinos ad obsequium cogeret. In illo itinere *Abu Dekak* ad locum, cui *Osrah* nomen,

---

199) Chron. Cantabrig. p. 46, in Gregorii collect.
200) Chron. Cantabrig. l. c.

pervenit, eumque, quod pariter defecerat, oppugnare statuit. Quod cum rescivissent Agrigentini, sumtis armis, *Salemi* exercitui obviam eunt, consertoque certamine illum fundunt fugantque. Ea victoria tantum animi Agrigentinis addidit, ut ad *Panormum* usque excurrerent; eamque urbem oppugnare molirentur. Quod tamen inceptum male cessit. Namque Panormitani, *Salemo* et *Maimune ben Musa* ducibus, Agrigentinos adorti sunt, fusosque atque fugatos ad pistrina *Marnuh* usque propulerunt [201]).

§. CXXII.

Etsi vero Agrigentini a *Salemo* fugati essent, tamen ea seditio nequaquam fuit oppressa; contra in dies latius serpsit, brevique iterum prorupit. Cujus seditionis duces fuère *Ben Alsabajah* et *Abu Tar*, qui mense Septembri anni 937 cum *Salemi* exercitu congressi sunt, magnâque cum contentione adversus illum dimicarunt. At vero fortitudinem eorum non aequavit fortuna; namque a *Salemo* superati, ipsique duces capti, paloque infixi sunt. Neque tamen et hoc infortunio Siculorum animus fractus fuit; quinimo reparatis viribus, maxime Panormitanorum accessione, qui jam ipsi a *Salemo* defecerant, ducibus *Isaco Albostani et Mohammede ben Haman*, bellum redintegrant. Verum et hac vice haud meliori fortunâ Siculi usi sunt; pulsi a *Salemo* in antiquam Panormi arcem se receperunt, ibique obsidione clausi fuerunt. Interea Africae princeps *Alkajemus* literis a *Salemo* acceptis certior factus de iis, quae in Siciliâ agebantur, copias contrahit, easque duce *Chalilo, Isaci filio*, in insulam illam ad opprimendam seditionem mittit. Ut primam *Chalilus* Panormum adpulit, exemplum edere statuit, quo Siculi a rebus novis deterrerentur. Igitur *Panormi* moenia everti jussit,

201) Chron. Cantabrig. p. 47; Nowairii hist. Sicil. c. V; Ebn Khaldoun p. 69, 70 text. Arab. Schehabuddini hist. Siciliae, in Gregorii collect. p. 59; Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 402 text. Arab. — In describendâ Agrigentinorum seditione haud parum inter se discrepant scriptores laudati. Nos cum *Martoranâ* auctorem *Chronic. Cantabrig.* maxime sequendum duximus, quippe qui hanc historiae Siculae partem diligentius *Nowairio*, *Ebn Chalduno* atque *Abulfedâ* tractavit.

quamvis oppidani absque morâ deditionem fecissent. At vero ea severitas Siculorum animos non depressit, sed acrius irritavit. Namque ubi Agrigentini resciverunt, quantam cladem *Chalilus Panormo* intulerit, omnibus viribus resistendum esse decreverunt. Sed cum intelligerent, se Marte suo *Chalili* copiis nequaquam pares fore, Graecorum imperatoris, *Romani Lecapeni*, auxilium implorarunt. Neque is expetitum auxilium denegavit; quo confirmati Agrigentini *Chalilum*, validâ manu mense Martio anni 938 advenientem, fortiter adeo exceperunt, nt, caesis quam plurimis Afrorum, in quibus etiam militum duces *Ben Abi Harir*, nec non *Ali ben Abilhosein*, *Salemi* gener, reliquos in fugam converterent. Haud minus strenue Agrigentini urbem suam contra *Salemi* impetus defenderunt. Licet enim is per octo mensium spatium urbem illam obsideret, summâque, quâ potuit, vi eandem oppugnaret, in irritum tamen omnes ejus labores ceciderunt [202]).

§. CXXIII.

Ubi *Chalilus* intellexit, iis, quae praesto erant, copiis *Agrigentum* vix posse expugnari, *Panormum* reversus est, irrogatâque illius civitatis incolis gravi mulctâ, in Africam trajecit, ut sufficientes inde debellandis Agrigentinis copias repeteret. Quibus contractis, assumtisque *Wassamâ* et *Ebn Mod* belli sociis, in Siciliam remeat. Jam ut facilius *Agrigento* potiri posset, circumjacentia primum castella, quae Agrigentinis favebant, in suam redigere potestatem statuit. Igitur castella *Abu Thur*, *Alsirat*, *Asklafinah* et *Kalbarah* adgressus est expugnavitque. Neque interea Agrigentini otiosi degebant. Cum enim expugnando castello *Albellut* operam daret *Chalilus*, noctu Agrigentini progressi, Afros adoriuntur, profligant, eorumque castris potiuntur. Dum haec geruntur, Siciliae praefectus, *Salem*, diem supremum obit, anno 940; quo defuncto omne imperium ad *Chalilum* rediit. Is, expugnato etiam castello *Albellut*, omnem jam curam operamque in id in-

---

202) Chron. Cantabrig. p. 48, in Gregorii collect. Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun p. 70 text. Arab. Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 402 text. Arab. Schehabuddini hist. Sic. l. c.

tendit, ut *Agrigentum* in suam redigeret potestatem. Neque nobilissima illa civitas tantae vi ulterius resistere potuit. Igitur pactâ vitae incolumitate oppidani deditionem faciunt anno 941. At vero *Chalilus* pacti illius conditionibus parum satisfecit; namque impositos in navem seditionis auctores, ac si in Africam ad *Alkajemum* deducendi essent, medio mari, perforatâ navi, submergi jussit. Redacto in potestatem suam *Agrigento*, *Chalilus* per omnem fere Siciliam misere grassatus est. Urbes arcesque quam plurimas diruit vastavitque, earumque incolas captivos in Africam misit; quo factum est, ut agri negligentius colerentur, magnaque fames per Siciliam ingrueret. Oppressâ in hunc modum Siculorum seditione, *Chalilus* anno 942 in Africam reversus est, constitutis *Panormi* praefectis *Ben Alkufi* et *Ben Ataf*, qui exhaustam jam Siciliam magis magisque pessum dederunt [203]).

§. CXXIV.

Exantlatis multis atque gravissimis malis laetiorem tandem fortunam adfulgere sibi vidit Sicilia anno 945. Hoc namque anno *Ismaël Abu Thaher Almansur* patri *Alkajemo* in Africae imperio successit, qui *Mohammedem ben Alaschat* Siciliae praefectum constituit, virum prudentiâ atque bonitate conspicuum. Qui ut primum in Siciliam venit, in causas, quibus ad seditionem concitati fuissent Siculi, inquisivit, invenitque, in administrandâ provinciâ illâ haud leviter hactenus peccatum fuisse. Igitur ad Africae principem literas dat, quibus de perturbato insulae statu eum edocet, monetque, ut virum prudentem atque moderatum Siciliae praeficeret, qui provinciae ejus administrationem in meliorem formam redigere posset. Quod negotium *Almansur* lubentissime ipsi *Mohammedi* commisisset, nisi is tantam rem se suscepturum negasset. Itaque *Almansur Hasanum, filium Ali, Calbitam,* anno 947 Siciliae praefectum constituit. Is omnem adhibuit operam, ut commissam sibi provinciam in ordinem redigeret, Siculosque in officio con-

203) Chron. Cantabrig. p. 48, 49; Nowairii hist. Sic. l. c. Ebn Khaldoun p. 70, 71; Abulfedae Annal. Moslem. l. c. Schehabuddini hist. Sic. l. c.

tineret. Quod cum nonnisi adhibitâ vi fieri posset, haud defuère, qui *Hasani* imperium aegre ferrent, quinimo contra eum conjurarent. At vero conjuratio ea prodita fuit, auctoribusque suis perniciem attulit. Cum enim dies patrando facinori praestitutus adesset, *Hasanus* conjurationis auctores, insidiis circumventos, prehendi, amputatisque manibus pedibusque patibulo adfigi jussit. Quâ conjuratione oppressâ *Hasanus* pacatam tenuit Siciliam ad *Almansuri* obitum usque. Defuncto namque, anno 952, *Almansuro*, inque ejus locum *Almoëzzo Ledin Allah* suffecto, *Hasanus* in Africam reversus est, relicto in Siciliâ filio, *Abulhosein Ahmede*, cui brevi post *Almoëzzus* Siciliae praefecturam contulit [204]).

§. CXXV.

Jam superius monitum fuit, Graecorum imperatorem, *Romanum Lecapenum*, Calabriae pacem pacto in singulos annos duorum et viginti millium aureorum tributo ab *Almehdio* redemisse. Quod tributum, dum in vivis esset *Almehdi*, absque tergiversatione quotannis solutum fuit. Sed defuncto *Almehdio* exortisque, *Alkajemo* sceptra tenente, in Siciliâ turbis, tributi illius solutio intermissa fuerat, neque ab Africae principibus efflagitata, quod timerent, ne, si eâ flagitatione Graecos offenderent, praeter Siculos seditiosos et cum Graecis sibi dimicandum esset. At vero compositis Siciliae rebus *Almansur*, missis ad *Constantinum Porphyrogenitum* legatis, tributi solutionem postulavit. Quam cum *Constantinus* detrectaret, *Almansur* bellum Calabriae inferre statuit. Igitur *Faradschum Mohaddad* cum amplissimis copiis terrestribus maritimisque anno 951 in Siciliam misit, ut, consociatis cum Siciliae praefecto *Hasano* armis, Calabriam invaderet. Neque ea res *Constantinum* ad pendendum tributum permovit; quin et ipse *Malacenum*, Patricium, cum magno exercitu, ducente classem *Macrojoanne*, in Calabriam mittit, mandatque, ut consociatis cum *Paschalio*, provinciae illius praefecto, armis, Arabibus obviam irent. At vero ubi in Calabriam veniunt Graecorum

204) Nowairii hist. Sic. c. V.; Ebn Khaldoun p. 71 text. Arab. Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 446 text. Arab. Schehabuddini hist. Sic. p. 59, 60; Chron. Cantabrig. p. 49.

duces; haud secus in eâ provinciâ grassantur, ac si hostilem terram ingressi essent. Quod cum rescivisset Arabum dux, occasionem invadendorum Graecorum adesse ratus, anno 953 cum *Malaceno* congreditur, tantamque illius exercitui infert cladem, ut ipsi duces aegre tantum victorum de manibus elaberentur. Ea clades *Constantinum* permovit, ut inducias ab Arabibus expeteret, quas hi non recusarunt. Licet autem Arabes ex illo certamine superiores discesserint, tamen illorum classi gravius aliquid accidisse videtur; tradit enim *Chronicorum Cantabrigiensium* auctor, classis praefectum, *Abu Mohel*, compedibus vinctum in Africam ablegatum, ibique in crucem actum fuisse [205]).

§. CXXVI.

Biennio post, anno 955, Arabes Siculi cum Hispanis decertarunt. Cujus certaminis haec fuit causa: miserat *Almoëzzus* legatum in Siciliam, qui insulae ejus praefecto, *Hasano*, mandata sua referret. Cum haud procul a Siciliâ abesset navis, quâ *Almoëzzi* legatus vehebatur, obviam illi facta est *Abdurrahmani Annaseri*, Hispaniae principis, navis, quae mercaturae causâ Aegyptum Syriamque petebat. In eo occursu navis Hispanae dux *Almoëzzi* navem adoritur, brevique pugnâ commissâ intercipit. Ejus rei nuntio accepto, *Almoëzzus Hasano* mandat, ut instructâ classe Hispaniam peteret, navisque interceptae poenas sumeret. Igitur *Hasan* magno navium numero *Almeriam* tendit, navesque, quas in oppidi illius portu offendit, vel intercipit, vel incendio delet, magnamque praedam, multosque ducens captivos, revertitur. Quod damnum ut rependeret, *Abdurrahman*, duce *Ghalebo*, classem in Africam misit, quae illius terrae oras maritimas popularetur. At vero male ea expeditio cessit. Namque simul ac in terram Arabes Hispani escenderunt, ab Afris rejecti sunt, ita ut, solutis propere navibus, remis velisque altum peterent. Felicius anno sequenti rem gesserunt; eo

205) Chron. Cantabrig. p. 49, 50; Ebn Khaldoun p. 73. text. Arab. Cedreni hist. Compend. t. II, p. 652, 653; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 39.

namque anno cum septuaginta navibus reversi portum *Alchizer* flammis dederunt, *Susae*que nec non *Tabracae* territorium vastarunt [206]).

§. CXXVII.

Praeterlapso interea tempore induciarum, quae Graecos inter atque Arabes factae erant, Africae princeps *Almoëzzus* anno 956 *Omarum* cum classe in Siciliam misit, ut inde denuo in Calabriam incurreret. Is, transactâ ejus anni hyeme *Panormi*, primo vere in Calabriam trajecit. Quem ut inde abstraheret, *Constantinus Basilio*, classis praefecto, mandat, ut Siciliam invaderet. Qui cum in insulam eam adpulisset, *Thermas* cepit, et cum *Hasano*, qui ad juvandum filium *Abulhosein* in Siciliam descenderat, in valle *Mazarâ* congressus est, gravemque cladem Arabibus intulit. Neque tamen diu Siciliae institisse videtur *Basilius;* namque anno sequenti, 958, *Hasanus*, ut *Omarum* juvaret, in Calabriam trajecit, ubi, sociatis cum *Omaro* viribus, *Marianum*, Graecorum strategum, pugnâ navali superavit et in fugam conjecit. Ea clades haud parum sollicitum habuit *Constantinum.* Quare collectis denuo et terrestribus et maritimis copiis, illis *Argyrum*, Patricium, his *Crambeam* et *Moroleonem* duces praefecit, eosque in Italiam transmisit. Qui cum *Hydruntem* adpulissent, indeque in Siciliam trajicere pararent, exaggeratis per famam, quas ducerent, copiis, tantus pavor Arabes invasit, ut quam celerrime Calabriam relinquerent, Siciliamque peterent. In eo reditu Arabum classis, cum jam in conspectu *Panormi* esset, obortâ atrocissimâ tempestate correpta penitusque fere deleta fuit. Debilitatis in hunc modum et Arabum et Graecorum viribus, pax inter utrosque convenit in eam conditionem, ut Graeci tributum, cujus solutionem jam per plures annos intermiserant, denuo penderent [207]).

---

206) Conde historia de la dominacion de los Arabes in España, t. I, P. II, c. 85, p. 444; Quatremère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, Journ. Asiat. troisième série, t. II, p. 404.

207) Chron. Cantabrig. p. 50; Cedreni hist. Compend. t. II, p. 653.

§. CXXVIII.

Eodem fere tempore Arabes Siculi solenni sacramento Africae principi *Almoëzzo* semet obstrinxerunt. Mirum fortasse videri possit, tum demum id factum, etsi jam anno 952 *Almoëzzus* imperio potitus fuerit. Sed tenendum, ex quo tempore Fatimidae Africae Siciliaeque imperium adripuerunt, Arabes Siculos nonnisi invitos principibus illis paruisse, quod Schiitarum sectae addicti essent. Praeterlapso tandem quinquaginta annorum spatio et consuetudine et beneficiis principum Fatimidarum eo redacti fuerunt Siculi, ut non tantum in rebus civilibus, verum etiam in sacris ad praestandum Fatimidis obsequium propensiores essent. Igitur anno 958 triginta viri ex Siciliae proceribus unâ cum praefecto *Ahmede* in Africam trajecerunt, principique *Almoëzzo* obsequium fidemque jurarunt. Quos *Almoëzzus* honorifice excepit, vestibusque splendidissimis donatos dimisit. Haud multo post (a. 962) *Almoëzzus* promissi sibi a Siculis obsequii atque fidei periculum fecit. Misso enim ad *Ahmedem* praefectum tabellario edixit, ut omnes pueri, qui eam, quâ circumcidi solebant, aetatem adtigissent, consignarentur, eodemque die, quo filius suus circumcidendus esset, circumciderentur. Tum quindecim millia puerorum consignata atque circumcisa fuêre. Ut autem circumcisorum parentes beneficio aliquo sibi devinciret *Almoëzzus*, centum millia dirhemorum, nec non quinquaginta sarcinas indumentorum Siciliae praefecto transmisit, ut inter circumcisos distribuerentur. Credibile est, ex eo tempore maximam Arabum Siculorum partem in Schiitarum placita, quibus principes Fatimidae addicti erant, transiisse; quinimmo circumcisionis illius, ab *Almoëzzo* indictae, vix aliud consilium fuisse videtur, quam ut sacrorum immutatorum publice documentum ederetur [208]).

§. CXXIX.

Jam omnem Siciliam *Almoëzzi* imperio subjectam pacatamque existimares; at vero secus res se habuit; namque anno 962 de novo certatum

---

208) Schehabuddini hist. Sic. p. 60, in Gregorii collect. Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 446, text. Arab. Chron. Cantabrig. p. 51; Quatre-

fuit. Cujus certaminis ansam *Tauromenium* atque *Rometta* dederunt; quorum alterum Graecis eripiendum, alterum vero ad obsequium, quod exuerat, reducendum erat. Quo tempore, quâve ratione *Tauromenium* in Graecorum cesserit potestatem, haud quidem constat; sed credibile est, oppidum illud a *Basilio*, qui anno 956 Siciliam invaserat, occupatum fuisse. Quod ut a Graecis recuperaret, *Almoëzzo* auctores fuère triginta illi Siculorum legati, qui anno 958 cum *Ahmede*, Siciliae praefecto, in Africam trajecerant, ut obsequium fidemque imperatori fidelium (quem titulum *Almoëzzus* adsciverat) jurarent. Igitur *Almoëzzus* anno 962 *Ahmedi*, Siciliae praefecto, mandat, ut *Tauromenium* Graecis eriperet. Conflato itaque ex Siculis Afrisque exercitu, *Ahmed* oppidum illud obsidione claudit. Sed pertinaciter admodum Graeci restiterunt, et nisi suppetiis ab *Omaro* latis *Ahmed* adjutus fuisset, in irritum ejus conatus occidissent. Protractâ in octavum mensem obsidione, maximisque utrinque exantlatis laboribus, tandem vergente ad finem anno 962 *Ahmed* voti compos factus est, oppidumque munitissimum expugnavit. Misere tum cum victis actum. Magna pars occisi, reliqui in Africam deportati; quorum numerus ultra mille quingentosque. Desolatam incolis urbem Arabum coloni occuparunt, instauratamque in honorem *Almoëzzi Almoëzziam* dixerunt [209].

§. CXXX.

Expugnato vixdum *Tauromenio*, oppidi *Romettae* incolae seditionem concitarunt. Qui utrum *Christi*, an *Mohammedis* nomini addicti fuerint,

mère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, Journ. Asiat. troisième série, t. II, p. 421. — Haud defuère inter nostrates, qui circumcisionem illam *Christianorum* puerulis obtrusam existimarent. In his *Muratorius*, qui in Annalibus Italiae ad annum 961 notat: „Dovette in questa maniera la religione Christiana ricevere un gran crollo in Sicilia, sotto il giugo de' Saraceni.“ At vero auctores laudati nil habent, quod hanc sententiam tueri possit.

209) Chron. Cantabrig. p. 51; Nowairii hist. Sic. c. V; Ebn Khaldoun p. 74 text. Arab. 170 translat. not. 187; Schehabuddini hist. Sic.

haud quidem constat; sed Christianos fuisse inde conjicias, quod, cum se *Ahmedi*, Siciliae praefecto, impares viderent, a Graecorum imperatore, *Nicephoro Phocâ*, auxilium petierint. Neque is auxilium expetitum denegavit; licet tum temporis induciae inter Graecos Arabesque intercederent. Verum cum induciae illae a *Constantino* imperatore compositae essent, indignumque *Nicephorus* existimaret, solvendo tributo pacem cum Arabibus servare, facile ab eo impetrari potuit, ut Romettanis auxilia contra Arabes mitteret. Igitur congregato amplissimo exercitu, *Nicephorus* copiis terrestribus *Manuelem*, patrui sui *Leonis* filium nothum, classi vero *Nicetam* eunuchum praeficit, eosque in Siciliam mittit. Sed longe ante quam Graecorum auxilia in Siciliam pervenirent, *Omarus Romettam* obsederat, adsiduisque certaminibus graviter adflixerat. Interea rumor per Siciliam spargitur, ingentem Graecorum exercitum in *Romettae* auxilium propediem adfuturum. Quo audito *Ahmed*, quam celerrime potest, suppetias ab *Almoëzzo* petit; qui defendendae adversus Graecorum impetum Siciliae negotium *Alhasano*, *Ahmedis* parenti, committit. Jam in Siciliam adpulerat Graecorum exercitus; qui simul atque in terram escendit, *Messanam*, praesidiis vacuam, occupavit, ejusque oppidi munitiones auxit firmavitque. Quod ubi *Ahmed*, literis *Omari* edoctus, comperit, cum copiis suis obviam Graecis processit, qui relictâ *Messanâ Romettam* versus iter direxerunt, ut oppidum illud obsidione liberarent. Interea et *Alhasan* cum auxiliis, quae ex Africâ *Ahmedi Omaro*que *Almoëzzus* mittebat, in Siciliam adpulit. Jam ingens copiarum vis utrinque confluxerat, et facile praesagiri potuit, atrocissimum certamen exoriturum, sicubi exercitus hostiles concurrerent. Neque is concursus evitari diu potuit. Haud procul *Romettâ* Graeci Arabesque *Manuele* et *Hasano* ducibus (a. 964) congrediuntur, horrendaque exinde nascitur pugna. Graeci militum numero Arabibus superiores, sed his pugnae locus aequior, majorque fortitudo bellica. Pugnatum fuit a prima luce ad pomeridianum usque tempus ancipiti

p. 60; Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 478 text. Arab. Quatremère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, Journ. Asiat. troisième série, t. III, p. 65.

Marte. Tum Graecorum dux ***Manuel***, ut rem ad exitum perduceret, majori vi, quam prudentiâ, in hostes irruit; a quibus circumventus, mox percusso equo in terram dejicitur, illicoque confoditur. Interemto duce magna perturbatio in Graecorum exercitu exorta est, quam paulo post atrocissima clades excepit. In eâ pugnâ ad decem millia Graecorum caesa traduntur; capti etiam quam plurimi, spoliaque amplissima reportata. In quibus pretiosissimus gladius Indicus repertus est, quem sub *Apostolo Dei* meruisse, multorumque infidelium animas in orcum misisse inscriptio Arabica praedicabat. Haud meliori successu et navales Graecorum copiae cum Arabibus conflixerunt. Quinimmo ipse exercitus maritimi dux *Nicetas* captus vinculisque oneratus in Africam abductus fuit [210]).

§. CXXXI.

Haud multo post insignem hanc victoriam *Alhasan*, cujus prudentiâ atque virtute maxime ea parta fuit, morbo correptus diem obiit supremum, vix tres et quinquaginta annos natus. Cujus viri decessu gravem jacturam Arabes Siculi fecêre; namque sive ejus prudentiam, sive fortitudinem bellicam spectes, vix parem, nedum superiorem inter aequales ejus deprehendes. Devictis Graecis, qui in *Romettae* auxilium in Siciliam descenderant, putaris illius oppidi incolas absque morâ deditionem fecisse. Verum ea fuit hominum illorum obstinatio, ut gravissimos labores famemque atrocissimam potius tolerarent, quam deditionem facerent. Sed cum jam ad incitas redacti essent, mille homines, fame prope enecti, pactâ vitae incolumitate urbe

---

210) Schehabuddini hist. Sic. p. 60; Nowairii hist. Sic. c. V. Ebn Khaldoun p. 74, 75 text. Arab. Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 448. text. Arab; Cedreni hist. Compend. t. II, p. 652, 653; Zonarae Annal. l. XVI, c. 24, edit. Car. du Fresne, t. II, p. 200; Luitprandi legatio ad Nicephor. Phocam, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 485; Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 39; Quatremère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, Journ. Asiat. troisième série, t. III, p. 65—68.

excesserunt, *Panormum*que ab *Omaro* deducti sunt. Cum in hunc modum defensoribus fere nudata esset *Rometta*, paulo post in Arabum devenit potestatem. Quaenam superstitum ad id temporis oppidanorum fortuna fuerit, auctores quidem non memorant, sed miserrimam fuisse inde conjicias, quod biennio post (a. 968) *Almoëzzus Romettam Tauromenium*que funditus everti jusserit. Credibile est, utrumque oppidum gravissimis, quas toleraverat, calamitatibus, incolis adeo fuisse exhaustum, ut, cum severitatis exemplum in seditiosos edere vellet *Almoëzzus*, haud magna jactura videretur, si oppida illa penitus exciderentur [211]).

§. CXXXII.

At vero *Nicephorus*, cum videret expeditionem in Siciliam susceptam adeo infeliciter successisse, missis ad *Almoëzzum* donis pacem obtulit. Neque *Almoëzzus* propositas sibi conditiones respuit; quo factum, ut anno 967 pax inter utrumque imperatorem componeretur. Restitutâ per Siciliam quiete, *Almoëzzus* omnem curam in id intendit, ut insulam illam contra hostium incursiones in tuto collocaret. Igitur *Ahmedi*, praefecto mandat, ut absque cunctatione *Panormi* moenia, quae *Chalilus* destruxerat, restauraret, idoneisque insulae locis oppida conderet ac muniret, eaque hominibus per agros dispersis inhabitanda adsignaret. Quibus *Almoëzzi* mandatis *Ahmed* pro virili parte satisfecit, quin magis adhuc satisfecisset, nisi jam anno 968 Siciliâ evocatus fuisset. Exortis enim in Aegypto post *Cafuri* obitum turbis, *Almoëzzus* occasionem adesse ratus est, quâ terram illam in suam redigeret potestatem. Quod negotium cum *Ahmedi* injungeretur, Siciliâ is cum omni familiâ opibusque decessit, relicto praefecturae vicario *Jaischo*, patris sui liberto. Mox tamen *Almoëzzus Ahmedis* fratrem *Abulkasemum Jaischo* suffecit, *Ahmedem* vero cum classe in Aegyptum misit. Qui cum *Tripolim* Africae usque pervenisset, anno 969 morbo correptus diem obiit supremum.

---

211) Nowairii hist. Sic. c. V, VI; Quatremère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, l. c. p. 68, 69.

Tum *Abulkasemo* Siciliae praefectura, quam hactenus vicario tantum modo administraverat, solenniter ab *Almoëzzo* delata fuit [212].

Cap. XV.

Arabes Siculi repetitis vicibus Calabriam incursunt; ab imperatore Ottone II caeduntur; qui, eum ipse Calabriae inhiaret, Graecorum Arabumque consociatis viribus pellitur. Arabes Calabriam Apuliamque denuo invadunt. Siculi, a Dschafaro, praefecto suo, male habiti, rebellant, eumque praefecturâ exuunt.

§. CXXXIII.

Ut primum *Abulkasem* munus sibi delatum auspicatus est, et Sicilliae res componere, et ultra insulae ejus fines ditionem suam promovere contendit. Credibile est, avocato ex Siciliâ *Ahmede* nonnulla oppida, inque illis *Messanam, Catinam, Avilae*que castrum, seditionem movisse. Igitur contracto, anno 974, exercitu, *Abulkasem* primo oppida illa ad officium reduxit, deinde copias suas in vicinam Calabriam praedatum dimisit; unde amplissimis spoliis magnâque captivorum turbâ oneratae revertuntur. Insequentibus annis, 975, 976, et 977, et ipse *Abulkasem* repetitis vicibus in Calabriam atque Langobardiam incurrit, et inter cetera oppida *Gravinam, Bobinum Oriam*que expugnavit atque diripuit. Quantam in incursionibus illis praedam Arabes egerint, quantumque detrimenti miseris illis terris intulerint, vel inde conjicias, quod, cum aliquando tantum armentorum pecudumque gregem coëgissent, ut agmen in itinere impediretur, *Abulkasem* omnia illa animalia trucidari jusserit. Unde postmodum loco illi, ubi id factum, nomen *Mandch-ul-bakar*, i. e. *macellum boum*, inditum.. Neque tamen bellicis tantum expeditionibus *Abulkasem* intentus fuit; quin et instaurandis muniendisque Siciliae oppidis operam impendit. Ejus beneficio

---

212) Nowairii hist. Siç. c. VI, VII; Schehabuddini hist. Sic. p. 60; Ebn Khaldoun p. 75 text. Arab. Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 448, text. Arab. Quatremère Vie du Khalife Moëzz-li-din-Allah, l. c.

et *Rometta,* quae anno 968 *Almoëzzi* jussu eversa fuerat, anno 975 denuo instaurata incolisque frequentata fuit [213]).

§. CXXXIV.

Ad annum 981 usque *Abulkasem* domi militiaeque prosperâ usus est fortunâ; eo autem anno et excursionibus et vitae ejus finis impositus. Namque illo tempore imperator *Otto II* in Italiâ inferiori invalescere, easque, quae Graecorum imperatoribus adhuc parebant, provincias, Calabriam nempe atque Apuliam, sibi vindicare coepit. Quod non sine aliquo juris titulo sibi facere videbatur, quoniam *Theophaniam, Basilii* et *Constantini,* imperatorum Graecorum, sororem in matrimonio habebat. Id igitur *Otto* agebat, ut, ejectis ex Apuliâ atque Calabriâ Arabibus, provincias illas in suam ditionem redigeret. Quare cum, anno 981, *Abulkasem* Calabriam invasisset, *Otto* cum exercitu illi obviam ivit, eumque haud procul *Cotrunâ* adortus est. Certatum fuit utrinque maximâ cum contentione; tandem in *Ottonis* partes victoria inclinavit, tantaque strages inter Arabes edita fuit, ut tantum non omnes unâ cum duce suo, *Abulkasemo,* occiderentur [214]).

§. CXXXV.

Insignem hanc *Ottonis* victoriam anno sequenti (982) haud minor clades secuta est, quam idem imperator a Graecis Arabibusque accepit. Intellexerant Graecorum imperatores, *Basilius* et *Constantinus, Ottonem* Calabriae atque Apuliae inhiare, legatisque ad eum missis, ab incepto ut desisteret, monuerant. Sed parum illorum monitis *Otto* tribuit. Igitur Graeci Arabes Siculos Afrosque in auxilium adversus *Ottonem* vocarunt, magno

213) Ebn Alathir p. 172, not. 190; Schehabuddini hist. Sic. p. 61; Nowairii hist. Sic. c. VII; Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 450, 524 text. Arab. Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 40; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 163.

214) Ebn Alathir p. 174, 175, not. 191; Ebn Khaldoun p. 75, 76 text. Arab. Schehabuddini hist. Sic. p. 61; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 40.

operae praemio promisso. Neque Arabes commodam hanc invadendae Italiae occasionem praetermiserunt, ingentique classe Graecis suppetias venerunt. Verum et *Otto* copiosum exercitum ducebat, ex Germanis Italisque conflatum. Ubi primum exercitus hostiles congressi sunt, Graeci Arabesque inferiores discesserunt. Neque tamen omnes eorum copiae certamini illi interfuêre; pars magna in vicinis montibus latebat, ubi datâ occasione prorumpere possent. Quae quidem occasio haud diu cessavit; cum enim *Ottonis* exercitus, partâ victoriâ superbiens, incautius ageret, Arabes improviso e montibus prorumpunt, Germanos Italosque adgrediuntur, ingentemque illis cladem inferunt. Occubuêre in infelicissimo hoc certamine nobilissimi Germaniae atque Italiae viri; alii in servitutem abducti. Ipse imperator *Otto* aegerrime tantum, mirumque in modum hostium gladios aut captivitatem effugit. Cum enim ex pugnantium globis se expediisset, fugiens ad maris litus delatus est, conspectisque ibi duobus Graecorum navigiis alterutrum petit, Graecisque haud cognitus recipitur. Neque tamen diu imperator Graecos latere potuit; quem cum agnovissent, Constantinopolim ducendum statuunt. Quo comperto, *Otto* rogavit, liceret sibi uxorem arcessere, et unà cum re familiari Constantinopolim secum ducere. Quod cum Graeci concessissent, imperatoris uxor arcessitur, quae, adparatis clam, quibus mariti fuga juvari posset, cum episcopo Metensi locum adit, quo Graecorum navigia stationem habebant. Illuc cum pervenisset, cum Graecis de redimendo imperatore agere coepit. At is, dum ea aguntur, necopinantibus Graecis, e navi, quâ tenebatur, in mare desilit, natandoque litus adtingit, ubi a suis excipitur, atque in tuto collocatur [215].

§. CXXXVI.

Occiso, anno 981, *Abulkasemo*, Siciliae praefecto, insulae hujus dominationem *Abulkasemi* filius, *Dschaber*, adripuit, vir patri dissimillimus,

---

215) Leonis Ostiensis Chron. Cassin. l. II, c. 9, in Murat. S. r. It. t. IV, p. 347; Andr. Danduli Chron. Venet. l. VIII, c. 17. Murat. S. r. It. t. XII, p. 219; Hepidanni Annal. in du Chesne S. h. Fr. t. III, p. 476.

minimeque aptus Siciliae administrandae. Quare *Alazizus,* Africae princeps, Siciliae praefecturam nequaquam illi committendam esse duxit; verum in ejus locum *Dschafarum, Mohammedis filium,* suffecit. Neque tamen lubenti animo *Dschafar* provinciam illam suscepit; aegre enim ab *Alazizo* discedebat, quo familiariter admodum utebatur. At vero *Abu Calas,* qui *Alazizo* a consiliis erat, malis artibus effecit, ut *Dschafar,* quem aemulum timebat, in Siciliam mitteretur. Quam provinciam *Dschafar* anno 983 adivit, neque tamen ultra trienninm administravit, quippe qui jam anno 986 diem supremum obiret. *Dschafarum* in Siciliae praefecturâ frater ejus *Abdullah* excepit, qui munere hoc ad annum 988 usque, quo vitâ decessit, functus est [216]). *Abdullah* Siciliae res moderante iteratis vicibus Arabes Italiam invaserunt. Anno namque 986 in Calabriam trajecerunt, inque ceteris *Sanctae Cyriacae* oppidum expugnarunt atque diripuerunt. Similiter anno 988 *Consentiam* vastarunt; quinimmo in Apuliam usque progressi vicos ad *Barim* civitatem pertinentes depopulati sunt, magnumque captivorum numerum in Siciliam abduxerunt [217]). Defuncto *Abdullah* in Siciliae praefecturâ filius ejus *Abulfotuh Jusuf* successit, qui pacis magis quam belli artibus insignem laudem promeritus est. Eodem tempore, quo *Jusuf* Siciliam regebat, Africae princeps *Hakem Beamrillah,* qui *Alazizum* exceperat, *Jusufi* patruum, *Hasanum,* consiliarium adscivit; quo factum est, ut universum Fatimidarum imperium duumviris consanguineis, *Hasano* et *Jusufo,* regeretur [218]).

---

216) Schehabuddini hist. Sic. p. 61; Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 450 text. Arab. Nowairii hist. Sic. c. VII; Ebn Khaldoun p. 76 text. Arab. — In definiendo tempore, quo *Dschafar* diem supremum obiverit, auctores laudati nequaquam consentiunt. *Schehabuddinus* annum H. 373 profitetur, *Nowairi* a. 389, *Ebn Chaldoun* et *Abulfeda* a. 375. Nos *Ebn Chaldunum* atque *Abulfedam,* utpote in re controversâ consentientes, sequendos duximus.

217) Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 40; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 164.

218) Schehabuddini hist. Sic. l. c. Abulfedae Annal. Moslem. l. c. Ebn Khaldoun p. 77 text. Arab.

§. CXXXVII.

Jusufo Siciliam moderante insulae hujus res pacatae florentesque fuêre. Neque tamen Italia ab Arabum vexatione libera fuit. Namque anno 991 Calabriam infestarunt, proeliumque cum *Attone* comite ad *Tarentum* commiserunt, quo in proelio *Atto* cum magno Barensium numero occubuit [219]). Haud multo post, anno 994, *Matera* ab Arabibus obsessa, quartoque obsidionis mense expugnata fuit. In eâ obsidione tantâ fame oppidani laborarunt, ut mulier filiolum suum mactasse atque devorasse dicatur [220]). Praefuit Siciliae *Jusuf* ad annum 998 usque, quo paralysi correptus sinistri lateris usum amisit. Quâ valetudinis jacturâ cum provinciae administrandae impar redderetur, filium suum, *Dschafarum*, successorem sibi designavit; quem paulo post et Africae princeps, *Alhakem*, solenniter Siciliae praefectum declaravit [221]). Ut primum *Dschafar* munus sibi delatum auspicatus est, Arabum Siculorum in Italiam incursiones revixerunt. Jam anno 998, consociatis cum *Smaragdo*, homine Graeco, consiliis, *Barim* impetiisse videntur; quod tamen inceptum in irritum cecidit [222]). Eandem civitatem anno 1002 amplius quinque menses obsederunt; et nisi *Petrus Orseolus II*, Venetorum dux, Barensibus commeatum subvexisset, simulque cum Graecorum duce, *Gregorio*, Arabes impugnasset et in fugam conjecisset, oppido illo Arabes potiti fuissent [223]). Haud multo post (a. 1003) *montem Scaviosum* obsidione clauserunt; neque tamen eâ obsidione quidquam profecerunt [224]). Longum esset singulas enumerare incursiones, quas tum

219) Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 40; Anonymi Barensis Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 148.

220) Lupi Protospatae Chron. l. c. Anonymi Chron. Barens. in Murat. Antiquit. Ital. t. I, p. 32.

221) Schehabuddini hist. Sic. p. 62; Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 452; Nowairii hist. Sic. c. VIII; Ebn Khaldoun p. 77 text. Arab.

222) Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 41.

223) Lupi Protospatae Chron. l. c. Andr. Danduli Chron. l. IX, c. I, Murat. S. r. It. t. XII, p. 233.

224) Lupi Protospatae Chron. l. c.

temporis in Calabriam Apuliamque Arabes Siculi fecêre; sufficiat notasse, quovis fere ineuntis seculi XI anno incursiones illas repetitas fuisse. Quibus ut finem tandem imponerent Graeci, foedus cum Arabibus composuerunt. Cujus foederis quae fuerint conditiones non quidem constat; sed probabile est, Arabes nonnisi promisso sibi a Graecis tributo ab hostilibus abstinuisse. Neque tamen foedus illud diu Arabes observarunt. Namque anno **1009** Calabriae caput, *Consentiam*, adgressi sunt atque expugnarunt. Insequenti anno Apuliam versus iter direxerunt, inque *monte Pelusio* proelium cum Graecis commiserunt; in quo proelio alterutrius partis dux occubuit, sed cujusnam, utrum Arabum, an Graecorum, diserte non memoratur [225]).

§. CXXXVIII.

Hactenus Siciliae res, *Dschafaro* praefecto, bene se habuerunt; at vero anno **1014** turbae exortae sunt, quae insulae illius statum haud parum concusserunt. Hoc namque anno *Dschafari* frater, *Ali ben Abilfath*, vel dominandi cupidine, vel alio quodam animi adfectu concitatus, in fratrem rebellavit. Erat in Sicilia magnus numerus Arabum Afrorum, quos inter atque indigenas haud levis aemulatio intercedebat. Cum illis *Ali* consilia consociaverat; conflatoque ex iisdem servisque suis agmine, fratri *Dschafaro* obviam ivit, et haud procul *Panormo* consedit. Mox et *Dschafar* copias suas eduxit, proeliumque commissum XVI Februarii a. **1015**, in quo proelio Ali, fuso fugatoque ejus exercitu, capitur, fratrique *Dschafaro* traditur. Is ultionis cupidissimus octavo post commissum proelium die fratrem trucidari jussit; quod facinus *Jusuf, Dschafari* pater, aegerrime tulit. Neque tamen eâ vindictâ *Dschafaro* satis factum; quinimmo et omnes fratris sui servos interfici, Arabesque Afros cum omni familiâ ex Siciliâ excedere jussit [226]). Ex illo tempore *Dschafar* imperiosius cum Siculis

225) Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 41.

226) Nowairii hist. Sic. c. VIII; Ebn Khaldoun p. 77 text. Arab.

agere coepit, consiliis *Hasani ben Mohammed Albaghai* maxime usus. Fuit is *Dschafaro* ab epistolis, plurimumque apud illum valebat, homo immoderatus populoque iniquissimus. Hoc auctore *Dschafar* decimas frugum a Siculis exigebat, quae antea non pendebantur; si quidem ad id temporis nonnisi pro quovis boum jugo pecuniae aliquantulum solvebatur. Praeter decimarum exactionem multis aliis modis *Dschafar* Siculos vexabat, eorumque bona, sicubi posset, rapiebat. Tot tantisque injuriis factum est, ut Panormitani anno 1019 contra *Dschafarum* rebellarent, eumque castello suo inclusum obsiderent. Jam castelli illius partem expugnaverant atque destruxerant, neque reliqua pars furentis populi impetum diu sustinere posse videbatur. Tum *Dschafari* pater, *Jusuf*, cujus magna apud populum auctoritas, lecticâ gestatus adparuit, blandisque verbis tumultuantes lenire conatus est. Qui cum enumerarent, quot quantisque injuriis a filio ejus adfecti essent, Jusuf optimum ratus est, *Dschafarum* praefecturâ amovere, populoque eligendi pro lubito praefecti facultatem concedere. Igitur amoto *Dschafaro* alter *Jusufi* filius, *Ahmed Alakhal*, Siciliae praefectus creatus fuit [227]).

§. CXXXIX.

Ut primum *Alakhal* munus sibi demandatum auspicatus est, *Hasanum Albaghai*, qui omnium injuriarum, a *Dschafaro* Siculis illatarum, auctor putabatur, populo puniendum tradidit. Misera tum hominis illius fuit sors. Infandis cruciatibus interfecto caput truncatum, atque, omnibus spectaculo ut esset, hastae impositum atque circumlatum fuit; deinde unâ cum corpore concrematum. Quem populi furorem ubi videt *Jusuf*, filio *Dschafaro* timens, navem adparari, filiumque in Aegyptum transvehi jussit. Eodem interjectis paucis diebus et ipse *Jusuf*, immensos thesauros secum ducens, trajecit. Jam solus Siciliam regebat *Alakhal*, omnemque impendebat operam, ut et domi et militiae rem optime gereret. Quo factum est,

227) Abulfedae Annal. Moslem. t. II, p. 452 text. Arab. Nowairii hist. Sic. c. IX; Ebn Khaldoun p. 77 text. Arab.

ut et Siculi in obsequio manerent, et vicini Itali, quos crebris fatigabat incursionibus, eum revererentur [228]).

Cap. XVI.

Melus, adsumtis in auxilium Normannis, adversus Graecos rebellat. Graeci Siciliam invadentes, cladem accipiunt. Siculi contra Alakhalum praefectum rebellant, insulamque suam Africae principi, Almoëzzo, offerunt. Alakhal interficitur, novae in Siciliâ turbae oriuntur. Maniaces, Graecorum dux, Siciliam invadit, feliciter rem gerit, perfidiae accusatus retrahitur; quo facto Graeci Siciliâ pelluntur.

§. CXL.

Dum haec in Siciliâ geruntur, in Italiâ quoque turbae exortae sunt, quae etsi haud magni momenti initio viderentur, plurimum tamen ad immutandum Italiae inferioris Siciliaeque statum valuerunt; siquidem ansam dederunt, ut *Normanni* in Italiam descenderent, ejusque partem australem nec non Siciliam vicinam in potestatem suam redigerent. Ejus autem rei haec fuit ratio. Jam dudum Apuli Calabrique Graecorum dominationem, quâ mirum in modum vexabantur, fastidiebant, nihilque magis in votis habebant, quam ut durum illud jugum excuterent. Igitur *Melus*, gente Langobardus, civiumque Barensium opulentissimus, cum *Datto*, cognato suo, consilium iniit liberandae a Graecorum tyrannide patriae. Neque tamen inceptum hoc prospere cessit. Namque, quae seditionis sedes erat, *Baris*, mox a Graecis occupata fuit; quare *Melo* in fugâ salus quaerenda. Igitur primo *Asculum*, deinde *Beneventum*, mox *Salernum*, denique *Capuam* sese contulit. Dum *Capuae* commoratur, liberandae patriae consilia agitans, accidit, ut *Normannorum* caterva in Apuliam adpelleret, montemque *Garganum*, sacrorum in templo *Michaëlis* archangeli faciendorum causâ, visitaret. De quorum adventu ut primum certior factus est *Melus*, spem concepit, hominum horum bellicosissimorum ope Graecos ex Italiâ posse exterminari. Quare haud cun-

---

228) Schehabuddini hist. Sic. p. 62; Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. 276, 278 text. Arab. Nowairii hist. Sic. c. X; Ebn Khaldoun l. c.

ctatus est, eos in belli contra Graecos gerendi societatem invitare. Neque *Normanni Meli* conditionem respuerunt. Igitur, arcessitis pluribus popularium suorum, *Melo* duce, qui haud spernendum exercitum ex Salernitanis Beneventanisque conflaverat, anno 1017 Graecos prope *Arenolam* adgressi sunt, superioresque discesserunt. Haud multo post *Melus* secundâ tertiâque vice cum Graecis congressus est, iisque devictis omnia fere Apuliae oppida in suam redegit potestatem. Cum Graeci viderent, *Meli* opes in dies augeri, majores copias et ipsi parant, *Basilio*que duce, anno 1019, haud procul *Cannis Melum* adoriuntur. Pugnatum est utrinque insigni virtute; tandem *Graeci*, *Meli* copiis multo superiores numero, victoriam reportarunt. In eo certamine ex ducentis et quinquaginta *Normannis* decem tantum superstites fuisse traduntur; ex Graecorum autem exercitu multo major numerus occisus. Hac clade acceptâ cum intelligeret *Melus*, se Graecis ulterius resistere non posse, *Normannis*, qui adhuc reliqui erant, suadet, ut *Capuae Salerni*que principibus operam suam dicarent, ipse autem ad *Henricum* imperatorem se confert, ut ejus auxilium expeteret. *Henricus* comiter *Melum* excepit, opemque suam pollicitus est; neque tamen ad exitum res perducta fuit; etenim *Melus* anno sequenti (1020) morbo correptus e vitâ decessit [229]. Quo casu etsi hoc *Meli* inceptum in irritum ceciderit, tamen maximi in Italiae rebus momenti fuit; quod ex illo tempore *Normanni* in Italiâ inferiori sedem fixerint, eamque unâ cum vicinâ Siciliâ procedente tempore in potestatem suam redegerint.

§. CXLI.

Eodem anno, quo *Melus* e vitâ decessit, Arabes Siculi in Calabriam trajecerunt, oppidumque *Bisinianum* obsederunt atque expugnarunt [230]. Quas incursiones cum quovis fere anno repeterent, Graecorum imperatores *Basilius* et *Constantinus* Siciliam cum exercitu invadere statuerunt. Praeficitur exercitui *Orestes* eunuchus, inque Siciliam anno 1025 mittitur. At

229) Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. II, c. 37, in Murat. S. r. It. t. IV, p. 363; Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 41.

230) Lupi Protospatae Chron. l. c.

vero infeliciter inceptum hoc cessit, tum ducis imperitiâ, tum morbo, quo maxima exercitus pars correpta fuit. Cum enim luxuriae nimium indulgerent Graeci, morbum coeliacum sibi contraxerunt, quo dum laborant, Arabes, arreptâ occasione, eos adgrediuntur, magnâque clade adficiunt. Quam ut resarciret *Constantinus* (namque imperii consors *Basilius* anno 1025 obierat) ingentem ex Russis, Polonis, Bulgaris, Vandalis, Turcis, Graecis aliisque gentibus coëgit exercitum, eumque anno 1027 duce *Nico* (fortasse *Andronico)* in Italiam misit, ut inde in Siciliam trajiceret. Verum et haec expeditio in cassum abiit. Namque expugnato vix *Rhegio* nuntius adfertur, *Constantinum* diem supremum obiisse; quo audito Graecorum dux eo magis sibi revertendum esse duxit, quod Syriae et Phoeniciae res admodum perturbatae essent [231]).

§. CXLII.

Defuncto *Constantino Romanus Argyrus* imperio Byzantino potitus est. Is omnem curam in orientales imperii provincias contulit; quo factum est, ut nulla fere ratio Italiae haberetur. Eam occasionem Arabes Siculi haud praetermiserunt; namque anno 1031 Calabriam denuo invaserunt, oppidumque *Cassianum* expugnarunt. Quibus cum Graecorum *Catapanus*, sive praefectus, *Potho* obviam iret, commisso proelio cum maximâ copiarum suarum parte occubuit [232]). Sed dum *Alakhal*, Siciliae praefectus, Italiam incursionibus fatigat, in ipsâ Siciliâ seditionis atque turbarum semina sparguntur. Solebat *Alakhal*, cum ipse expeditionibus bellicis a Siciliâ avocaretur, filium suum, *Dschafarum*, perversi ingenii hominem, vicarium sibi sufficere. Is, absente patre, multa contra jus fasque committebat, civiumque animos exacerbabat. Accedebat, quod et Arabes Afri, qui adhuc in Siciliâ supererant, discordiae inter praefectum Siculosque semina spargerent alerentque. Quod cum *Alakhalum* haud lateret, omnes Afros ex insulâ suâ expellere

---

231) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 728; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 42; Ebn Alathir p. 180, not. 194.

232) Lupi Protospatae Chron. l. c. Anonymi Barensis Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 149.

statuit. Neque tamen inconsultis Siciliae proceribus consilium hoc exsequi voluit. At vero hi, ubi de *Alakhali* incepto certiores facti sunt, negarunt id fieri posse; tantis enim necessitudinis vinculis sese cum Afris conjunctos esse, ut nonnisi aegerrime distrahi possent. Cum *Alakhal* consilium suum a Siculis improbari videret, indignatus, in illorum offensionem Afris quovis modo gratificari, maximisque beneficiis eos cumulare statuit. Igitur exemtis ab omni tributo Afris, e solis Siculorum bonis vectigalia exegit. Ea res Siculoa adeo offendit, ut anno 1035 ad Africae principem, *Almoëzzum ben Badis* [233]), legatos mitterent, qui Siciliae dominationem illi offerrent, et, nisi eam conditionem accipere vellet, se Siciliam Graecorum imperatori tradituroa declararent. Haud respuit conditionem *Almoëzzus*, filiumque suum *Abdullah* cum copiis ad occupandam Siciliam misit. Qui ubi in insulam hancce pervenit, repetitis vicibus aecundo Marte cum *Alakhalo* conflixit, effecitque, ut is in arcem *Alchalesah*, quae sedes erat Siciliae praefectorum, sese reciperet. In eâ arce dum obsidebatur, missis internuntiis Siculos ad officium reducere tentabat. Neque defuère, qui in *Alakhali* partes propenderent; unde haud leve inter Siculos dissidium exortum. Quod ubi seditionis auctores viderent, timerentque, ne, mutatis hominum animis, *Alakhali* res praevalerent, ipsique pessum irent, conductis sicariis eum interfici curant, interfectique caput ad *Abdullam* deferunt. In hunc modum *Alakhal*, qui aliquamdiu domi militiaeque egregie rem gesserat, sinistris postmodum usus consiliis, civium animos alienos sibi reddidit, eâque re perniciem sibi contraxit [234]).

---

233) Ex quo tempore *Almoëzzus Ledin Allah*, quartus e Fatimidarum gente princeps, expugnatâ Aegypto, sedem imperii *Alexandriam* transtulerat, provinciam Africanam Fatimidarum sub auspiciis praefecti e *Zeiridarum* gente administrabant. Qui tamen procedente tempore tantum invaluerunt, ut quartus eorum, *Moëzzus ben Badis*, a Fatimidis deficeret, regiumque nomen sibi adrogaret.

234) Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. 276 text. Arab. Schehabuddini hist. Sic. p. 62; Nowairii hist. Sic. c. X; Ebn Khaldoun p. 78 text. Arab.

§. CXLIII.

Jam vivo adhuc *Alakhalo* haud pauci Siculorum in ejus partes inclinaverant; at vero e vivis sublato, quam plurimos facinoris patrati poenituit. Quo factum est, ut et *Abdullam*, ac si ipse facinoris illius auctor fuisset, aversarentur. Igitur ejus dominationem respuerunt, sumtisque armis Siciliâ eum expellere conati sunt. Neque incepto illi defuit successus; namque commisso inter Siculos Afrosque proelio pars magna Afrorum caesa fuit, reliqui praecipites navigia conscenderunt, inque Africam reversi sunt. Tum Siculi, ut injuriam *Alakhalo* illatam compensarent, fratrem ejus *Hasanum*, cui *Samsâm Addaulah* cognomentum, praefectum crearunt [235]). Ex hoc tempore Siciliae res adeo coeptae sunt turbari, ut facile praesagiri posset, insulam eam haud diu in Arabum potestate permansuram, sed primo cuique hosti praedae cessuram. Namque haud multo postquam *Alhasan* praefecturam auspicatus erat, frater ejus *Abu Kaab* adversus eum rebellavit. Quibus causis *Abu Kaab* in fratrem concitatus fuerit, haud quidem constat, sed credibile est, eum ab Afrorum factione, quae Siciliam *Moëzzi* imperio subjicere moliebatur, instigatum fuisse. Certe *Moëzzi* auxiliis *Abu Kaab*, cum contra fratrem arma ferret, adjutus fuit. Exorto igitur inter fratres bello, *Alhasan*, ubi fratrem ab Afris adjutum, neque sibi quidquam auxilii ab Aegypti principe *Mostansero*, admodum juvene, exspectandum videt, ad Graecorum imperatorem, *Michaëlem Paphlagonem*, se convertit, ejusque auxilium expetit. Neque is expetitum auxilium detrectavit, sperans eâ re Graecorum auctoritatem atque potentiam in Siciliâ restitui posse. Igitur *Georgius Maniaces*, *Stephanus*que, Patricii, ille terrestris exercitus, hic copiarum navalium dux, in Siciliam mittuntur. Sed priusquam Graecorum auxilia Siciliam adtigerunt, *Abu Kaab* cum copiis a *Moëzzo* sibi missis *Hasanum* adgreditur profligatque. Qui cum hostibus resistere non posset, ad *Leonem Opum*, Langobardiae praefectum, confugit ejusque auxilium implorat. *Leo*, contractis quam celerrime copiis, in Siciliam trajicit, ite-

235) Abulfedae Annal. Moslem l. c. Schehabuddini hist. Sic. l. c. Nowairii hist. Sic. l. c. Ebn Khaldoun l. c.

ratisque vicibus cum Afris congressus, haud parum eos adtrivit. Quae damna *Abu Kaabum* pernoverunt, ut pacem cum fratre componeret; quin eo fratrem deduxit, ut a Graecorum societate clam deficeret, insidiasque illis strueret. Quod ubi *Leo* intellexit, in Italiam cum exercitu reversus est, abducto secum magno Christianorum numero, quos ex captivitate liberaverat [236]).

§. CXLIV.

Interea *Maniaces*, collectis undique copiis, in Siciliam (a. 1038) pervenit. In ejus exercitu, praeter ingentem Graecorum numerum, quam plurimi etiam *Normanni*, inter quos tres *Tancredi* filii, *Guilielmus*, cui *Ferrei Brachii* cognomentum, *Drogo* et *Humfridus*, stipendia merebant. Miserat hos, magnis promissis illectos, *Guaimarius*, Salerni princeps, Graecis in auxilium. Ubi *Maniaces* in Siciliam escendit, Arabes, qui jam pacem inter se composuerant, eum insulâ suâ arcere conantur. Sed parum proficiunt, brevique *Messana*, maxime *Normannorum* operâ, a Graecis capitur. Inde *Syracusas Maniaces* tendit, et eam quoque urbem expugnat. In cujus urbis oppugnatione egregiam prae ceteris operam navavit *Guilielmus, Tancredi filius*, quippe qui Syracusarum praefectum, qui Graecorum exercitum mirum in modum fatigabat, commisso certamine adortus est, devictumque prostravit; quo facinore magnam famam apud Graecos Siculosque consecutus est. Interea magnam copiarum auxiliarium vim ex Africâ Siculi contrahunt; quibuscum conjuncti ad locum, cui *Rometta* nomen, aciem instruunt. Neque Graeci Arabibus obviam ire cessant. Committitur proelium, profligantur Arabes, ingentemque cladem accipiunt. Quâ victoriâ partâ mox tredecim oppidis Graeci potiuntur, quinimmo maximam Siciliae partem in suam redigunt potestatem. At vero Africae princeps, cognitâ copiarum

---

236) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 738, 740; Zonarae Annal. l. XVII, c. 15, t. II, p. 237. — Quem auctores Arabici *Hasanum* dicunt, Siciliae praefectum, eum Cedrenus *Apolapharum* adpellat. Credibile est, *Hasano* cognomentum *Abulghaffar* fuisse, quod vocabulum a Graecis in *Apolaphar* detortum fuit.

suarum strage, vindictae cupidus, majorem colligit exercitum, quocum ipse in Siciliam proficiscitur. Ad *Trainam* urbem exercitus hostiles congrediuntur, tantâque iterum clade Arabes adficiuntur, ut ex immenso numero paucissimi tantum, inter quos et Africae princeps, perniciem effugerent. Quodsi classis Graecae praefectus, *Stephanus*, oram maritimam diligentius custodivisset, profecto et ipse Arabum dux atque princeps in Graecorum potestatem incidisset. Etenim *Maniaces*, certam obtinendae victoriae spem tenens, *Stephano* mandaverat, diligentem orae maritimae custodiam ageret, ne quis hostium effugere posset. Quod mandatum cum negligentius exsequeretur *Stephanus*, Africae princeps, conscensâ celoce, per mediam Graecorum classem elapsus est. Ea res magni inter *Maniacem Stephanum*que dissidii causa fuit. Cum enim *Maniaces Stephanum* negligentiae incusaret, is autem incusationem eam aegre ferret, conviciaque in *Maniacem* regereret, *Maniaces* irâ percitus verberibus illum adfecit. Quâ re graviter indignatus *Stephanus*, literas Constantinopolim mittit, quibus *Maniacem* calumniatur ut defectionem molientem. Quae calumnia apud Graecorum imperatorem, *Stephani* adfinem, tantum valuit, ut *Maniacem* vinculis oneratum Constantinopolim reduci et in custodiam tradi juberet, *Stephano* autem summum exercitus imperium committeret [237].

§. CXLV.

Maniace duce Graecorum res in Siciliâ adeo invaluerant, ut magna spes esset, insulam illam mox universam in Graecorum potestatem cessuram. At vero amoto *Maniace*, socordiâ, imperitiâ, imo et avaritiâ hominis, qui in illius locum suffectus fuit, brevi quaecunque *Maniaces* adquisiverat, amissa sunt; ita ut omnis recuperandae Siciliae spes evanesceret. Missus erat in *Maniacis* locum *Doceanus*, Protospatharius, cujus avaritiâ atque superbiâ

237) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 741, 743; Zonarae Annal. l. XVII, c. 15, t. II, p. 238; Leonis Marsic. Chron. Cassin. in Murat. S. r. It. t. IV, p. 387; Gaufredi Malaterrae histor. Princip. Normannor. l. I, c. 7, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 163.

jam initio Normannorum auxilia a Graecis alienata sunt. Promiserat nempe *Maniaces* Normannis, si strenuam in expugnandâ Siciliâ operam navarent, ampla laborum praemia; quibus tamen promissis, ab exercitus imperio amotus, satisfacere non potuit. Igitur Normanni, quae *Maniaces* promiserat, ab ejus successore, *Doceano*, repetunt. Is autem non tantum illorum petitioni non satisfecit, verum etiam *Arduinum*, qui ipsum Normannorum nomine eâ de re adpellaverat, flagris per castra caedi jussit. Quam contumeliam cum Normanni illico ferro ulcisci vellent, *Arduinus* consilium dedit, ut, dissimulatâ inpraesentiarum irâ, in Italiam clam reverterentur. Quo cum pervenissent, Calabriam atque Apuliam, quae Graecorum parebant imperio, vastant, eoque modo injuriam, quam a Graecis acceperant, ulciscuntur[238]).

§. CXLVI.

Normannorum defectione *Doceanus* et exercitum robore suo privatum, et hostem acerrimum exortum sibi videt. Jam exercitus in duas partes scindendus erat, et hinc cum Arabibus in Siciliâ, illinc cum Normannis in Italiâ dimicandum. Quo factum est, ut utrinque infeliciter res gereretur. Namque in Italiâ, quo se anno **1041** *Doceanus* contulit, duabus vicibus a Normannis superatus est, maximamque copiarum suarum partem amisit. Haud meliori fortunâ usi sunt, qui ad defendendam contra Arabes Siciliam in eâ insulâ relicti erant. Etenim Siculi, Afrorum auxiliis adjuti, brevi omnia, quae *Maniaces* expugnaverat, oppida recuperarunt, solâ *Messanâ* in Graecorum potestate relictâ. Tenebat oppidum illud *Catacalo*, Protospatharius, cum quingentorum peditum et trecentorum equitum praesidio. Qui cum concreditum sibi oppidum Siculis dedere nollet, magnâ

238) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 755, 756; Gaufredi Malaterrae hist. Princip. Normannor. l. I, c. 8, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 164; Guilielmi Apuli rerum Normannicar. l. I, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 95. — Ex *Malaterrae* sententiâ *Maniaces* injuriam illam *Arduino* intulerat. At vero maxima auctorum pars, inter quos *Cedrenus, Joannes Curopalates, Guilielmus Apulus,* facinus illud ad *Maniacis* successorem, *Doceanum*, referunt.

copiarum vi circumdatur, acriterque oppugnatur. *Catacalo* intra oppidi moenia suos continet, ac si congredi cum hostibus metueret. Ea res securos negligentesque Arabes reddit, adeo ut interdiu incauti per agros palarentur, noctu autem epulis somnoque indulgerent. *Catacalo* ubi videt, Arabes nullam eorum, quos obsidebant, rationem habere, confirmatis suorum animis, ipso Pentecostes die, circa prandii horam ex urbe prorumpit, magnoque impetu in hostes irruit, cibo potuique vacantes, nihilque mali suspicantes. Magna tum inter Arabes strages edita, quin ipse Siciliae praefectus, *Alhasan*, in tentorio suo interfectus fuit. Paucissimi gladios Graecorum effugiunt, *Panormum*que sese recipiunt. Potiuntur Graeci Arabum castris magnâque supellectilis militaris copiâ [239]). Etsi vero insignem hanc victoriam *Catacalo* de hostibus reportaverit, tamen *Messanam* contra repetitos Arabum impetus tueri non potuit. Cum enim a Graecorum imperatore nullis auxiliis juvaretur, Arabes autem ex Africâ in dies suppetias acciperent, fieri non potuit, quin oppidum, diu graviterque vexatum, tandem in Arabum transiret potestatem. Quo anno id evenerit, haud quidem memoriae proditum; constat tamen, eo tempore, quo *Normanni* duce *Rogerio, Tancredi* filio, Siciliam invaserunt, (circa a. **1060**) *Messanam* in Arabum fuisse potestate [240]).

Cap. XVII.

Siciliae proceres de principatu inter se contendunt. Normanni ad occupandam Siciliam invitantur, eamque insulam, duce Rogerio, invadunt; Messanam Romettamque expugnant; Arabum exercitum ad Ennae castrum profligant; Trainâ Petrelegioque potiuntur.

§. CXLVII.

Occiso in *Messanae* obsidione Siciliae praefecto, *Hasano*, insulae hujus imperium in plures discissum fuit. Ut quisque viribus pollebat, dominationi inhiabat; quo factum est, ut omnes fere potentiorum civitatum

239) Cedreni hist. Compend. t. II, p. **743**, **744**, **755**, **756**; Zonarae Annal. l. XVII, c. **15**, t. II, p. **237**, **238**.

240) Vide Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani t. I, p. **238**, not. **196**.

praefecti, vel principes viri rerum summam sibi adrogarent, deque eâ inter se concertarent. *Panormi* imperium urbis hujus proceres invaserunt; *Mazaram, Drepanum, Schaccam Marsalam*que cum agris adjacentibus *Abdullah ben Mankut* occupavit; *Castrum Ennae, Agrigentum* vicinaque loca *Ali ben Naamah*, cui *Ebn Alhawaschi* cognomentum; *Syracusas* denique atque *Catinam Ebn Althamanah* in potestatem suam redegit. Is, interfecto in *Catinae* expugnatione oppidi hujus praefecto, *Ebn Alkelabi*, conjugem ejus *Maimunam*, sororem *Ebn Alhawaschi*, absoluto luctus tempore a fratre in matrimonium petiit, obtentoque ejus consensu, uxorem duxit. Aliquanto post inter *Ebn Althamanam* ejusque uxorem altercatio exorta, quae tantum furorem *Ebn Althamanae*, quippe inebriato, objecit, ut uxorem incisis venis neci dari juberet. Quod ubi filius ejus, *Ibrahim*, rescivit, adhibitis absque morâ medicis, exsanguem fere *Maimunam* morti imminenti eripuit. Postridie cum ab irâ crapulâque *Ebn Althamanah* rediisset, facti eum poenituit, ejusque veniam ab uxore petiit. Illa reconciliationem simulans, maritum rogat, ,ut fratrem per aliquod temporis spatium visere sibi concederet. Quod cum *Ebn Althamanah* concessisset, muneribusque insuper donatam uxorem dimisisset, ea fratri, quae sibi accidissent, exponit, tantamque ipsi indignationem movet, ut jusjurandum juraret, nunquam se sororem suam marito redditurum. Cum igitur aliquanto post *Ebn Althamanah* uxorem suam repeteret, *Ebn Alhawasch* eam a se dimissurum negavit. Quae repulsa *Ebn Althamanam*, in cujus ditionem jam maxima Siciliae pars cesserat, tantopere irritavit, ut, collectis copiis *Ebn Alhawascho*, qui *Castrum Ennae* tenebat, bellum inferret. Neque *Ebn Alhawasch* adpropinquanti *Ebn Althamanae* obviam ire cessavit. Committitur pugna, in quâ *Ebn Althamanae* copiae funduntur, maximamque partem caeduntur. Ubi *Ebn Althamanah* vires suas fractas videt, tantâ vindictae cupidine correptus est, ut, nullâ popularium suorum habitâ ratione, *Normannos* ad occupandam Siciliam invitare statuerit [241]).

241) Nowairi hist. Sic. c. X; Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. 276, 278 text. Arab. Schehabuddini hist. Sic. p. 62; Ebn Khaldoun p. 78,

§. CXLVIII.

Eo tempore Normanni omnem fere Calabriam atque Apuliam in suam redegerant potestatem. Postquam, ut supra monitum fuit, *Doceanum*, Graecorum ducem, anno **1041** duobus proeliis debellaverant, Graecorum imperatores omnes quidem vires intenderant, ut Normannos opprimerent; sed in irritum conatus eorum ceciderant. Miserat imperator *Michaël Calephates* ipsum *Maniacem*, e carcere extractum, cum exercitu in Italiam; qui tamen superbiâ et crudelitate Italorum animos a Graecis alienavit, quinimmo ipse a *Constantino Monomacho, Michaëlis* successore, defecit. Occiso (a. **1043**) in Dalmatiâ, quo cum exercitu trajecerat, *Maniace*, Graeci cum *Argyro, Meli* filio, ad exterminandos ex Italiâ Normannos arma consociarunt. *Argyri* operâ contra *Drogonem*, Normannorum in Apuliâ ducem, conjuratio conflata, ipseque *Drogo* cum multis Normannis anno **1051** interfectus fuit. Neque tamen hoc facinore *Argyrus* multum profecit. Contra, haud multo post a *Drogonis* fratre, *Humfrido*, ad *Sipontum* proelio lacessitus atque profligatus fuit; in quo proelio multi Graecorum Apulorumque caesi, quin ipse *Argyrus* gravi vulnere ictus fuit. Ejusdem *Argyri* operâ et *Leo IX*, pontifex maximus, permotus fuit, ut, petitis ab imperatore *Henrico II* auxiliis, Normannis bellum inferret. Quod tamen inceptum infeliciter admodum *Leoni* cessit. Namque commisso cum Normannis a. **1053** ad *Civitellam* proelio, *Leonis* exercitus ad internecionem fere deletus est. Ex eo tempore nemo amplius Normannis in Apuliâ atque Calabriâ resistere potuit, brevique eorum dominatio in terris illis adeo promota fuit, ut praeter

---

79 text. Arab. — In recensendis procerum nominibus, qui occiso *Hasano*, Siciliae praefecto, insulae illius imperium adfectarunt, *Nowairium* secuti sumus, quippe cui et *Schehabuddinus* atque *Abulfeda* consentiant. Diverso aliquantulum modo procerum illorum, urbiumque, quas occuparunt, nomina ab *Ebn Chalduno* traduntur. Hoc namque auctore *Panormi* imperium *Mohammed ben Althamanah*, *Mazarae Drepanique* *Abdullah ben Alhawasch*, *Catinaeque* *Ebn Almeklati* adripuit. Probabile videtur, *Almeklatii* nomen librariorum culpâ ex *Alkelabio*, quod *Nowairius* habet, detortum esse.

aliquot oppida, in quibus *Brundisium, Hydrus, Tarentum* et *Baris*, Graecis nil reliquum esset [242]).

§ CXLIX.

Hoc rerum statu *Ebn Althamanah* in Calabriam trajicit, *Rogerium*que, *Tancredi* filium natu minimum, qui *Rhegium* tenebat, ad expugnandam Siciliam invitat. *Rogerius*, ut erat bellandi cupidissimus, *Ebn Althamanae* conditionem lubentissimo accipit animo, et cum parvâ Normannorum manu anno 1060 Siciliam invadit. In eâ incursione, quam explorandae maxime Siciliae causâ *Rogerius* suscepit, *Messanae*, *Melacii* atque *Romettae* agros Normanni populati sunt, ingentemque inde praedam egerunt. Quos cum Messanii persequerentur, ventum est ad certamen, in quo Normanni superiores evaserunt, magnamque inter hostes stragem ediderunt. Prospero hoc rerum successu incitatus *Rogerius*, ipsam *Messanam* adgressus est. Sed cum Messanios urbem suam acerrime defendere, neque tantas sibi praesto esse copias videret, quibus, impetu facto, urbem expugnare posset, veritus, ne, si obsidione eam claudere vellet, Siculi, contractis viribus, sese opprimerent, a *Messanae* oppugnatione destitit, inque castra sua se recepit; unde vento secundo *Rhegium* reversus est [243]).

§. CL.

Ut primum *Rogerius* in Calabriam venit, milites, commeatum aliaque parat, quae ad expugnandam Siciliam necessaria visa sunt. Quin etiam

---

242) Cedreni hist. Compend. t. II, p. 756; Guilielmi Apuli rer. Normannicar. l. II, in Leibnitii Script. rer. Brunsvic. t. I, p. 591—594, Murat. S. r. It. t. V, p. 259 sequ. Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 44; Anonym. Barens. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 152.

243) Gaufredi Malaterrae hist. Princip. Normannor. l. II, c. 3—6, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 179, 180. — Tradit *Malaterra*, *Rogerium* 160 *militibus* Siciliam invasisse. Quod ne quem in errorem inducat, observandum, *militis* vocabulo a mediae aetatis scri-

fratrem suum, ***Robertum Guiscardum***, Apuliae ducem, ad belli societatem invitat. Neque ***Robertus*** fratri defuit; namque brevi post magno cnm equitatu, navalibus insuper copiis *Rhegium* venit. De quo adparatu ubi certior factus est *Ebn Alhawasch*, magnum navium numerum, quae Normannorum in Siciliam transitum impedirent, in fretum Siculum misit. Ibi cum per aliquot dies classes hostiles se invicem observassent, neque Normanni in conspectu Arabum fretum trajicere auderent, *Rogerius* fratrem *Robertum* monet, ut in statione, quam tenebant, maneret, hostibusque sese ostenderet. Interea ipse *Rogerius* noctis sub umbrâ cum selectâ manu, hostium classem evitans, in Siciliam trajecit, *Messanam*que adortus est. Quod oppidum cum vacuum defensoribus inveniret, facili negotio expugnavit. At vero Arabes, qui in freto custodiam agebant, ubi resciverunt, se a Normannis elusos, *Messanam*que captam esse, veriti, ne gravius quid sibi accideret, stationem suam relinquunt, et quam celerrime *Panormum* revertuntur. Quorum discessu cum jam pateret in Siciliam iter, ***Robertus*** cum omni exercitu trajecit, ***Messanam***que adpulit [244]).

§. CLI.

Collocatis *Messanae* praesidiis fratres *Rogerius* atque *Robertus* exercitum *Romettam* versus promovent. Jam audiverant Romettani, *Messanam* in Normannorum potestatem devenisse; quare cum se ad resistendum im-

---

ptoribus non gregarios notari milites, sed eos, quos eadem aetas *Vasallos* vulgo dixit; qui non soli, verum multis stipati servis in bellum proficisci solebant. Vide du Cangii Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis, ad vocem ***Miles***, ubi in ceteris haec habentur: „In ***Militem*** adoptare, id est, vasallum sibi aliquem efficere, dato ei beneficio seu feudo.“ Observandum praeterea, Arabum duces, quos *Nowairius Ebn Althamanah* et *Ebn Alhawasch* adpellat, a *Malaterrâ Becumeni* et *Belcamedi* nominibus insigniri.

244) Gaufredi Malaterrae hist. Princip. Normannor. l. II, c. 8, 10, 12, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 180, 181.

pares existimarent, legatos ad Normannorum duces miserunt, qui pacem peterent, urbisque suae deditionem offerrent. Accipiunt conditionem Normanni, et absque sanguinis profusione *Romettâ* potiuntur. Inde ulterius Normanni procedunt, donec ad *Centurbium* perveniunt. Ejus oppidi incolae nequaquam faciles adeo, quam Romettani, se praebuerunt. Adpropinquantibus enim hostibus, clausis portis acerrime urbem suam defenderunt. Normannorum duces cum viderent, urbem illam non sine magno suorum detrimento expugnari posse, rumorque insuper ferret, Siculos magno cum exercitu brevi adfuturos, a *Centurbii* oppugnatione destiterunt, exercitumque in *Paternionis* campum promoverunt; quo in loco copias hostiles opperiri statuunt. Sed cum per aliquot dies frustra hostem exspectassent, tentoria movent et ad *Ennae castrum* usque proficiscuntur. Illic tandem cum hostium exercitu, qui ex Afris Siculisque conflatus erat, hominumque multitudine Normannos longe superabat (a. **1061**), congressi sunt. Normannorum duces copias suas in duas acies diviserant, quarum priorem *Rogerius*, alteram *Robertus* ducebat; Arabum exercitus in tria partitus erat agmina. Uterque exercitus magno animo magnâque spe certamen inivit; Arabes multitudine copiarum, Normanni fortitudine suâ confisi. Sed brevi compertum fuit, quantum copiarum multitudini fortitudo praestaret; namque postquam aliquamdiu aequo Marte certatum fuisset, Arabes a Normannis fusi sunt atque fugati, tantaque inter illos strages edita, ut ad X millia hominum occisa memorentur. Quod etsi haud videatur verisimile, insignem tamen victoriam magnamque praedam Normanni ex eo certamine reportarunt. Neque tamen *Ennae castrum*, quod et naturâ et arte munitissimum erat, ausi sunt oppugnare. Promoto igitur exercitu, in campo, cui a *fontibus*, illic scaturientibus, nomen, castra posuerunt. Inde *Rogerius* cum tercentis selectis juvenibus, et praedae agendae causâ, et ut locorum situs exploraret, ad *Agrigentum* usque excurrit. Ex quâ excursione praedâ onustus cum reversus esset, et jam hiemis tempus adpropinquaret, bello finem imponere inque Italiam se recipere fratres statuerunt. Igitur *Ebn Althamanam*, belli socium, *Catinam*, quae illius imperio parebat, dimittunt, monentque, ne Siciliam lacessere desinat; ipsi autem, imposito *Messanae* praesidio, cum

reliquis copiis fretum trajiciunt; quo facto *Robertus* Apuliam petit, *Rogerius* autem in Calabriâ remanet [245]).

§. CLII.

Sed neque durante hieme ab armis cessatum fuit. Namque circa salvatoris nostri festum natalitium *Rogerius* cum **250** militibus denno in Siciliam trajecit, eamque insulam ad *Agrigentum* usque praedabundus peragravit. Quibus causis *Rogerius* ad invadendam mediâ hieme Siciliam permotus fuerit, non liquet; nisi forte ab *Ebn Althamand* in auxilium vocatus fuit. In eâ expeditione *Trainam* urbem in potestatem suam redegit. Cujus urbis incolae cum maximam partem Christiano nomini addicti essent, facili negotio loco illo potitus est. Interruptus tamen aliquamdiu fuit bellicus hic labor laetiori nuptiarum negotio, ad quas cum *Delicid*, nobili virgine, celebrandas in Calabriam *Rogerius* reversus est. Consummatis vixdum laetitiae diebus *Rogerius* Siciliam repetiit. Evòcato deinde *Catinâ Ebn Althamand*, consociatis armis *Petrelegium* petunt. Ejus oppidi incolae partim *Christi*, partim *Mohammedis* sectatores, habito consilio, pacem a *Rogerio* expetendam urbemque dedendam statuerunt. Accepto in deditionem *Petrelegio*, praesidiisque munito, *Rogerius Trainam* adit, et eam quoque urbem praesidiis firmat [246]).

---

245) Gaufredi Malaterrae hist. Princip. Normannor. l. II, c. **13** — **18**, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. **181** — **183**.

246) Gaufredi Malaterrae l. II, c. **18**, **20**, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. **183**.

Cap. XVIII.

Dissidium inter Rogerium Robertumque, principes Normannorum. Trainae incolae contra Rogerii praesidia insurgunt, Rogerium ipsum in periculum adducunt, tandemque opprimuntur. Arabes ad Ceramium a Normannis caeduntur. Panormus a Pisanis Normannisque frustra tentatur. Tamimus Siculis auxilia mittit; quae tamen a Normannis profligata brevi in Africam revertuntur.

§. CLIII.

Dum haec in Siciliâ geruntur, inter *Rogerium* ejusque fratrem *Robertum* grave dissidium exortum est. Promiserat nempe *Robertus* fratri dimidiam Calabriae partem, neque tamen huic promisso satisfecerat. De quâ re cum primo verbis certatum fuisset, tandem ad arma ventum est. Ea controversia *Rogerium* permovit, ut, relictâ ad tempus Siciliâ, in Italiam reverteretur. Ibi cum aliquamdiu ancipiti Marte fratres certassent, tandem *Robertus* in Geracensium, qui a *Rogerii* partibus stabant, incidit potestatem. Eo casu finis certamini impositus fuit. Namque a fratre in libertatem vindicatus *Robertus* promissis satisfecit, dimidiamque Calabriae partem *Rogerio* concessit. Interea *Ebn Althamanah*, quem ad prosequendum bellum *Rogerius* in Siciliâ reliquerat, neque verbis neque armis pepercerat, ut Siculos in suas *Rogerii*que partes traheret. Neque conatibus ejus defuit successus, donec ad *Antulium*, dolo circumventus, vitâ privaretur. Pertinuerat castrum illud olim ad *Ebn Althamanae* ditionem, postmodum vero ab eo defecerat. Quod cum ad officium reducere moliretur, Antulienses, ac si reconciliari *Ebn Althamanae* vellent, tempus locumque constituunt, quo de rebus communibus cum illo colloquerentur. *Ebn Althamanah* nil doli suspicatus, quippe qui plurimis quondam beneficiis Antulienses adfecerat, tempore praestituto locum ad colloquium destinatum adit; quo cum pervenisset, ab Antuliensibus circumventus illico confoditur. Quod facinus ubi Normanni, qui *Trainae* et *Petrelegii* in praesidio erant, audiverunt, magno timore perculsi sunt, et cum in locis illis, quae tenebant, vix satis tutos se existimarent, desertâ statione suâ *Messanam* se receperunt [247]).

---

247) Gaufredi Malaterrae l. II. c. 22, p. 184.

§. CLIV.

Opportune accidit, ut eodem fere tempore, quo haec in Siciliâ evenêre, lites inter *Rogerium Robertumque* componerentur. Quibus compositis, *Rogerius* absque morâ cum uxore copiisque recentibus in Siciliam trajecit, *Trainamque* contendit. Quod oppidum, etsi jam ipsius montis, in quo situm erat, naturâ satis defenderetur, magis tamen communivit, uxoremque cum paucis praesidiariis militibus illic collocavit. Ipse cum majori copiarum parte vicina oppida castellaque petiit, ut ea in potestatem suam redigeret. Dum autem oppugnando *Nicosino Rogerius* occupatur, *Trainae* incolae, aegre ferentes, quod milites praesidiarii in domibus suis, inter uxores filiasque suas deversarentur, factâ conjuratione illos adoriuntur. At vero milites praesidiarii, etsi pauciores, adreptis armis, seque dominamque suam fortiter defendunt, donec nox certamini finem imponit. Ut primum *Rogerius*, quae *Trainae* acciderint, per nuntios comperit, quam celerrime laborantibus suis in auxilium adcurrit. Verum et oppidani ex vicinis castris magnam auxiliorum vim contraxerunt; quo factum est, ut atrocissimum bellum inter Normannos Siculosque ad *Trainam* exoriretur. In quo bello Normanni magnâ commeatus, aliarumque rerum, quae ad bellum gerendum necessariae sunt, inopiâ laborarunt. Quinimmo parum abfuit, ut ipso duce suo privarentur. Accidit enim, ut, commisso aliquando proelio, *Rogerius* incautius medios in hostes irrueret, a quibus circumventus captusque fuit. Jam a triumphantibus seorsum in locum tutiorem trahebatur, ubi pro victorum arbitrio cruciari jugularique posset. Et profecto actum de eo fuisset, nisi gladium arripere ipsi contigisset, quocum hostium, qui eum stipabant, globum mirâ fortitudine perrupit, eoque modo in libertatem se vindicavit. Per quatuor menses Normanni in eo discrimine versâti sunt, donec rigidissima, quae illo anno ingruit, hiems, illis victoriam, Siculis vero perniciem ferret. Invalescente namque frigore Siculi excubias nocturnas negligentius agere coeperunt, quod ubi Normanni intellexerunt, et ipsi incuriam socordiamque simulant, etsi diligentissime vigilias agerent. Ea res Siculos induxit, ut securi in munitionibus suis degerent, quasi nullus hostis timendus esset. Igitur Normanni intempestâ nocte, obrutis somno Siculis, horum

munitiones invadunt, plurimos caedunt, nonnullos capiunt, paucissimis tantum fugâ elapsis. Ea victoria Normannos, omnium rerum inopes, mirum in modum sublevavit; namque in hostium castris magnam commeatus, aliarumque, quae ad bellum pertinent, rerum copiam deprehenderunt [248]).

§. CLV.

Etsi vero in Normannorum partes victoria inclinaverat, tamen et ipsi haud levem et hominum et equorum jacturam in eo bello fecerunt. Quare *Rogerius*, compositis *Trainae* rebus, in Italiam trajecit, ut collectis ibi hominibus equisque jacturam illam resarciret. Quod ubi perfecit, ad prosequendum in Siciliâ bellum quam celerrime reversus est. Haud multo post nuntius ei adfertur, consedisse ad *Ennae castrum* hostium agmen, maxime ex Arabibus Afris, qui Siculis in auxilium venerant, conflatum. Quo nuntio accepto *Rogerius* consilium init cum hostibus decertandi. Igitur praemissis paucis velitibus, qui hostibus sese ostentarent, eosque ad certamen provocarent, ipse cum ceteris copiis in insidiis locatur. Ut primum Arabes Normannorum velites conspiciunt, e castris suis prorumpunt, illosque ad insidiarum usque locum persequuntur. Tum *Rogerius* ex insidiis in hostes irruit, eosque, acri commisso proelio, fundit fugatque; quo facto spoliis onustus *Trainam* se recipit [249]).

§. CLVI.

Interea Siculi, Afrorum aucti auxiliis, amplissimum exercitum contraxerant, castraque ad flumen *Ceramum* locaverant (a. 1063). Si *Malaterrae* fides, Arabum exercitus, praeter pedites, quorum immensa multitudo, triginta millibus equitum constabat, quibus *Rogerius* nonnisi cum centum triginta sex militibus occurrebat. Jam etsi vix credibile videatur, Normannorum agmen exiguum adeo, Arabum contra exercitum tam immensum fuisse, id certe constat, Arabes copiarum numero Normannis longe fuisse

248) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 29, 30, p. 188, 189.
249) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 31, 32, p. 189, 190.

superiores. Neque tamen ea res *Rogerium* deterruit, quo minus hostibus obviam iret. Adferebatur nuntius, Arabes ad *Ceramium* castrum iter dirigere, ut loco illo potirentur. Eo *Rogerius Serlonem*, nepotem suum, cum parvâ manu praemisit, ut castrum illud contra Arabum impetum defenderet. *Serlo* exercitum hostilem antevertens *Ceramium* occupat, indeque prorumpens haud parum detrimenti Arabibus infert. Interea et *Rogerius* cum agmine suo advenit. Quod ubi Arabes intelligunt, exercitum suum in duas acies dividunt, inque hunc modum instructi Normannis obviam eunt. *Rogerius* similiter suos in duo agmina partitur, quorum alterum *Serloni* committit, alterum ipse ducit. Congreditur primo cum primâ Arabum acie *Serlo*; sed licet omnes vires intenderent Normanni, tamen ab ingenti hostium multitudine rejiciuntur. Jam ad *Rogerii* aciem res rediit. Is igitur, cohortatus suos, pugnam redintegrat, hostiumque impetum non tantum inhibet, verum etiam reprimit. Cum diu utrinque maximâ cum contentione dimicatum fuisset, Normannorum inconcussa virtus inconditam Arabum multitudinem tandem devicit. Perturbatis Arabum ordinibus Normanni tantam inter illos stragem edunt, ut ad quindecim millia in eo certamine caesa fuisse dicantur. Quod etsi vix verisimile videatur, insignem tamen Normanni tum temporis reportarunt victoriam, expugnatis etiam hostium castris, in quibus ingentem omnium rerum copiam invenerunt. Postridie ejus diei reliquias exercitûs hostilis Normanni per montes saltusque persequuntur, magnumque hominum numerum vel capiunt, vel occidunt. Inter ceteras, quae Normannis in praedam cesserant, res et cameli complures inventi sunt, quorum quatuor *Rogerius Alexandro*, summo Pontifici, ad testandum gratum pro victoriâ a Deo sibi concessâ animum, dono obtulit. Quod munus Pontifex summus vexillo, benedictione apostolicâ consecrato, rependit [250]).

§. CLVII.

Haud multo post Pisani *Rogerium* ad oppugnandam *Panormum* invitant. Intercesserat Pisanis cum Panormitanis multiplex commercium, quod

250) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 33, p. 190 — 192.

tamen ex aliquo tempore propter injurias quasdam, quibus Pisanos Panormitani adfecerant, interruptum fuit. Quas injurias ut ulciscerentur Pisani, haud spernendas copias navales contraxerant, quibuscum in Siciliam adpulerunt, ***Panormum*** adgressuri. Ut vero Panormitanos facilius possent opprimere, legatum ad ***Rogerium***, qui ***Trainae*** versabatur, mittunt, eumque hortantur, ut terrestri exercitu ***Panormum*** petat, se navalibus copiis urbem illam oppugnaturos. Neque tamen ***Rogerius*** Pisanorum petitioni satisfecit. Credibile est, exercitum ejus in proelio ad ***Ceramium*** adeo adtritum fuisse, ut Panormum, principem Siciliae urbem, lacessere inpraesentiarum nequaquam auderet. Pisani ubi vident, nil sibi auxilii a Normannis exspectandum esse, soli ***Panormum*** oppugnare statuunt. Igitur perfractâ, quae ***Panormi*** portum claudebat, catenâ, portum invadunt. Sed cum tantâ copiarum vi urbem defendi intelligerent, ut eâ se potituros desperarent, satis habuerunt, quinque naves, multis divitiis oneratas, quas in portu deprehenderunt, incendio delevisse, sextamque, longe ditissimam, unâ cum catenâ, quae portum clauserat, ***Pisam*** abduxisse. Eam praedam Pisani postea exstruendae basilicae impenderunt, cujus rei testimonium exhibet inscriptio in magnifici illius templi fronte obvia [251]).

§. CLVIII.

Dum haec a Pisanis ad ***Panormum*** geruntur, ***Rogerius*** de supplendo exercitu, qui in proelio ad ***Ceramium*** haud parum detrimenti acceperat, cogitat. Placuit in Italiam denuo trajicere, indeque auxilia repetere, simul autem cum fratre ***Roberto*** de persequendo in Siciliâ bello consilia communicare. Ne autem uxori copiisque, quas in Siciliâ relinquebat, commeatus deesset, ***Gulosae***, ***Brocati Cephaledi***que agros, antequam discederet,

251) Ganfredi Malaterrae l. II, c. 34, p. 193; Annal. Pisani in Murat. S. r. It. t. VI, p. 168. — Si *annales Pisanos* audiamus, ipsa ***Panormus*** eo tempore a Pisanis expugnata fuit. Quod tamen merito in dubium vocatur, cum neque ***Malaterra***, neque laudata illa basilicae Pisanae inscriptio expugnatae a Pisanis ***Panormi*** mentionem ullam injiciat.

populabundus peragrat, magnamque praedae copiam *Trainam*, ubi uxor ejus commorabatur, deducit. Quo facto in Apuliam proficiscitur; unde brevi, habitis cum fratre de bello Siculo consiliis, acceptoque centum militum auxilio, in Siciliam revertitur. At vero *Robertus*, intelligens, illo auxilio fratrem parum profecturum, quantas potest per Apuliam atque Calabriam copias colligit, quibuscum ipse Siciliam invadere statuit. Quod ubi *Rogerius* rescivit, fratri ad *Consentiam*, Calabriae urbem, usque obviam procedit, unde utrique cum quingentis militibus in Siciliam proficiscuntur. In quam insulam postquam adpulerunt, nullo resistente iter *Panormum* dirigunt, principem Siciliae urbem oppugnaturi. At vero loco illo potiri non fuit concessum. Namque et viris, et reliquo belli adparatu adeo instructa fuit *Panormus*, ut omnes Normannorum labores in irritum redigerentur. Cum igitur per trium mensium spatium frustra *Panormum Robertus* tentasset, devastatis agris locisque vicinis obsidionem solvit, exercitumque *Bugamum* versus movet. Quod castrum a Normannis expugnatum atque dirutum est, abductis in servitutem incolis. Inde *Agrigentum* versus Normanni proficiscuntur. In cujus urbis viciniâ cum castra posuissent, oppidani, viribus suis nimium confisi, ex urbe prorumpunt inque Normannos irruunt. A quibus tamen fortiter excepti rejiciuntur, et ad oppidi portas usque propelluntur. Deinde recto itinere in Calabriam *Robertus* tendit, quo cum pervenisset, exercitum dissolvit [252]). Mirum fortasse videri possit, *Robertum* festinanter adeo Siciliam deseruisse, cum tamen tantas Normannorum copias duxisset, quantae insulam illam antea nunquam invaserant. At vero nuntius ferebatur, Africae principem, *Tamimum*, ingentem exercitum contraxisse, eumque propediem in Siculorum auxilium adfuturum. Hoc nuntio territus *Robertus*, ante exercitus Africani adventum Siciliam sibi deserendam existimavit. Jam tum cum primum *Rogerius* Siciliam invasisset, optimi quique Siculorum ex eâ insulâ discesserant, inque Africam profecti *Almoëzzo ben Badis*, Africae principi, renuntiaverant, nisi

---

252) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 34, 36, p. 193 — 195; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 44.

Siculis suppetias ferret, insulam eorum brevi in Christianorum potestatem cessuram. Igitur *Almoëzzus* haud spernendam classem in Siciliam misit; quae tamen ad *Pantalariam* insulam tempestate correpta, universa fere naufragio periit. Cui jacturae cum et aliae clades accederent, *Almoëzzus* animum adeo despondit, ut res Siciliae parum vel nihil omnino curaret. Defuncto (a. 1061) *Almoëzzo* filius ejus *Tamimus* in regno successerat. Qui ubi audivit, Normannos magnam Siciliae partem jam in potestatem suam redegisse, et nisi illis obviam iretur, mox omnem insulam in eorum ditionem transituram, magnas et terrestres et maritimas collegit copias, easque filiis suis, *Ajjubo* et *Alio*, ducibus, Siculis in auxilium misit [253]). Quarum copiarum adventum ubi rescivit *Robertus*, nequaquam illis se parem futurum existimans, quam celerrime, sicuti memoratum jam fuit, ex Siciliâ cum agmine suo discessit.

§. CLIX.

Haud multo post *Roberti* discessum (a. 1064) Afrorum exercitus, *Ajjubo* et *Alio* ducibus, in Siciliam adpulit. Inter oppida, quae tum temporis in Arabum Siculorum adhuc erant potestate, amplissima atque munitissima *Panormus* et *Agrigentum* habebantur. Ea praesidiis firmare, indeque Normannis obviam ire Afrorum duces statuerunt. Igitur exercitum in agmina duo partiti sunt, quorum alterum *Ajjub Panormum*, alterum vero *Ali Agrigentum* deduxit [254]). Quibus utriusque oppidi praesidiis Normanni per aliquod tempus impediti fuêre, quo minus in expugnandâ Siciliâ procederent. Neque tamen ideo animum desponderunt; quinimmo crebris incursionibus hostes lacessebant vexabantque. Ut autem firmum tutumque haberent locum, quo se, si forte ab Arabibus premerentur, recipere possent, *Rogerius* a. 1066 prope *Petrelegium* castrum exstrui, omnisque generis munimentis firmari jussit. Quo castro Normanni in expugnandâ eâ, quae circumjacebat, Siciliae parte egregie postmodum adjuti fuere [255]).

253) Nowairii hist. Sic. c. XI.

254) Nowairii hist. Sic. c. XI.

255) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 38, p. 195, 196.

§. CLX.

Etsi vero Afrorum exercitus Normannos in expugnandâ Siciliâ aliquamdiu retardaret, tamen vix quidquam, quod memoriâ dignum videretur, in eo bello effecit. Quaesiveris, qui factum sit, ut tantae copiae, quantas ***Tamimus*** in Siciliam miserat, exiguam illam Normannorum manum neque opprimere, neque ex Siciliâ expellere potuerint? Ejus rei causa, praeter Normannorum fortitudinem bellicam, maxime in invidiâ atque dissensione, quae inter Afros Siculosque intercedebat, quaerenda mihi videtur. Quae dissensio haud multo pôst quam Afrorum exercitus Siciliam ingressus est, erupit. Cum enim ***Ajjub***, qui ***Panormum*** praesidio tenebat, flagitantibus belli negotiis, ***Agrigentum*** pervenisset, ejusque oppidi incolas comitate atque beneficiis sibi devinxisset, ***Ebn Alhawasch***, ad cujus ditionem ***Agrigentum*** pertinebat, tantâ in illum invidiâ exarsit, ut Agrigentinos ad exturbandum eum incitare moliretur. Qui cum ***Ebn Alhawaschi*** consilia aversarentur, ipse, contracto exercitu, apertâ vi ***Ajjubum*** adortus est. Commisso inter utrumque proelio, ***Ebn Alhawasch*** occiditur; quo facto ***Ajjub*** summâ rerum in Siciliâ potitur. Neque tamen et post ***Ebn Alhawaschi*** interitum dissensio illa inter Afros Siculosque cessavit. Maxime vero inter Panormitanos Afrosque gravissimae exercebantur inimicitiae [256]). Quae res in causâ fuit, quod tantae Afrorum copiae exiguam Normannorum manum non tantum non possent opprimere, verum etiam ipsae interdum haud minima a Normannis damna paterentur. Id quod praeprimis anno 1068 accidit. Cum enim illo anno ***Rogerius*** creberrimis incursionibus Afros lacessivisset, quinimmo ***Panormum*** usque populabundus processisset, ***Ajjub*** eam audaciam ulterius non tolerandam esse censens, collectis copiis Normannis obviam ivit, eosque in loco, cui ***Michelmiri*** nomen, adgressus est. ***Rogerius*** suos paucis ad virtutem cohortatus, certamen init, tamque fortiter rem gerit, ut, licet Afri Normannis copiarum numero longe superiores essent, illi tamen ad internecionem fere delerentur. Partâ victoriâ Normanni inter cetera spolia et sportam, repletam columbis, quibus tabellariorum loco Arabes utebantur, invenerunt.

256) Nowairii hist. Sic. c. XI.

Rogerius exemtis e sportâ avibus chartulas sanguine infectas subligavit, protinusque eas dimisit. Quae *Panormum* reversae tristissimi casûs nuntium quam celerrime urbis illius incolis perferunt [257]). Eâ clade acceptâ ubi intelligunt Afrorum duces, se nihil contra Normannos effecturos, revertendi in patriam consilium ineunt. Igitur relictâ, ineunte anno **1071**, Siciliâ, cum omnibus copiis suis in Africam trajiciunt. Quos discedentes magna Arabum Siculorum pars secuta est, qui de retinendâ patriâ suâ jam desperaverant [258]).

Cap. XIX.

Normanni Panormum occupant, Afros ad Mazaram caedunt, ipsique ad Catinam ex insidiis opprimuntur, Tauromenium aliaque quam plurima Siciliae oppida expugnant, Arabes pugnâ navali profligant, Syracusas, Agrigentum, Buteram Notumque capiunt, omnem denique Siciliam Arabibus eripiunt.

§. CLXI.

Relictâ ab Afrorum exercitu Siciliâ, nil obstare videbatur, quo minus universâ insulâ Normanni potirentur. Haud multo ante *Robertus*, expugnatâ *Bari*, Graecorum in Italiâ dominationem penitus exstinxerat, eâque re copiam nactus erat, ulterioribus quoque expeditionibus vacandi. Igitur fratre *Rogerio*, qui ad expugnandam *Barim* adcurrerat, in Siciliam praemisso, ipse, paratis omnibus, quae ad bellum necessaria videbantur, cum terrestribus mariti-

257) Gaufredi Malaterrae l. II, c. **41**, **42**, p. **197**, **198**.

258) Nowairii hist. Sic. c. XI. — In constituendo tempore, quo *Tamimi* filii Siciliam cum exercitu suo adiverint atque reliquerint, nonnihil a *Nowairii* auctoritate discessimus. Etenim *Nowairius* Afrorum in Siciliam adventum ad annum **1061**, eorumque ex insulâ illâ discessum ad annum **1068** refert. At vero haud spernendis argumentis *Martorana* contendit, Afrorum exercitum anno demum **1064** Siciliam ingressum fuisse, annoque **1071** insulam eam rursus reliquisse. Quam temporis computationem nos quoque sequendam duximus. Vide Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. I., p. **245**, **246**.

misque copiis a. **1071** subsecutus est, *Catinamque*, ubi a fratre exspectabatur, adpulit. Ut autem Siculorum animos ab incepto suo averteret, rumorem sparsit, ad expugnandam Melitam insulam se profecturum. Mox autem recto itinere *Panormum* tetendit, eamque urbem terrâ marique circumdedit. Sed licet intestinis dissidiis scinderentur Panormitani, strenuissime tamen urbem suam defenderunt, ita ut nonnisi summâ cum contentione Normanni illâ potiri potuerint. Per quinque mensium spatium ea obsidio protracta fuit, multaque interea utrinque fortitudinis specimina edita. Denique addito ad fortitudinem dolo capta est. Jusserat nempe *Robertus*, ut eodem temporis momento duabus ex partibus urbs oppugnaretur. Quod dum fit, omnisque oppidanorum cura in eas, quae oppugnabantur, urbis partes intenta est, *Robertus* cum selectâ suorum manu in eam, cui minus cavebatur, oppidi partem impetum dirigit, adhibitis scalis muros transscendit, eoque modo exteriori urbis parte potitur. Expugnatâ a Normannis exteriori *Panormi* parte, oppidani in interiorem urbem se recipiunt. Sed cum jam omnem retinendae urbis spem abjicerent, populi proceres proximo die, factis induciis, *Robertum Rogeriumque* adeunt, urbisque deditionem, si clementer secum ageretur, promittunt. Accipiunt conditionem fratres, huncque in modum nobilissimâ urbe potiuntur, ineunte anno **1072.** Occupatâ *Panormo* *Robertus* castelli urbisque munitiones refici jubet, acceptisque obsidibus in Italiam revertitur. *Rogerio* Siciliae dominatio committitur, exceptâ tamen *Panormo, Deminâ* atque *Messanâ*, quas urbes *Robertus* sibi vindicavit [259]).

---

259) Ganfredi Malaterrae l. II, c. 43, 45, p. 199—201; Guilielmi Apuli rerum Normannicarum l. III, in Carusii biblioth. hist. Sic. t. I, p. 118, 119; Leonis Marsic. Chron. Cassin. l. III, c. 16, in Murat. S. r. It. t. IV, p. 426; Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 45; Anonymi Barens. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 153; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 171. — Si *Leonem Marsicanum* audiamus, *Robertus* dimidiam tantum *Panormi, Deminae, Messanaeque* partem sibi vindicavit. At vero probabilius nobis videtur, quod *Malaterra* tradit, Robertum urbes illas integras sibi adrogasse.

§. CLXII.

Etsi vero Siciliae caput, Panormus, in Normannorum ditionem jam cessisset, tamen multo adhuc labore opus erat, donec universa insula expugnaretur. Namque et Arabes Siculi pertinacissime resistebant, et Afri subinde in Siciliam trajicientes haud parum negotii Normannis faciebant. Haud exiguam jacturam Normanni eodem, quo ad *Panormum* pugnabatur, tempore fecerunt *Serlonis*, *Roberti Rogerii*que nepotis, interitu. Collocaverant *Serlonem* Normannorum duces ad *Ceramium*, ut oppidi ejus viciniam ab Arabum, qui *Ennae castrum* tenebant, incursionibus defenderet. Illum Arabs quidam ex *Ennae* proceribus, simulatâ amicitiâ, dolo circumvenit, incautumque *Ceram*io elicuit, collocatâ in insidiis validâ militum manu. Ubi ad insidiarum locum *Serlo* cum paucis, qui eum comitabantur, devenit, hostes prorumpunt, illumque, quamvis acerrime se defendentem, cum maximâ suorum parte occidunt, occisique caput, stipiti impositum, per *Ennae* plateas circumferunt, triumphantes simulque clamitantes, illius esse caput, qui prae ceteris Siciliam adflixisset, neque inter hostes parem illi superstitem esse. Cujus rei nuntius ubi *Panormum* perlatus est, magno dolore Normannorum et exercitus et duces commoti sunt [260].

§. CLXIII.

Praeter Arabes Siculos cum Afris quoque Normannis dimicandum erat. Haud multo post *Panormi* expugnationem *Rogerius* et *Mazaram* in potestatem suam redegerat. Eam urbem Arabes Afri, anno **1075** cum ingenti classe in Siciliam trajicientes, adorti sunt ceperuntque. Neque tamen castello, quod juxta urbem positum erat, potiri contigit; quare obsidione claudendum censuerunt. Quod cum *Rogerio* nuntiatum esset, octavo die, ex quo coepta fuit obsidio, cum exercitu adcurrit, noctuque, hostibus vix animadvertentibus, in castellum ingreditur. Postridie, primo diluculo, per portas erumpit, magnoque impetu in hostes necopinantes irruit. Qui cum ad certamen parum accincti essent, mox in fugam convertuntur. Quam

260) Gaufredi Malaterrae l. II, c. 46, p. 201, 202.

plurimi Afrorum in eo certamine caeduntur; pauci in naves evadunt, ejusque cladis nuntium, in Africam reversi, popularibus suis referunt [261]).

§. CLXIV.

Insequenti anno (1076) Normanni per *Hugonis de Gircaed* imprudentiam haud leve damnum ab Arabibus passi sunt. Discesserat *Rogerius*, flagitantibus negotiis, in Calabriam, *Hugoni*que, genero suo, Siciliae curam demandaverat. Sed cum Arabum dolos nosset, *Hugoni* interdixerat, ne, se absente, manus cum Arabibus consereret, veritus, ne hostium dolis sui aliquid detrimenti caperent. At vero *Hugo*, gloriae cupidus, adscito sibi *Jordano*, *Rogerii* filio, cum selectâ Normannorum manu insulam peragrat, *Catinam* usque excurrens. Quod ubi Syracusarum praefectus, quem *Benarvetum Malaterra* dicit, rescivit, noctu cum ingenti suorum agmine *Catinam* versus progreditur, collocatisque insidiis, triginta circiter milites *Catinam* usque mittit, qui *Hugonem* ad certamen lacesserent, longiusque ab oppido elicerent. Conspectis Arabibus *Hugo Catinâ* erumpit, fugientesque ex composito bostes majori cum ardore quam cautione persequitur. Ubi ad insidiarum locum ventum est, latitantes illic Arabes summâ vi in Normannos irruut; qui, licet hostium impetum aliquamdiu sustinerent, tamen postremo fusi atque fugati sunt. Caesus fuit in eo certamine *Hugo* cum maximâ suorum parte, paucissimi cum *Jordano Catinam* elabuntur. Cujus cladis nuntius cum ad *Rogerium* perlatus esset, absque morâ in Siciliam reversus est, ductisque contra hostes copiis castrum, cui *Zoticae* nomen, expugnavit diruitque, occisis viris, feminis autem parvulisque in Calabriam, ut venum irent, missis. Inde in provinciam Notensem progressus, fruges ceteraque in agris obvia adeo vastavit, ut provinciae illius incolae magnâ inopiâ eo anno laborarent [262]).

---

261) Gaufredi Malaterrae l. III, c. 9. p. 207; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 45.

262) Gaufredi Malaterrae l. III, c. 10, p. 207.

§. CLXV.

Sed longum esset, si omnes, quos *Rogerius* susceperit, labores, omniaque, quae inierit, certamina recensere velimus; quare sufficiat breviter notasse, quae quovis anno Arabibus oppida eripuerit, suaeque ditioni adjecerit. Igitur anno proxime sequenti (**1077**) *Drepanum* cum duodecim castellis adjacentibus in potestatem suam redegit. Eodem anno et *Castro Novo* potitus est, maxime molendinarii eujusdam operâ, qui a castri illius praefecto verberibus adfectus, eam ignominiam prodito Normannis castro ultus est. Haud multo post, ineunte nempe anno **1078**, *Tauromenii* expugnationem *Rogerius* instituit. In ejus oppidi expugnatione in magnum periculum, hostium insidiis, adductus fuit *Rogerius*, et nisi *Evisandus* quidam, natione Brito, *Rogerium* adversus hostium impetum cum vitae suae profusione defendisset, omnino de illo actum fuisset. Per sex mensium spatium *Tauromenii* obsidio, oppidanorum pertinaciâ, protracta fuit; tandem atrocissima fames obstinatum Arabum animum fregit, eosque ad oppidi deditionem coëgit. Biennio post (anno **1080**) *Catina* per Normannos recuperata, quae praefecti sui perfidiâ in *Benarveti* potestatem devenerat. Commiserat *Rogerius* urbis illius praefecturam Arabi quem *Benchumenum Malaterra* dicit. Hunc Syracusarum Notique dominus, *Benarvet*, amplissimis donis atque promissis ad tradendam sibi *Catinam* permoverat. Quod ubi *Rogerius* comperit, *Jordanum* filium suum, cum parvâ, sed promtâ manu ad recuperandam urbem illam misit. Cui *Benarvet* cum amplissimo exercitu haud procul *Catinâ* occurrit. Committitur proelium, funduntur Arabes, quamvis copiarum numero Normannis multo essent superiores, oppidumque a Jordano obsidetur. Eâ clade acceptâ *Benarvet*, quamvis *Catinam* sese receperat, tamen diffidens se urbem illam adversus Normannorum impetum sustentaturum, noctu cum urbis proditore aufugit, Syracusasque se contulit. Quo facto Normanni absque negotio *Catinâ* denuo potiuntur [263].

---

263) Gaufredi Malaterrae l. III, c. 11. 12, 15, 16, 18, 30; p. 208—212, 219, 220. — Praefectorum Arabicorum, *Benarveti, Benchumeni,* nomina corrupta esse, nemo, linguae Arabicae aliquantulum gnarus,

§. CLXVI.

Quinquennio post (anno **1085**), *Rogerii* frater *Robertus* e vitâ decessit. Cujus filii, *Boëmundus* atque *Rogerius*, cum de principatu certarent, *Rogerius*, eorum patruus, in Calabriam trajecit, ut litem inter fratres exortam componeret. Eam occasionem haud praetermittendam ratus *Benarvet*, instructis navigiis Calabriae oras petiit, inque ceteris *Nicotrum* oppidum expugnavit diripuitque. Cujus rei nuntio accepto *Rogerius* Arabis insolentiam vindicare statuit. Igitur ut primum nepotum negotia composuit, in Siciliam trajecit, et ad Syracusarum oppugnationem se accinxit. Paratis omnibus Normanni noctu cum classe *Syracusas* petunt. Neque tamen incautos Arabes deprehenderunt; quinimmo instructâ navium acie *Benarvet* hostes opperiebatur. Ubi concurrerunt classes hostiles, magnâ cum contentione utrinque pugnatum fuit. Acerrimum vero inter eas naves exortum est certamen, quibus utriusque exercitus duces vehebantur. Quae cum sibi invicem adplicarentur, *Rogerius* cum suis in *Benarveti* navem insilit, strictoque ense illum persequitur. Cujus impetui cum se imparem videret Arabum dux, quippe qui jam *Lupini* cujusdam telo sauciatus fuerat, in proximam navem transsilire contendit, sed lapsus, in mare incidit, armorumque pondere demergitur. Sublato duce Arabes fugâ salutem petunt; sed Normanni acriter illorum navibus instantes, plurimas vel capiunt, vel undis submergunt. Quodsi *Jordanus*, qui copiis terrestribus praeerat, eodem tempore *Syracusas* oppugnasset, in eâ hostium consternatione facile urbe potiri potuisset. At vero *Rogerius* filio interdixerat, ne quid, fervente adhuc pugnâ navali, moliretur; quo factum est, ut Syracusani, animum colligentes, urbis deditionem facere nollent. Igitur *Rogerius* obsidione *Syracusas* clausit, urbemque pertinacem per quatuor menses graviter admodum adflixit. Ut vero ceteros oppidanorum taceamus labores, unum id memo-

---

non intelligit. At vero cum periculosum sit, absque monimentorum Arabicorum ope, quâ in hac historiae parte destituimur, nomina illa restituere, satius duximus, intacta relinquere, quam incertam conjecturam lectoribus obtrudere.

rasse sufficiat, tantam durante obsidione *Syracusis* ingruisse famem, ut ne humanis quidem carnibus temperatum fuerit. Redactis denique ad incitas Syracusanis, *Benarveti* uxor cum filio primoribusque civitatis, conscensis navigiis, noctu per mediam Normannorum classem evadit, Notumque, quod oppidum in Arabum adhuc erat potestate, confugit. Reliqui, foedere cum Normannis composito, sese urbemque suam dedunt anno **1085** [264]).

§. CLXVII.

Debellato *Benarveto* nemo ulterius *Rogerio* in Siciliâ restitit, praeter *Chamutum* (Hamudum) cui *Agrigentum Ennaeque castrum* parebant. Igitur *Rogerius*, promoto ad *Agrigentum* exercitu, eam urbem oppugnavit anno **1086**. Haud ignave Agrigentini urbem suam adversus Normannorum impetus defenderunt, quamvis ipse *Chamutus* abesset, quippe qui eo tempore *Ennae* commorabatur. Postquam per quatuor mensium spatium Agrigentini obsidionem tolerassent, exhaustis tandem viribus deditionem fecerunt. Cum eo oppido et *Chamuti* uxor ejusque liberi in *Rogerii* potestatem devenerunt, quos honestissime *Rogerius* habuit, sperans, eo modo facillime se *Chamutum* sibi conciliaturum. Capto *Agrigento* brevissimo temporis spatio et circumjacentibus castellis Normanni potiti sunt. Jam omnem cogitationem in *Ennae* castrum *Rogerius* intendit. Quod cum et naturâ et arte munitissimum esset, satius videbatur blandis verbis, quam armis *Chamutum* adoriri. Igitur *Rogerius* cum parvâ suorum manu *Ennam* versus tendit, *Chamutum*que, interpositâ fide, ad colloquium invitat. Morem *Rogerio Chamutus* gerit, colloquiique copiam facit. Tum *Rogerius* Arabem ad tradendam *Ennam*, nomenque *Christi* profitendum sollicitavit. Frustra eum ulterius repugnaturum, cum jam omnis fere Sicilia in Normannorum potestatem transierit. Si *Ennam* traderet, nomenque *Christi* profiteretur, uxorem liberosque recepturum, multisque aliis commodis fruiturum. Accipit conditio-

264) Gaufredi Malaterrae l. IV, c. 1, 2, p. 228, 229; Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 46; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 176.

nem *Chamutus;* sed veritus, ne, si aperte deditionem faceret, in periculum incurreret, clam cum familiaribus rebusque suis *Ennam* relinquit, inque Normannorum castra transit. Oppidani ubi a duce suo se desertos esse animadvertunt, pactâ vitae bonorumque incolumitate, castri sui deditionem faciunt anno 1087. *Chamuto Rogerius,* ut praestitum sibi officium rependeret, provinciam Melitensem in Calabriâ adsignavit [265].

§. CLXVIII.

Jam omnia Siciliae oppida atque castella *Rogerii* imperio parebant, praeter *Buteram Notum*que, in quo loco *Benarveti* uxor cum filio commorabatur. Igitur anno 1088 *Rogerius Buteram* cum exercitu petiit, eamque urbem brevi temporis spatio ad deditionem coëgit. Occupatâ a Normannis *Buterâ*, ejus urbis primores in Calabriam collocantur, quod iis parum se confidere posse *Rogerius* existimaret. Notenses ubi vident, se solos superesse, qui Normannis repugnarent, eamque repugnantiam infeliciter sibi cessuram intelligunt, legatos ad *Rogerium,* tum temporis in Calabriâ versantem, mittunt, qui de oppidi sui deditione cum illo agerent. Pactâ in duos annos tributi immunitate Notus traditur (a. 1090) *Jordanus*que a *Rogerio* mittitur, qui urbem occuparet, praesidiisque firmaret. De quâ deditione ubi certior factâ est *Benarveti* uxor, cum filio rebusque suis in Africam se recipit [266].

§. CLXIX.

In hunc modum Arabum in Siciliam dominatio deleta fuit, postquam inde a *Panormi* expugnatione ad *ducentos quinquaginta quinque* annos

---

265) Gaufredi Malaterrae l. IV, c. 5, 6. p. 230, 231; *Nowairii* histor. Sicil. c. XI. — Ex Nowairii sententiâ *Agrigentum* anno 1088, *Ennae* autem castrum anno 1091 in Normannorum transiit potestatem. Nos in temporis computatione *Malaterram* sequendum duximus, *Rogerii* aequalem, rerumque ab illo gestarum auctorem diligentissimum.

266) Gaufredi Malaterrae l. IV, c. 12, 13, 15. p. 234, 235.

durasset. Neque tamen, quod *Pagius* contendit [267]), ipsi Arabes ex Sicilià exturbati fuerunt; quin immo ad *Friderici II*, imperatoris, tempora usque insulam illam inhabitarunt, multumque et domi et militiae valuerunt.

Cap. XX.

Rogerius religionem Christianam in Sicilià instaurat, Arabibus sacrorum suorum usum permittit, Consentiam Arabum auxilio ad deditionem cogit, Amalfim obsidet, Monarchiam Siciliae instituit. Arabes Afri et Balearici Italiam infestant. Rogerius II Arabum auxilio Apuliam Calabriamque subigit, regiumque nomen adsciscit. Arabes Hispani in Italiae oris piraticam exercent, Almeriae et Tortosae jacturam faciunt. Grassante per Africam fame, Arabes Afri in Siciliam confugiunt. Rogerius Arabes ad amplexandam religionem Christianam provocat.

§. CLXX.

Expugnatà Sicilià *Rogerius* nil habuit antiquius, quam ut religionem Christianam in pristinam restitueret dignitatem. Durante Arabum in Siciliam imperio Christianorum sacra haud quidem prorsus ex insulà illà exsulaverant, attamen arctioribus circumscripta fuerant limitibus. Igitur *Rogerius* collapsa, vel omnino deleta Christianorum templa instaurat, sacrorum antistites creat, omniaque parat, quae ad promovendam religionem Christianam facere possent. Cum ante Arabum dominationem, imo ipsorum quoque sub imperio, Christianorum Siculorum ecclesiae a Patriarchae Constantinopolitani jurisdictione pependissent, Graecorumque ritus in sacris observassent, *Rogerii* studio jam effectum est, ut Pontificis Romani auctoritati subjicerentur, Romanorumque ritus in sacris paulatim amplecterentur [268]). Neque tamen

267) Critica in Baronii Annal. t. IV, p. **309**, ubi haec leguntur: „Dum Saraceni mutuis sese cladibus in Hispanià lacerant, *Rogerius*, Calabriae comes, eos ex *universà Sicilià expellit*, totiusque insulae monarchiam adipiscitur." Verum omnino, omnem Siciliam anno **1090** *Rogerii* dominationi subjectam; sed falsum, eodem tempore Saracenos ex *universà insulà expulsos fuisse.*

268) Vide Rogerii diploma, anno **1091** ecclesiae Catinensi exhibitum, in Rocchi Pirri Sicilià Sacrà, t. II, p. **459**, ubi inter cetera haec ha-

laudabile hoc religionis Christianae promovendae studium *Rogerium* Arabibus, alienorum sacrorum sectatoribus, iniquiorem reddidit; contra, institutis, moribus sacrisque suis libere ut uterentur, permisit, dummodo fidem sibi datam servarent, tributumque ipsis impositum penderent [269]). Miraberis fortasse, *Rogerium*, promovendae religionis Christianae studiosissimum, facilem adeo Arabibus, nomini Christiano inimicissimis, sese praebuisse. At vero vir sagacissimus probe perspiciebat, homines illos domi militiaeque maximo usui sibi futuros. Illorum namque in pace operâ Siciliam florentissimam redditam videbat; et quantum in bello valerent, ipse in expugnandâ insulâ expertus erat. Maxime vero belli propter artes et a *Rogerio*, et ab ejus in regno successoribus magni habiti sunt Arabes; quapropter et vix ulla expeditio bellica a Siciliae principibus suscepta fuit, cujus non praecipuae partes Arabibus tribuerentur.

§. CLXXI.

Jam anno **1091** in obsidione *Consentiae Rogerius* Arabum operâ usus est. Eo namque anno Consentini a *Roberti* ducis filio, *Rogerio*, qui parenti defuncto in Apuliae Calabriaeque principatu successerat, defecerant. Ut civitatem rebellem quantocyus ad obsequium reduceret dux *Rogerius*, fratrem *Boemundum* patruumque *Rogerium*, Siciliae comitem, in auxilium vocaverat. Is, nepoti ex fratre morem gerens, cum multis Arabum millibus in Italiam trajecit, junctisque cum duce *Rogerio* atque *Boemundo* armis, urbem obsidione clausit. Consentinis initio propositum fuit, urbem pro viribus suis defendere; quare, quae ad tolerandam vel infringendam obsidionem necessaria videbantur, summo studio comparaverant. At vero perpensâ

bentur: „per diversa Siciliae loca idonea ecclesias aedificavi jussu Summi Pontificis Apostolici (Urbani II) et episcopos ibidem collocavi ipso eodemque Romanae sedis Apostolico et laudante et concedente et ipsos episcopos consecrante."

269) Guilielmi Apuli rerum Normannicar. l. III, in Murat. S. r. It. t. V, p. 266; Gautier d'Arc histoire des conquêtes des Normands en Italie, en Sicile et en Grèce, p. 278.

diligentius hostium potentiâ, maxime vero *Rogerii*, Siciliae comitis, Arabumque, qui illum secuti erant, fortitudinem bellicam veriti, consilium dedendae urbis iniverunt, si defectionis veniam impetrarent. Igitur *Rogerio*, Siciliae comiti, consilium suum aperiunt, ejusque operâ, quod cupiunt, consequuntur. Reconciliantur duci *Rogerio*, eique urbem suam tradunt. Receptâ *Consentiâ*, dux *Rogerius* editissimum urbis locum castello munit, scilicet, ut eo munimento Consentini facilius in obsequio teneri possent. Compositis in hunc modum *Consentiae* rebus, *Rogerius* dux, ut praestitum sibi a patruo auxilium rependeret, dimidiam *Panormi* partem illi concedit, cujus oppidi dominium *Rogerii* ducis pater, *Robertus*, expugnatâ Siciliâ peculiariter sibi vindicaverat [270]).

§. CLXXII.

Minus feliciter *Rogerius*, Siciliae comes, anno **1096** cum Arabibus suis *Amalfim* adgressus est. Defecerat ea quoque civitas a *Rogerio* Apuliae atque Calabriae principe. Quaenam tot tantarumque seditionum fuerit causa, haud satis constat. Credibile est, principes Normannos civitates sibi subjectas imperiosius tractasse; nisi forte inconstans volubilisque civium animus crebras illas seditiones excitavit. Ad Amalfitanos quod adtinet, facile est intellectu, eos etiam propter commercium, quod cum Graecis exercebant, in hos fuisse propensiores, quam in Normannos. Rebellantibus igitur Amalfitanis, dux *Rogerius*, quod se opprimendis illis, maxime propter navium defectum, imparem putaret, comitem *Rogerium* denuo suppetias vocavit. Adcurrit is cum magno et navium et copiarum adparatu, in quibus ad viginti millia Arabum fuisse traduntur. Adcurrit et *Boemundus*, *Rogerii* ducis frater, consociatisque armis terrâ marique *Amalfis* clauditur. Neque dubitandum erat, urbem rebellem brevi in principum Normannorum potestatem casuram, nisi forte fortunâ obsidione liberata fuisset. Accidit enim, ut eodem tempore hominum cruce signatorum agmen Italiam peragraret, ut inde in orientis oras trajiceret. Quae res *Boemundum*, gloriae cupidum,

---

270) Gaufr. Malaterrae hist. Sic. l. IV, c. **17**, in Murat. S. r. It. t. V, p. **596**.

fratrique *Rogerio*, propter ereptum sibi principatum, infensum permovit, ut sese suosque cruce signaret, fratrisque castra desereret. Quod *Boemundus* praeivit exemplum, quam plurimi eorum, qui ad expugnandam *Amalfim* confluxerant, secuti sunt; quo factum est, ut urbis illius obsidio solveretur, *Rogerius*que, Siciliae comes, re infectâ, indignabundus, cum Arabibus suis in Siciliam reverteretur. Qui receptus documento esse videtur, nequaquam viginti millia Arabum, sicuti *Lupus Protospata* tradit, cum *Rogerio* ad expugnandam *Amalfim* profecta fuisse. Etenim tanto hominum bellicosissimorum numero, quorum vix aliquem crucis signum secutum fuisse constat, *Amalfis* haud difficili negotio expugnari potuisset [271]).

§. CLXXIII.

Biennio post (anno 1098) *Rogerius Richardum II*, Campanorum principem, in debellandâ *Capud* adjuvit. Num in eâ expeditione Arabes secum duxerit, haud quidem memoratur; sed probabile admodum videtur, quandoquidem hominibus illis tantum non semper in bello comitibus utebatur. Debellatis Campanis *Rogerius* a laboribus bellicis cessavit, animumque ad rerum civilium atque ecclesiasticarum curam convertit. Quo factum est, ut et Arabes Siculi ab armis vacarent, pacisque artibus incumberent. Hand silentio praeterire possumus, quae *Rogerius* ad constituendam in Siciliâ jurisdictionem ecclesiasticam cum Pontifice summo, *Urbano II*, transegit. Contulerat *Urbanus*, inconsulto *Rogerio*, legati Apostolici munus *Roberto*, Trainensi episcopo. Quod factum, cum magnam in rebus ecclesiasticis potestatem legati Apostolici exercerent, *Rogerius* minime ferendum existimavit. Igitur eâ de re apud Pontificem summum conquestus est, tan-

271) Lupi Protospatae Chron. in Murat. S. r. It. t. V, p. 47; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 177; Chron. Cavense Murat. S. r. It. t. VII, p. 922. — Si *Chronicorum Cavensium* auctorem audiamus, *Rogerius*, Siciliae comes, anno 1096, priusquam *Amalfim* adgrederetur, valido Christianorum et Saracenorum exercitu *Nuceriam* obsedit expugnavitque. Cujus tamen rei neque *Lupus Protospata*, neque *Romualdus Salernit.* ullam injiciunt mentionem.

tumque effecit, ut Pontifex legati Apostolici munus, episcopo Trainensi concessum, non tantum revocaret, verum etiam peculiari edicto promitteret, se absque *Rogerii* legitimorumque ejus in regno successorum consensu nullum unquam in Siciliâ legatum Apostolicum constituturum, quinimo dignitatem illam ipsi *Rogerio*, propter egregia ejus in ecclesiam Christianam merita, concessurum. Quod edictum, a multis postea Pontificibus confirmatum, *Monarchiae Siculae* originem dedit [272]. Vixit *Rogerius* ad annum **1101** usque, quo *Mileti* in Calabriâ, annos LXX natus, decessit, magnum sui relinquens desiderium magnamque nominis existimationem.

§. CLXXIV.

Defuncto *Rogerio*, uxor ejus *Adelais de Monteferrato* Siciliae imperium capessivit, donec regni heres, *Rogerius II*, ad mâturam perveniret aetatem. Durante muliebri imperio ab expeditionibus bellicis cessatum fuit; quare et Arabes Siculi quieti degisse videntur; nisi fortasse internarum participes fuêre seditionum, quae avaro atque fastoso mulieris imperio haud raro exortae sunt. Interea (a. **1113**) Arabes Afri, praedae cupidine excitati, Italiam petunt, navesque *Salernum* adpellunt. Sed parum prospere ea incursio cessit. Dum enim circumjacentes populantur agros, Salernitani cum Neapolitanis atque Amalfitanis arma consociant, reversos opulentâ cum praedâ hostes in alto adoriuntur, illosque, interceptis navibus, ad internecionem fere delent [273].

§. CLXXV.

Eodem fere tempore etiam, qui Baleares insulas tenebant, Arabes Italiae oras infestarunt. Solebant inquietissimi homines illi piraticam exercere, jamque saepius Italis, maxime vero Pisanis, plurimum damni terro-

---

272) Gaufredi Malaterrae hist. Sic. l. IV, cap. 29, Murat. S. r. It. t. V, p. 601, 602. Conf. du Pin défense de la Monarchie de Sicile; Todeschi Istoria della Monarchia di Sicilia.

273) Chron. Cavense, Murat. S. r. It. t. VII, p. 923.

risque intulerant. Eam injuriam Pisani, hortante potissimum Pontifice maximo *Paschali II*, nequaquam praetermittendam esse censuerunt. Igitur anno **1114** quam maximas parant copias maritimas, solutisque navibus piratis Balearicis bellum inferunt. Interfuêre huic expeditioni *Petrus*, Pisanorum archiepiscopus, *Boso* Cardinalis, Apostolicae sedis legatus, *Raimundus*que, Barcinonis atque Provinciae comes. Adpulsâ ad insulam *Ebusum* classe, Pisani oppidum, cui idem atque insulae nomen, obsidione cingunt. Quod cum arduo loco situm esset, haud facile potuit expugnari. Attamen exacto mensis unius spatio captum est, ejusque moenia castellumque destructa. Expugnatâ *Ebuso* Pisanorum classis ad insulam Balearem majorem adpellitur. Illic, exeunte mense Augusto, *Majorica* urbs obsidione clauditur. Neque tamen eo anno capi potuit, quippe quae ab Arabibus pertinacissime defendebatur. Exantlatis gravissimis laboribus sequenti tandem anno (**1115**) Pisani urbe potiti sunt, eamque, magnâ inter Arabes strage editâ, everterunt, ne in posterum refugio piratis esse posset. His ita gestis Pisani magnâ praedâ, neque minori gloriâ cumulati, naves conscendunt, domumque revertuntur [274].

§. CLXXVI.

Quinquennio post (a. **1120**) *Rogerius II*, ad maturam provectus aetatem, Siciliae imperium capessivit. Qui cum fervidi bellicosique esset ingenii, fieri haud potuit, quin crebras susciperet expeditiones bellicas, quarum tantum non semper Arabes Siculi participes facti sunt. Maxime vero inde ab anno **1127**, quo *Guilielmus*, Apuliae atque Calabriae dux, de vitâ decessit, *Rogerius* frequentibus implicitus fuit bellis, in quibus egregie ab Arabibus suis sustentabatur. Defuncto namque absque regni herede *Guilielmo*, *Rogerius*, et propinquitatis jure, et *Guilielmi* promissis innixus, Apuliae atque Calabriae dominationem adfectavit. At vero regni proceres

274) Laurent. Veronens. in Murat. S. r. It. t. VI, p. **111** — **117**; Breviarium Pisanae historiae, Murat. S. r. It. t. VI, p. **169**. Conf. etiam Pagii Criticam in Baronii Annal. Ecclesiast. ad. a. **1114**, t. IV, p. **382**, **383**.

Guilielmi obitum commodissimam occasionem augendae potentiae suae rati, civitates principes, *Salernum, Trojam, Melfim* aliasque protinus occuparunt, *Rogerium*que regno excludere conati sùnt. Neque tamen quidquam effecère; namque *Rogerius*, maxime Arabum Siculorum operâ, primo *Salernum*, deinde reliquas quoque civitates ad deditionem coëgit, brevique in tantum potentiam suam auxit, ut anno **1130** regiam dignitatem nomenque, adprobante *Anacleto II*, Pontifice summo, sibi adscisceret [275]). Quae secunda *Rogerii* fortuna inimicorum suorum iram odiumque non tantum non fregit, verum magis magisque excitavit auxitque. Quo factum, ut *Rainulphus* Alifarum comes, etsi *Rogerii* sororem in matrimonio haberet, cum *Roberto* et *Grimoaldo*, Campanorum atque Barensium principibus, nec non cum *Tancredo* et *Gotfrido*, Brundisii Andriaeque comitibus, adversus *Rogerium* conspiraret, atque ab eo deficeret. Cujus rei nuntium cum accepisset *Rogerius*, cum exercitu adcurrit (a. **1132**) brevique *Brundisium Barim*que in potestatem suam redigit. Minus prospere deinde ad *Nuceriam* rem gessit. Cum enim versus urbem illam castra movisset, *Rainulphus Robertus*que magno cum exercitu ad flumen *Sarnum* obviam ei facti sunt. Committitur proelium, magnâque utrinque contentione pugnatur; tandem *Rogerius*, etsi initio laevum hostium cornu fudisset, superatur. In eo certamine plurimum sanguinis profusum, Arabumque, qui in *Rogerii* exercitu militabant, magnus numerus occisus fuit [276]).

§. CLXXVII.

Jam *Rogerii* adversarii, inque primis *Robertus Rainulphus*que, Capuae et Alifarum comites, majores spiritus sumserunt, majoraque contra

275) Falconis Beneventani Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. **101** — **106**; Alexandri, Abbatis Telesini, de rebus gestis Rogerii, Siciliae regis, l. I, cap. IV, sequ. Murat. S. r. It. t. V, p. **116**, sequ. Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. **184**, **185**.

276) Anonymi Cassinens. Chron. ad A. **1131**, Murat. S. r. It. t. V, p. **62**; Falconis Benevent. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. **109**, sequ.

Rogerium moliti sunt. Neque tamen is animum despondit; verum compositis, quantum pro temporis ratione fieri potuit, Apuliae rebus, relictisque ibidem praesidiis, in Siciliam reversus est, ut novum compararet exercitum. Adventante vere anni 1133 cum copiis sat numerosis (fertur enim tria millia equitum, peditumque sex millia duxisse) *Tarentum* trajecit. Ejus exercitus potissima pars ex Arabibus conflata fuit. Cum his copiis *Rogerius* civitates, quae ab ejus obsequio defecerant, adgressus est, brevique omnes devicit. In quibus *Matera, Armentum*, oppidum munitissimum, *Mons Pelusius, Troja*, complurespue aliae civitates, quarum nonnullae incendio traditae funditusque eversae sunt. In *Montis Pelusii* oppugnatione strenuam prae ceteris operam Arabes navarunt, ita ut eorum potissimum labore oppidum illud captum sit. Cujus loci misera admodum fuit fortuna; namque oppidani maximam partem caesi sunt, ipsumque oppidum incendio deletum. Eâdem fere atrocitate in universum in eâ expeditione saevitum fuit; id quod Arabibus maxime ab illorum temporum auctoribus imputatur. Si *Romualdum Salernitanum* audiamus, acerrimi illi nominis Christiani hostes senes trucidabant, parvulos a matrum sinu divellebant, soloque adlidebant, vel gladiis findebant, sacerdotes ad altaria mactabant, uxoresque in maritorum conspectu vitiabant [277]).

§. CLXXVIII.

Haud minus prospere sequenti quoque anno (1134) *Rogerius* bellum adversus *Robertum Rainulphum*que gessit. Hoc anno in ceteris Nuceria, urbs munitissima, ad deditionem coacta fuit. Quae res *Rainulphum* tandem

---

Alexandri, Abbatis Telesini. de rebus gestis Rogerii, Siciliae regis, l. II, c. 17, sequ. Murat. S. r. It. t. V, p. 624, sequ. Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 186.

277) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 189; Alexandri Abbatis de rebus gestis Rogerii, Siciliae regis, l. II, c. 41—45, Murat. S. r. It. t. V, p. 629; Falconis Beneventani Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 115, 116.

permovit, ut sese *Rogerio* subjiceret, a quo benignissime in gratiam receptus est. Neque tamen *Rainulphus* in fide, quam *Rogerio* dederat, diu permansit. Percrebuerat nempe (a. 1135) fama, *Rogerium* in Siciliâ, in quam insulam reversus erat, morbo correptum, diem supremum obiisse. Quâ famâ acceptâ *Rainulphus* denuo cum *Roberto Sergio*que, Neapolitanorum duce, arma consociavit. At vero, praeter omnium exspectationem, *Rogerius* sanus salvusque cum classe *Salernum* adpellitur, adversariorumque consilia atque molimina ad irritum redigit. Capitur, nemine resistente, *Aversa*, incendioque deletur, vastatur ager Neapolitanus, ipsaque suburbia *Neapolis* praedae flammisque traduntur. In tantâ rerum suarum angustiâ principes consociati Pisanos adversus *Rogerium* in auxilium vocant. Morem petentibus gerunt Pisani, advolant navibus viginti, *Amalfim*que adoriuntur atque diripiunt. Sed paulo post, ad *Fractam* a *Rogerio* caesi, conscensis navibus domum revertuntur. Nequo plus praesidii in imperatore *Lothario II* fuit, quem anno sequenti (1136) *Robertus* auxilii petendi causâ adivit. Licet enim ipse imperator cum exercitu in Apuliam descenderet, tamen tantum abfuit, ut *Rogerii* potentia infringeretur, ut contra, simul atque *Lotharius* Italiâ excessisset, omnes civitates, quas *Lotharius* occupaverat, denuo *Rogerii* imperio subjicerentur. Eo tempore *Capua* prae ceteris male habita fuit. Eam namque urbem *Rogerius* militibus suis diripiendam tradidit, quo facto Arabes immane quantum grassati sunt, omniaque ferro flammisque vastarunt [278]).

§. CLXXIX.

Dum *Rogerius* dominationem suam in Italiâ inferiori, Arabum Siculorum maxime ope, promovere atque stabilire studet, Italiae superioris litora ab Arabibus Hispanis, iis praesertim, qui insulas *Baleares Almeriam*que incolebant, infestantur. Quae res *Genuenses* impulit, ut belli Arabibus Hi-

278) Alexandri Abbatis de rebus gestis Rogerii, Siciliae regis, l. II, c. 57, sequ. Murat. S. r. It. t. V, p. 631, sequ. Falconis Benevent. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 118—124.

spanis inferendi consilium caperent. Igitur comparatâ sat numerosâ classe insulam *Balearem minorem* a. **1146** petunt. Adpulsis ad insulam illam navibus, in terram escendunt, insulam universam peragrant atque diripiunt, caesisque, qui obviam ipsis venerunt, Arabibus, praedâ onusti in naves revertuntur. Inde *Almeriam* contendunt; in cujus oppidi portu multas naves onerarias deprehendunt, earumque sibi vindicant opes. Interfuère huic bello et *Alphonsus VII, Garsias*que *Ramirus,* Castellae Navarraeque reges, quorum exercitus urbem terrâ obsidebat. Mari autem *Raimundus,* Barcinonis comes, cum Genuensium classe naves suas conjunxerat. Quorum consociatis armis cum se impares viderent Arabes, pacem petunt; quae si sibi concederetur, centum et tredecim millia Marabotinorum [279]) soluturos sese promittunt. Conceduntur induciae eâ conditione, ut pecunia illa absque dilatione numeretur. Cui conditioni cum satis facere Arabes non possent, Genuenses cum belli sociis insequenti anno (**1147**) *Almeriam* summâ vi oppugnarunt. Sed haud minori contentione oppidum illud ab Arabibus defensum fuit. Tandem multos post labores, multoque utrinque sanguine effuso, Christiani oppido potiuntur. In quâ *Almeriae* expugnatione ad XX millia Arabum occisa, decemque millia puerorum mulierumque in servitutem abducta traduntur. Quae traditio etsi nimium exaggerata videatur, tamen documento esse potest, Christianos praeclaram de Arabibus victoriam reportasse [280]). Haud multo post Genuenses *Raimundum,* Barcinonis comitem,

279) *Marabotinus, Maurabotinus, Marmotinus,* nummi Hispanici, aurei maxime, genus. Vide Dufresnii Glossarium ad Scriptt. med. et inf. Latinitatis, ad vocem *Marabotinus.*

280) Caffari Annal. Genuens. l. I, Murat. S. r. It. t. VI, p. **261**, **262**; Jacobi de Varagine Chron. Januens. Murat. S. r. It. t. IX, p. **38**; Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. **272**; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. II, P. III, c. **41**, p. **324**. — Viginti millia Arabum in *Almeriae* expugnatione occisa, decemque millia puerorum mulierumque a Genuensibus abducta fuisse, refert *Jacobus de Varagine.* Alii contra auctores tradunt, XX millia Arabum, captâ urbe, in castellum confugisse, vitamque pecuniâ redemisse; quae narratio propius ad veritatem accedere videtur.

cujus ope *Almeriam* ceperant, in eripiendâ Arabibus *Tortosâ* egregie juverunt. Cujus oppidi expugnatio eo majoris fuit momenti, quod per illud Arabibus in universam Catalanniam aditus pateret. Pro quo beneficio Genuenses duas insulae illius partes, quae in Ibero fluvio ante *Tortosam* sita erat, a *Raimundo* dono accepêre [281]).

§. CLXXX.

Neque tamen tristissimo illo *Almeriae* casu Arabes ab exercendâ piraticâ deterriti sunt. Etenim sexennio post expugnatam *Tortosam* (a. 1154) mare, quod Sardiniam circumfluit, infestarunt. Unde homines illi exiverint, haud quidem diserte memoratur; sed credibile est, eos Mauritaniam, sive Berberorum terram incoluisse. Namque *Mussemutorum* nomine insigniuntur, quos haud diversos a *Masmudis*, Berberorum populo, putarim. Igitur homines illi octo navigiis mare Sardoum peragrantes, navem Genuensem, *Alexandriâ* revertentem, multisque pecuniis oneratam, adoriuntur. At vero Genuenses, etsi navium hominumque numero Arabibus longe inferiores, fortiter sese suaque defendunt. Tandem Arabes, certiores facti, sibi cum Genuensibus rem esse, quibuscum tum temporis pacem agitabant, a pugnâ desistunt, Genuensesque incolumes dimittunt; quinimo urbis *Caralis* praefecto injungunt, ut navem illam tuto Genuam deduci curet, quod et effectum est. Hinc conjicias, Arabes illos etiam cum Caralitanis vel amicitiam gessisse, vel potentiâ suâ atque terrore tantum valuisse, ut Caralitani ipsorum jussis obtemperarent [282]).

§. CLXXXI.

Eodem fere tempore, quo Genuenses adversus Arabes Hispanos pugnarunt, *Rogerius* exercitum in Africam trajecit, Arabesque illic degentes

---

281) Vide Raimundi literas, in castris ad Tortosam exaratas, in Ughellii Italiâ Sacrâ, t. IV, col. 1190, sequ. Caffari Annal. Genuens. l. I, Murat. S. r. It. t. VI, p. 262.

282) Caffari Annal. Genuens. l. I, Murat. S. r. It. t. VI, p. 264.

adortus est. Vexaverat Africam jam inde ab anno **1142** horrenda fames, quae circa annum **1147** in tantum increvit, ut multi cadaveribus vescerentur, multi etiam alimentorum inopià consumerentur. Quod malum ut evitarent, magna Arabum Afrorum turba in Siciliam confugerunt, quibus Arabum Siculorum numerus magnopere auctus est. Eà calamitate aliisque insuper damnis debilitato Zciridarum in Africà regno, *Rogerius* tempus adesse ratus est, quo et poenas a piratis Afris repeteret, et dominationem suam in terras illas transferret. Trajecto igitur in Africam exercitu, *Rogerius* primo *Tripolim*, principem piratarum sedem, deinde *Mahadiam*, *Safacum*, *Capsiam* aliaque oppida expugnavit [283]). Quà victorià adeo delectatum ferunt, ut in gladii sui laminam altisona inscribi faceret verba; *„Apulus et Calaber, Siculus mihi servit et Afer."*

§. CLXXXII.

Exantlatis multis laboribus, multisque rebus praeclaris gestis, *Rogerius* anno **1154**, annos septem et octoginta natus, diem supremum obiit. Haud temperare nobis possumus, magni hujus regis imaginem, qualem *Romualdus*, Archiepiscopus Salernitanus, *Rogerii* aequalis, exhibet, in medium proferre. „Fuit autem (*Romualdi* utimur verbis) rex *Rogerius* staturà grandis, corpulentus, facie leoninà, voce subraucà, sapiens, providus, discretus, subtilis ingenio, magnus consilio, magis utens ratione, quam viribus. In adquirendà pecunià multum sollicitus, in expendendà non plurimum largus. In publico ferus, in privato benignus, fidelibus suis honores et praemia largiens, infidelibus contumelias et supplicia inferens. Erat subditis suis plus terribilis, quam dilectus; Graecis et Saracenis formidini et

283) Anonymi Cassin. Chron. Murat. S. r. It. t. VI, p. **65**; Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. **260**; Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. **496**, **502**—**504** text. Arab. Nowairii hist. Africae, in Gregorii collect. p. **27**, **28**. Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. **134**—**143**; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. II, P. III, c. **41**, p. **331**; Reinaud Extraits des historiens Arabes relatifs aux Croisades, p. **48**.

timori [284]).“ Circa vitae suae finem *Rogerius,* rebus coelestibus jam plus qnam terrenis intentus, Arabibus eorumque sacris minus facilis, contra promovendae religionis Christianae studiosissimus fuit. Igitnr et Arabes et Jndaeos ad amplexandam religionem Christianam adducere omnibus modis adlaboravit. Quod promovendae religionis Christianae studium etsi omni laude dignum esset, tamen interdum ad facinora nequaquam probanda *Rogerium* impulit. Cujus rei exemplum tristissimus *Philippi* eunuchi casus exhibet. Is Moslemorum primo, deinde Christianorum sacris addictus, *Rogerio* propter solertiam, inque rebus agendis dexteritatem acceptissimus fuit. Quare ad summos in republicâ honores evectus est; ita ut non solum regio palatio, verum etiam universae rei maritimae praeficeretur. Verum etsi *Christi* nomen palam prae se ferret *Philippus,* tamen clam *Mohammedis* sectatoribus plus justo favebat. Fama ferebat, eum in occulto Mohammedanorum sacris interesse, imo etiam *Medinam* ad *Mohammedis* sepulcrum legatos cum magnis donariis misisse. Quae ubi ad *Rogerium* delata sunt, ingentem illi iram moverunt, ita ut, immemor officiorum, quae rei publicae *Philippus* praestiterat, exemplnm in eo puniendo edere statueret, quo alii ab ejusmodi delictis deterrerentur. Igitur *Philippum* regni proceribus judicandum tradidit; qui, ut regis indignationi satis facerent, infelicissimum illum flammis damnarunt. Quo facto, indomiti equi caudae adligatnr, miserandumque in modum per *Panormi* plateas rapitur, denique in calcariam ardentem injicitur, ubi e vestigio a flammis consumtus fuit [285]). Quod factum, etsi summnm *Rogerii* ardorem in tuendâ atque promovendâ religione Christianâ testetur, tamen atrocitatis notâ nequaquam potest absolvi.

---

284) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 196; Conf. Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 260, 261.

285) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 194, 195.

Cap. XXI.

Guilielmus rex, Majoni nimium favens, et Christianorum et Arabum odium incurrit. Majo occiditur, rex prehenditur, eunuchi Arabesque Panormitani caeduntur. Rogerius Sclavus turbas excitat, Arabes persequitur. Rogerius debellatur, inter Christianos Arabesque in exercitu regio seditio oritur. Eunuchus Martinus in Christianos Panormitanos saevit. Guilielmus rex obit, cui succedit Guilielmus II. Petrus eunuchus summam rerum obtinet, cum thesauris suis in Africam profugit. Stephanus, Cancellarius, eunuchorum potentiam reprimit. Piratae Arabes Italiam infestant, a Pisanis caeduntur. Defuncto Guilielmo II Arabes a Christianis Panormo exturbantur, a Tancredo regs revocantur.

§. CLXXXIII.

Defuncto *Rogerio* filius ejus, *Guilielmus* in Siciliae regno successit. Is patriae quidem potestatis, neque tamen virtutis heres, rempublicam, quam florentissimam accepit, turbulentissimam reddidit. Cujus rei causa maxime in eo posita, quod viros sapientissimos atque fortissimos, quos pater ejus familiares atque consiliarios habuerat, abdicaret, hominibusque dolosis totum se dederet. In his *Majo*, humili natus loco, sed ingenio ad omnia promto, cujuslibet rei simulator atque dissimulator, libidinosus dominandique cupidissimus. Hunc tanti faciebat *Guilielmus*, ut non tantum copiarum maritimarum summum ducem eum constitueret, verum etiam in omnibus rebus gerendis nonnisi ejus uteretur consilio. At vero *Majo* potestate sibi commissâ non ad augendam rei publicae salutem, verum ad explendas libidines suas usus est, eoque insolentiae processit, ut ipsum regem pessum dare, regiamque dignitatem rapere moliretur. Ut autem coepta sua facilius, nulloque resistente, efficere posset, regni proceres, quorum auctoritas atque potentia sibi timenda erat, variis de causis variisque modis e medio tollebat. Debilitatis procerum viribus curam suam maxime in id intendit, ut regem in odium vocaret, populumque adversus illum concitaret. In hunc finem et urbem *Mahadiam*, quam Siculi inde a *Rogerii* temporibus tenebant, in Arabum potestatem cadere passus est; in quo negotio maxime a *Gaito* (قائد) *Petro*, eunucho, adjutus fuit. Is, sicuti omnes regii palatii eunuchi, nomine quidem habituque externo Christianus, sed animo *Mohammedis*

sectator, proinde et Mohammedanis amicissimus erat. Hunc ***Majo*** obsessae a Marocci rege, ***Abdulmumeno***, ***Mahadiae*** cum CLX navigiis in auxilium misit. Neque dubium erat, ***Petrum***, si vellet, cum copiis illis urbem obsidione liberaturum; at vero longe secus res evenit. Cum enim in urbis obsessae conspectum Siculorum navigia venissent, dux eorum ***Petrus*** classem hostilem non tantum non adgressus est, verum, mirantibus omnibus, in fugam sese conjecit, septemque navigia ab Arabibus, qui fugientem persecuti sunt, eripi sibi passus est. Eâ perfidiâ effectum est, ut Siculi, ***Mahadiam*** tenentes, Arabibus eâ conditione se dederent, ut salvis in Siciliam trajicere liceret; cui conditioni Arabes religiose satis fecerunt. Quam ***Mahadiae*** jacturam cum ***Majo*** regi ***Guilielmo*** vitio verteret, magnum illi apud Siculos Christianos odium conflavit [286]. Neque tamen satis habuit ***Majo*** Siculos Christianos in regem concitasse; quin imo et Arabes, Siciliam incolentes, exacerbare tentavit. Quod ut efficeret, regis nomine omnia, quae Arabibus suppetebant, arma conquiri, inque regiam deferri jussit. Eâ re se Arabes vel a rege alienaturum, vel, si in ejus fide permanerent, ad defendendum eum inutiles redditurum sperabat. Quae omnia etsi callidissime excogitata atque praeparata essent, tamen finem sibi propositum consequi ***Majo*** non potuit. Namque factâ a regni proceribus conjuratione, per ***Matthaeum Bonellum***, juvenem et corpore et animo praestantem, quo familiarissime utebatur ***Majo***, occisus est [287].

---

286) Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. **271**, **272**; Abulhasan Ali ben Abdullah ben Abi Zeraa historia regum Mauritaniae, e sermone Arabico in Germanicum versa a Franc. de Dombay, t. II, p. **78**; Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. **562** text. Arab. Nowairii hist. Africae, in Gregorii collect. p. **29**; Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne, t. II, p. **288** — **293**; Conde historia de la dominacion de los Arabes en España, t. II, P. III, c. **44**, p. **349** — **354**; Reinaud Extraits des historiens Arabes relatifs aux Croisades, p. **109**.

287) Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. **273** — **280**; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. **200**, **201**.

§. CLXXXIV.

Accepto de *Majonis* caede nuntio rex *Guilielmus* ingenti irâ commotus est; sed ubi, institutâ quaestione, cognovit, *Majonem* perfidiose secum egisse, *Bonellum*que et nobilitati et plebi acceptissimum esse, nil gravius in hunc statuere ausus est; contra delicti veniam pollicitus est, eumque *Cacabo*, quo profugerat, *Panormum* arcessivit, reversumque benigne comiterque excepit. Neque tamen *Bonellus* diu in regis gratiâ permansit. Namque eunuchi palatii, qui a *Majonis* partibus steterant, *Bonellum*que timebant, omnem adhibebant operam, ut illum regi in suspicionem adducerent. *Bonellum*, sublato *Majone*, in tantam elatum esse superbiam dictitabant, ut neminem auctoritate atque potentiâ sibi parem existimaret; quidquid animus juvenilis atque ambitiosus adpeteret, licitum sibi putare, et jam non solum a plebe, verum etiam a regni proceribus immeritam sui venerationem exigere. Quo autem crescentem in dies potentiam firmaret atque stabiliret, foederibus atque sacramentis sectatores suos sibi obstringere. His accedere, quod Apuliae atque Calabriae proceres *Bonellum* adsidue cohortarentur, ut et regno plenam libertatem, et sibi solidam securitatem adquireret; quod quia superstite rege fieri vix possit, omnem operam illum navaturum, ut unicum illud coeptorum suorum impedimentum e medio tolleret. Haec atque similia cum saepius regi inculcarent eunuchi, tandem effecêre, ut *Bonellus* regis gratiâ excideret; quo facto, inimici ejus eo audaciae progressi sunt, ut illius vitae insidiarentur. Ea res *Bonellum* permovit, ut cum regni proceribus contra regem ipsum conjuraret. Convenêre inter se conjurati, *Guilielmum* regno privandum, inque insulâ aliquâ, vel alio loco bene munito custodiendum, ejusque filium majorem, *Rogerium*, novem annos natum, regem creandum esse. Igitur, praeparatis omnibus, quae ad peragendum propositum necessaria videbantur, in palatium regium irrumpunt conjurati, regem prehendunt, pecuniam, gemmas, vasa aurea atque argentea, aliasque res pretiosas rapiunt, eunuchosque, quotquot in palatio offendunt, trucidant. Profugerant quidem jam in initio turbarum complures eunuchorum ad amicorum suorum domos; at vero plerique in viâ a militibus, qui interea e castello maritimo prorupperant, comprehensi atque occisi sunt.

Neque satis habuère milites, in eunuchos tantum, mali illius auctores, saeviisse, imo etiam in reliquos Arabes, *Panormi* degentes, quos vel in viis, vel in tabernis, vendendis mercibus occupatos, vel in teloniis, portoria exigentes, invenêre, grassati sunt. Ubi Arabes vident, etiam se a furentibus militibns populoque Christiano peti, neque se ad resistendum pares esse intelligunt, quippe quibus anno praecedenti, *Majonis* jussu, omnia arma erepta fuerant, relictis domibus suis, quas plerique mediâ in urbe habebant, in eam *Panormi* partem, quae trans *Papyretum* est, confugerunt; ubi viarum angustiâ, aditusque difficultate defensi, adversariorum impetum facilius sustinuerunt [288]).

§. CLXXXV.

Capto in bunc modnm rege *Guilielmo*, conjurati *Rogerium*, regis filium, in populi conspectnm producunt, regem salutant, popnlumque invitant, ut in illius obsequium juraret. At vero populus aegre ferens, *Guilielmum* captum detineri, negat se in *Rogerii* obsequium juraturum, postulatque, ut *Guilielmus* in libertatem restitueretur. Quod cum aliquamdiu detrectassent conjurati, tandem, populi minis territi, fecerunt eâ conditione, ut libere *Panormo* discedere sibi liceret. Accipitur conditio, restituitur in libertatem rex, neque tamen finem turbae habent. Namque conjurationis principes, inque his maxime *Rogerius Sclavus, Panormo* profugi, eam Siciliae partem, quam Lombardi tenebant, ad seditionem concitarunt. Ut autem promtiores ad arma capienda essent Lombardi, *Rogerius* eos primnm ad opprimendos Arabes Siculos sollicitat. Quâ re cum nihil acceptius esset Lombardis, absque morâ in loca finitima irrumpunt, Arabesque universos, tum illos, qui cnm Christianis permixti, tum, qui separati peculiaribus villis habitabant, adoriuntur, magnumque illorum numerum, nullâ sexus, vel aetatis ratione habitâ, caedunt. Mansit ex eo tempore Arabibus Siculis

---

288) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 200, 201; Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 281 — 288.

Lombardorum metus; ita quidem, ut eam Siciliae partem postea neque incolere, neque, nisi urgente necessitate, omnino adire vellent [289]).

§. CLXXXVI.

Facto ab Arabum caede belli initio, *Rogerius Sclavus* agrum Syracusanum atque Catinensem crebris vexavit incursionibus. Neque belli duces, quos obviam illi rex misit, impetum ejus sustinere potuerunt; contra, quoties cum illo congressi sunt, etsi copiarum numero essent superiores, inferiores tamen discesserunt. Quae res *Guilielmum* regem haud parum sollicitum habuit, *Bonellum*que, etsi conjuratorum partes jam deseruerat, regique reconciliatus fuerat, denuo in suspicionem adduxit, quasi ejus consilio cuncta a conjuratis gererentur. Ut igitur hoc metu rex ejusque aulici liberarentur, *Bonellus* in palatium regium invitatur, quo postquam venisset, prehenditur, oculis privatur, inque carcerem detruditur. Sublato de medio *Bonello*, rex cum exercitu, partim ex Christianis, partim ex Arabibus conflato, adversus *Rogerium Sclavum* proficiscitur. Occupaverat *Rogerius Placiam*, *Buteriam* aliaque Lombardorum oppida, conspirantibus cum ipso Lombardis. Igitur rex primo ad *Placiam* castra movet, oppidumque illud nobilissimum, ut Lombardorum perfidiam vindicaret, penitus evertit. Dum ad *Placiam* regis exercitus moratur, inter Arabes Christianosque, ex quibus exercitus ille conflatus fuit, dissensio oritur, quae in tantum aucta est, ut utrique ad arma concurrerent. In eo certamine, cum Christiani Arabibus superiores essent numero, magna Arabum turba caesa fuit; tantoque furore in Arabes ferebantur Christiani, ut neque auctoritate, neque minis regis a caede deterreri possent. Eversâ *Placid*, rex *Buteriam*, quod oppidum *Rogerius* ipse cum suis tenebat, obsidione clausit. Ea obsidio procul dubio in longum protracta fuisset, (namque constitutum erat *Rogerio* extrema potius pati, quam deditionem facere) nisi in oppido ipso inter proceres plebemque discordia exorta esset. Quae res *Rogerium* permovit, ut, pactâ

289) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 203; Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 288 — 293.

sibi suisque discedendi libertate, deditionem faceret oppidi, quod, jubente rege, sicuti *Placia*, funditus eversum est [290]).

§. CLXXXVII.

Excisâ *Buteriâ* rex in Apuliam cum exercitu trajecit, ut et civitates, quae eâ in terrâ rebellaverant, ad obsequium cogeret. Interea dum a Siciliâ abesset, *Panormi* regiique palatii custodiam *Gaito Martino*, eunucho, commisit. Is vindictae cupidine incensus, quod frater ejus in palatii regii expugnatione occisus fuerat, horrendum in modum in omnes *Panormi* incolas Christianos grassatus est. Cum enim caedis auctor non constaret, plurimi autem turbarum illarum participes essent, evenit, ut multi facinoris illius accusarentur. Jam pro temporum illorum consuetudine, si testimonia ad convincendum reum idonea deessent, accusatores criminationem suam certamine singulari comprobare solebant. Quo disceptandi modo magnopere eunuchus delectabatur, et, sive accusatores, sive rei vincerentur, atrocissimas semper poenas victis irrogabat. Alios, spectantibus atque irridentibus Arabibus, suspendi, alios verberibus ad internecionem usque caedi, alios aliis cruciatibus adfici jubebat. Victores autem, tanquam bene de re publicâ meritos, collaudabat; neque verebatur, homines, quibus vel nulla, vel tenuis res familiaris esset, propositis praemiis ad popularium suorum delationem impellere. His artibus effectum est, ut quicunque cum civibus suis simultates exercerent, adversarios suos apud eunuchum criminarentur, eâque ratione perniciem illis pararent. Deficientibus tandem accusatoribus, qui armorum vi criminationem suam comprobare vellent, et mulierum impudicarum, servorum servarumque delationes admittebantur. In hunc modum insidiosus ille eunuchus *Panormi* grassatus est, multosque Christianos vel bonis, vel vitâ spoliavit [291]).

---

290) Romualdi Salernit. Chron. l. c. Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 293 — 296.

291) Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 298.

§. CLXXXVIII.

Haud multo post (a. 1165) compositis Apuliae rebus, rex *Guilielmus* in Siciliam reversus est. Illic otio totum se tradens rei publicae curam *Syracusarum episcopo, Matthaeo Notario Petro*que eunucho commisit. Neque tamen diu otio frui regi licuit; namque ex improviso, qui in palatii regii carceribus tenebantur captivi, corruptis custodibus, armati prorumpunt, palatiumque tumultu atque terrore implent. At vero quam adpetebant libertatem, non sunt adsecuti; adcurrit enim stabuli regii magister, *Odo,* magnâ stipatus hominum catervâ, quibus circumventi captivi, atque ad unum omnes occisi sunt. Huic tumultui haud diu superstes fuit rex; namque sequenti anno (1166) morbo dysenterico correptus, vitam, turbarum plenam, finivit. Qui, cum a populis ipsi subjectis magis formidaretur, quam diligeretur, haud magnum sui apud Christianos reliquit desiderium. Gravius omnino Arabes, inque his maxime eunuchi, ejus obitum tulère; in hos enim per omnem vitam propensissimus fuerat. Igitur et mulieres Arabicae, vestibus lugubribus amictae, crinibus passis, interdiu noctuque catervatim *Panormum* pervagantes, omnia fletu atque lamentatione implebant [292]).

§. CLXXXIX.

Defuncto regi *Guilielmo* filius ejus natu major, *Guilielmus II,* successit. Qui cum annum decimum quartum nondum excessisset, summa imperii matri ejus commissa est; cui tamen iidem illi tres viri a consiliis additi sunt, quibus jam *Guilielmus I* consiliariis usus fuerat, *Syracusarum* nempe *episcopus, Matthaeus Notarius Petrus*que eunuchus. In his, reginae indulgentiâ, summam brevi potestatem nactus est eunuchus, ita ut pro ejus arbitrio omnia gererentur. Qui, etsi religioni Christianae nomen dederat, animo tamen *Mohammedis* placitis inhaerebat, minusque Christianis favebat. Ceterum homo mansuetus, affabilis atque munificus eamque propter causam militibus acceptissimus, „et nisi gentile vitium (*Hugonis Falcandi* utimur verbis) innatam

---

292) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 205, 206; Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 302, 303.

viri mansuetudinem praepediisset, nec eum passum esset, Christiani nominis odium penitus abjecisse, regnum Siciliae multâ sub eo tranquillitate gavisum fuisset." Huic viro cum Syracusarum episcopo primum, deinde cum *Gravinae* comite, *Gilberto*, graves inimicitiae intercessêre; quibus haud leves in aulâ regiâ turbae excitatae sunt. Detulerant namque episcopi Syracusani inimici eunucho, summam illum in regno auctoritatem atque potestatem adfectare, neque aliquem sibi parem aequo animo toleraturum. Quae res tantam eunucho suspicionem injecit, ut, haud exploratâ criminationis illius causâ, Syracusarum episcopum interfici juberet, simul atque palatium adiret. Quas tamen insidias episcopus, de imminenti sibi periculo certior factus, feliciter evitavit. Dum haec in palatio geruntur, *Gilbertus*, comes Gravinensis, reginae consanguinens, *Panormum* advenit, ut in administrandâ republicâ reginae adesset. Quae res novarum turbarum causa fuit. Namque neque regina eunuchum, quem acceptissimum habebat, cuipiam postponere audebat, neque comes *Gilbertus* superiorem aliquem ferendum sibi existimabat. In eâ contentione cum *Gilbertus* extrema potius experiri, quam concedere alicui vellet, eunuchus sibi rebusque suis timens, navem clam parari, omnemque rem familiarem inferri jubet. Praeparatis omnibus, cum paucis eunuchis ingruente nocte navem conscendit, inque Africam ad *Masmudorum (Marocci)* regem confugit. Benignissime rex fugientem excepit, haud immemor operae, quam in recuperandâ a Siculis *Mahadiâ* eunuchis Afris praestiterat [293]).

§. CXC.

Haud multo post *Petri* eunuchi fugam regina Cancellarii dignitatem *Stephano*, Comitis Perticensis filio, contulit. Is eunuchorum dolis injuriisque, quibus vel ipsi, vel ipsorum necessarii Christianos adflictabant, quocunque posset modo obviam ivit. Tantum nempe hactenus eunuchorum auctoritas atque potentia valuerant, ut haud pauci Christianorum, ad captandam hominum illorum gratiam, rejectâ religione Christianâ, ad *Mohammedis* sacra

293) Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 207; Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 303 — 308.

transiissent. In hos diligenter inquiri, criminisque convictos acerbissime puniri *Stephanus* jussit. Erat inter ceteros eunuchorum necessarios *Robertus Calatabojanensis*, castelli maritimi Panormitani praefectus, qui multa mala Christianis intulerat. Neque tamen aliquis ausus fuerat, hominem improbissimum in jus vocare, quippe qui ab eunuchis sustentabatur, imo ad vexandos Christianos incitabatur. Jam vero tempus adesse videbatur, quo pro tantis injuriis poenas sumerent Panormitani. Igitur ad Cancellarium concurrunt diversisque diversi criminibus *Robertum* accusant. Alii domos, hortos, vineas sibi ereptas, alii consanguineos, diuturnis cruciatibus in carceribus interemtos, queruntur. Fuêre etiam, qui edicerent, *Robertum* antiquissimum Moslemorum in castello maritimo templum, vetustate fere collapsum, suis sumtibus instaurasse; et quod multo atrocius, domum aliquam ingenti pretio cauponibus elocasse, ubi ejus sub patrocinio mulieres Christianae atque adolescentuli impune ab Arabibus vitiarentur. Tantorum criminum reus atque convictus *Robertus*, frustra intercedentibus eunuchis, damnatur, ut flagris publice caederetur, bonisque publicatis in carcerem detruderetur. Igitur in eo carcere, in quem ipse olim multos conjecerat, variis contritus cruciatibus, vitam finivit. Ea res Cancellario magnam apud Christianos gratiam, sed majorem adhuc apud eunuchos Arabesque in universum invidiam conflavit. Prae ceteris autem *Gaitus Richardus*, palatii praefectus, Cancellario succensebat, quod is invito ipso *Robertum* damnaverat. Igitur, ut irae suae satisfaceret, cum ceteris Cancellarii inimicis ad opprimendum hunc conspiravit, eoque tandem rem deduxit, ut munere suo Cancellarius se abdicaret, relictâque Siciliâ in Syriam trajiceret [294]).

§. CXCI.

Eodem fere tempore (1167) Italiae superioris orae ab Arabibus, piraticam exercentibus, infestabantur. Quam injuriam Pisani ut vindicarent, XLVII naves contra Arabes, qui LVII navigia ducebant, miserunt. Offenduntur ad *Civitatem Veterem* hostes, commissoque proelio Pisani superiores

294) Hugonis Falcandi hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 314 — 341.

evadunt, multaque Arabum navigia intercipiunt [295]). Insequenti quoque tempore piratae Arabes saepius Italiam petiisse, imo haud raro etiam in exercendâ piraticâ a Christianis adjuti fuisse videntur. Namque in concilio Lateranensi tertio, quod anno 1179 ab *Alexandro III*, pontifice summo, habitum fuit, excommunicationis poena, omniumque bonorum publicatio in illos statuitur, qui Arabes, piraticam exercentes, armis, navibus, aliisve rebus juvarent; unde conjicias, haud defuisse illis temporibus Christianos, qui praedae cupidine ducti, piratis Arabibus socios sese adjungerent [296]).

§. CXCII.

In Siciliâ ad regis *Guilielmi* obitum usque nil, quod memoriâ dignum videatur, ab Arabibus gestum fuit. Obiit autem *Guilielmus* anno 1189, aetatis flore, haud ultra XXXVI annos natus, nullam prolem, proinde et nullum regni heredem relinquens. Quae res magnarum turbarum causa fuit; namque in diversas partes de regni successione Siculi scindebantur. Fuêre, qui Siciliae regnum *Tancredo, Rogerii* Apuliae ducis filio, deferendum censerent; contra alii *Henricum, Friderici I* Imperatoris filium, qui *Constantiam, Rogerii* regis filiam, in matrimonio habebat, regem postulabant. In eâ sententiarum discrepantiâ evenit, ut inter Christianos Arabesque, qui *Panormum* incolebant, grave dissidium exoriretur. A jurgiis ad arma ventum est, in quo certamine quam plurimi Arabum, quippe qui Christianis longe inferiores essent numero, caesi sunt; reliqui, cum se *Panormi* vix tutos existimarent, relictâ urbe in loca montana circumjacentia se recipiunt [297]). Haud multo post (anno 1190) *Tancredus* Siciliae regno potitus est, quo facto turbae, quae durante interregno *Panormum* exagitaverant, sedatae sunt. Quin imo *Tancredus* et Arabes, *Panormo* profugos, invitavit, ut in urbem reverterentur, curae sibi futurum dictitans, ne in

295) Breviarium Pisanae historiae, Murat. S. r. It. t. VI, p. 179.

296) Andreae Danduli Chron. Murat. S. r. It. t. XII, p. 308.

297) Anonymi Cassin. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 70; Hugonis Falcandi praefat. in hist. Sic. Murat. S. r. It. t. VII, p. 254.

posterum a Christianis aliquo modo vexarentur. Quâ benevolentiâ magnopere Arabes sibi devinxit, effecitque, ut, quotiescunque illorum operâ, maxime in bello, indigeret, promtissimo sibi animo adessent [298]). At vero non diu *Tancredus* Siciliae sceptra tenuit; namque quadriennio postquam regno potitus est, febri correptus, diem obiit supremum anno **1194**; quo exstincto et Normannorum in Siciliam cessavit dominatio.

Cap. XXII.

Henricus VI Siciliam, renitentibus Arabibus, occupat, graviterque affligit. Defuncto Henrico Marquardus Siciliam invadit, cum Arabibus arma sociat, sed infeliciter rem gerit. Sicilia primis Friderici II temporibus turbis exagitatur, Arabes a Christianis premuntur, montana Siciliae petunt, loca campestria infestant, a Friderico debellantur, Luceriamque in Apuliâ transferuntur.

§. CXCIII.

Defuncto *Tancredo*, Germaniae imperator, *Henricus VI*, qui jam antea Siciliae regnum adfectaverat, votorum suorum compos factus est. Neque tamen absque labore regno illo potitus est; namque Siculi Germanorum dominationem magnopere aversabantur; inque primis Arabes, quos *Tancredus* haud leviter sibi devinxerat, a reginae ejusque filioli, *Guilielmi III*, partibus stabant. At vero *Henricus*, ne sibi copiae navales deessent, quarum in expugnandâ Siciliâ maximus usus, Genuenses in auxilium vocavit. Qui haud inviti imperatoris petitioni morem gessêre; etenim spes adfulgebat, imperatorem Siciliam, si expugnasset, non retenturum, verum belli sociis commissurum. Igitur Genuenses, instructâ sat magnâ classe, adscitis etiam in belli societatem Pisanis, in Siciliam trâjiciunt. Illic primum cum Arabibus, qui *Catinam* oppugnabant, manus conseruerunt. Devenerat namque oppidum illud jam in *Henrici* potestatem; quod tamen ut recuperarent, Arabes cum ceteris reginae copiis summâ ope adnitebantur. At vero interveniente Genuensium exercitu Arabes in fugam conversi sunt, oppidumque obsidione liberatum. Inde Syracusas perrexerunt Genuenses, et eam quoque

---

298) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 970.

urbem, etsi nou sine multo labore, ceperunt. Talibus auxiliis cum juvaretur *Henricus*, fieri non potuit, quin brevi universâ potiretur Siciliâ [299]).

§. CXCIV.

Expugnatâ Siciliâ, mirandum in modum *Henricus* provinciam illam adflixit. Defuncti *Tancredi* filiolum, *Guilielmum*, cnm matre atque sororibus in carcerem detrudit, illumque luminibus privat, regni proceres vel capite damnat, vel captivos in Germaniam mittit, civium bona pro libito rapit, et ne sepulcrorum quidem cimeliis parcit [300]). Tantis injuriis cum objecta esset Sicilia, bonâ fortunâ evenit, ut triennio post insulae illins expugnationem (a. 1197) *Henricus*, morbo correptus, de vitâ decederet. At vero *Henrici* mors novarum in Siciliâ turbarum causa fuit. Cum enim *Henrici* filius, *Fridericus II*, vix tertium excessisset annum, ejusque mater *Constantia* jam anno **1198** mortem obiret, *Marquardus*, Anconae Marchio, Siciliae regnum adfectavit. Favebant hnic prae ceteris Arabes Sicnli; quippe qui timebant, ne Pontifex Maximus, cujus tutelae *Fridericus* a matre commendatns fuerat, summâ rerum in Siciliâ potiretur; quo facto sese Siciliâ exturbatum iri verebantur. Quam Arabum in *Marquardum* propensionem Pontifex *Innocentius III* praevidens, literis in Siciliam missis Arabes a *Marquardi* partibus avocare conatns est; neque tamen quidquam profecit. Igitur *Marquardus*, adscitis in auxilium etiam Pisanis, in Siciliam trajecit, (**1199**) consociatoque cum Arabibus Marte, brevi haud pauca oppida in potestatem suam redegit. Huic *Innocentius Jacobum*, consobrinum suum, cum exercitu obviam misit. Adventante exercitu pontificio *Marquardus*, qui ad *Panormum* castra locaverat, pacis conditiones proposuit, quae tamen a *Jacobo* non sunt acceptae. Quare ad arma res rediit. Congrediuntur exercitus hostiles in campo, qui *Panormum* inter et *Montem Regalem* positus est, summâque contentione utrinque pugnatur. Tandem *Marquardus*,

---

299) Caffari Annal. Genuens. l. III, Murat. S. r. It. t. VI, p. **370**.

300) Anonymi Cassinens. Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. **143**; Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII. p. **975**, **976**.

magnâ exercitus sui parte occisâ, superatur, amissoque omni adparatu bellico, in fugam conjicitur. In eo certamine Arabes Siculi, qui strenuissime pugnaverant, ingentem cladem acceperunt [301]).

§. CXCV.

Etsi vero *Marquardus* Siciliae regnum, quod adfectabat, adipisci non posset, tamen effecit, ut a *Gualterio*, summo regni Cancellario, administrandae rei publicae socius adscisceretur. Quae res Pontificem summum haud leviter offendit, novisque controversiis turbisque ansam dedit. Neque turbae illae cessarunt, cum jam suae potestatis factus esset *Fridericus*, ipseque imperii babenas capesseret. Namque licet omnem operam adhiberet, ut seditiosos regni proceres ad obsequium reduceret, turbatumque rerum ordinem restitueret: tamen, cum inde ab anno **1212** ad annum **1220** usque in Germaniâ ipsi morandum esset, ad obtinendum ejus terrae imperium, Siciliae atque Apuliae res aegre tantum componi potuerunt. Turbulentis illis temporibus fieri non potuit, quin et Arabes Siculi seditionis atque tumultuum vel socii, vel auctores essent. Cum autem a Christianis, utpote numero superioribus, haud raro opprimerentur, relictis locis campestribus in montana se receperunt, ubi et Christianorum incursionem facilius sustinere, et ipsi Christianos tutius impetere atque vexare possent. Jam eo ipso anno, quo *Fridericus*, ex Germaniâ redux, Romae a Pontifice summo, *Honorio III*, imperator inauguratus fuit (**1220**), Arabes Siculi e montibus suis descendentes locorum campestrium incolas infestarunt, ingentesque turbas excitarunt. Quae res *Fridericum* impedivit, quo minus votis suis, quibus se ad defendendam terram sanctam obstrinxerat, satisfaceret. Acceperat nempe *Fridericus* eo ipso tempore, quo imperator inauguratus fuerat, crucem e manibus episcopi Ostiensis, promiseratque, se propediem cum copiis suis in terram sanctam trajecturum. Excitatis autem interea per Arabes Siculos turbis, dilatâ in aliud tempus expeditione in terram sanctam, Siciliam adivit, ut hujus insulae res componeret. Erat inter Arabes magnae audaciae

301) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 979.

magnaeque potentiae vir, quem *Mirabettum* rerum Italicarum auctores dicunt. Hunc sibi ducem Arabes elegerant, ejusque ductu atque auspiciis eam maxime Siciliae partem, quâ vallis *Mazarae* protenditur, infestabant. Igitur cum primum in Siciliam advenit *Fridericus*, congregato exercitu, *Mirabetto* obviam proficiscitur. Commissis aliquot levioribus certaminibus, gravior tandem exoritur pugna, (a. 1222) in quâ multi Arabum caeduntur, multi capiuntur, in quibus etiam ipse dux *Mirabettus*. Hunc cum suis ad supplicium dat *Fridericus;* quo facto inpraesentiarum tumultibus finis imponitur [302]).

§. CXCVI.

Neque tamen inquietissimi illi homines diu a turbis se continuerunt. Jam insequenti anno (1223), incertum, quibus de causis, denuo rebellarunt. Cujus rebellionis cum et Meltae Comes, *Henricus*, particeps putaretur, Melitae praefecturâ a *Friderico* privatur inque carcerem detruditur. De quâ tamen suspicione cum se *Friderico* purgasset, denuo in gratiam ab illo

302) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 995. — *Muratorius* in Italiae Annalibus ad annum 1222, *Mirabettum* in pugnâ occisum fuisse tradit. Unde vir doctissimus id resciverit, non habemus compertum. Apud *Richardum de S. Germano*, auctorem *Friderici II* temporibus aequalem, haec leguntur: „*Imperator in Siciliâ de Mirabetto triumphat, et de ipso et suis fecit, quod eorum meruerat exigentia commissorum.*" Quibus e verbis conjicias, *Mirabettum* non in pugnâ occisum, sed captum, supplicioque traditum fuisse. Notandum praeterea, in Appendice ad *Malaterrae* historiam Siculam ad annum 1221, idem fere de *Benavetho*, Arabum duce, tradi, quod *Richardus* ad annum 1222 de *Mirabetto* memorat. Refert enim Appendicis illius auctor: „*A. 1221, decimâ Indict. Fridericus imperator ivit cum magno exercitu super Saracenos Jacis, et cepit Benaveth cum filiis suis, et suspendit apud Panormum.* (Murat. S. r. It. t. V, p. 604.) Quem *Benavethum* haud diversum a *Mirabetto* putarim; quod si verum, inde quoque adparet, *Mirabettum* non, quod *Muratorius* contendit, in proelio caesum, verum captum, supplicioque traditum fuisse.

recipitur [303]). Durarunt turbae illae, ab Arabibus Siculis excitatae, ad annum 1224 usque, quo *Fridericus* omni vi hominibus illis occurrere, eorumque injuriis finem imponere statuit. Igitur copias, quam potest amplissimas, contrahit, Arabesque in montibus suis adgreditur. Illi autem, locorum arduitate angustiisque freti, feroeiter sese defendunt. At vero *Fridericus*, quos armis expugnare nequit, obsidione cingit fameque domat. His artibus quam plurimos eo redegit, ut, sepositis armis, veniam rogarent, obsequiumque pollicerentur. *Fridericus* supplicantibus indulget; ne autem in posterum iteratis turbis Siciliam exagitarent, a sedibus suis amovendos, inque alia loca transferendos censet. Igitur *Luceria*, desolatum Apuliae oppidum, sedes illis adsignatur; cui oppido postea, ut ab aliis ejusdem nominis urbibus dignosceretur, *Luceriae Paganorum* nomen inditum. Quodsi *Joannem Villanum* [304]) audiamus, eo tempore amplius XX millia Arabum, qui armis gerendis idonei essent, *Luceriam* translata fuêre. At vero recte *Muratorius* [305]) judicat, numerum illum nimis exaggeratum videri. Namque si virorum, armis gerendis idoneorum, numerus amplius XX millia fuit, quanta universi agminis, senum mulierum atque parvulorum multitudo esse debuit? Jam vero Arabum Siculorum numerus ex eo tempore, quo Normanni Siciliae imperio potiti sunt, tum externis tum internis bellis admodum imminutus fuit; imo neque ii, qui *Friderici* aetate superstites fuêre, unâ omnes *Luceriam* translati sunt. Namque fuêre, qui, montibus suis contra imperatoris vim defensi, deditionem facere nollent, Siciliamque etiam post popularium suorum translationem incolerent. Quare etsi haud invitus concesserim, sat amplum fuisse Arabum numerum, qui illo tempore e Siciliâ *Luceriam* translati fuêre, tamen vix probabile videtur, tantam eorum fuisse multitudinem, ut virorum, qui gerendis armis idonei essent, numerus XX millia excederet [306]).

---

303) Caffari Annal. Genuens. l. V, Murat. S. r. It. t. VI, p. 432.

304) Historie Fiorentine l. VI, c. 14, Murat. S. r. It. t. XIII, p. 162.

305) Annali d' Italia, ad anuum 1224, t. XI, p. 30.

306) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 996;

§. CXCVII.

Quaesiveris fortasse, qui factum fuerit, ut *Fridericus* inquietissimos illos homines denuo intra règni sui fines collocaverit; cur non potius e terris suis exturbaverit, inque Africam ad ipsorum populares trajecerit? In promtu est responsio: scilicet *Fridericus* probe intelligebat, quanto usui Arabes sibi esse possent, dummodo occasionem atque facultatem nocendi illis adimeret. Id vero eâ re effecit, quod eos ex Siciliâ, ubi a popularibus suis, Africam tenentibus, facilius juvari poterant, in Italiam transferret. In Italiâ autem et ad coërcendos Apulos seditiosos, et ad reprimendam Pontificum summorum potentiam Arabes commodissime poterant adhiberi. Ubi enim inter *Fridericum* Pontificesque summos controversiae exorirentur, quod haud raro evenit, imperatoris auctoritas viresque haud leviter imminuebantur, si excommunicationis poenâ à Pontificibus adficeretur. Namque pro temporum illorum ingenio populi Christiani exemti putabantur ab officio erga principes, quibus excommunicationis poena injuncta erât; quare, qui huic poenae obnoxii essent, principes nequaquam populorum suorum fidei praesidioque confidere poterant, maxime si cum Pontifice summo ipsis certandum esset. At vero Arabes Pontificem summum, poenasque ab illo statutas parvi pendebant; ubicunque spes praedae adfulgeret, praesto erant, neque curabant, utrum *S. Petri*, an profani cujusdam hominis peculium diriperent. Ejus generis homines in controversiis cum Pontificibus summis maximo usui fore *Fridericus* probe perspiciebat, eamque in ceteris propter causam Arabes in Apuliam transferebat. Neque spes eum fefellit; quoticscunque enim illorum indigeret operâ, promtissimo illum animo juvarunt.

§. CXCVIII.

Jam paulo ante monitum fuit, non omnes unâ Arabes *Luceriam* tranlatos fuisse, quinimo haud paucos, montibus suis defensos, *Friderici*

Nicolai de Jamsilla hist. Friderici II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 494; Monachi Patavini Chron. l. I, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 670; Giovanni Villani histor. Fiorent. l. VI, Murat. S. r. It. t. XIII, p. 162.

armis pertinaciter restitisse, Siciliamque ulterius incoluisse. Quos ut debellaret jam omnem operam *Fridericus* navabat. Igitur snb praetextu auxilii sibi praestandi *Rogerium de Aquilâ, Thomam de Casertâ, Jacobum de Sancto Severino, Comitisque Tricariensis filium*, regni proceres, ex Apuliâ in Siciliam evocat. Morem gerunt imperatoris mandato vocati, magnoque cum comitatu in Siciliam trajiciunt. Eo postquam venerunt, *Fridericus* nil mali suspicantes prehendi, captivos detineri, eorumque terras fisco adjudicari jubet. Quod quibus de causis factum fuerit, auctores non memorant; sed credibile est, homines illos, perfidiae vel noxios, vel saltem suspectos fuisse. Haud multo post *Honorii III*, Pontificis summi, interventu in libertatem quidem restituuntur, eâ tamen conditione, ut regni finibus excederent, liberos autem nepotesque suos obsides relinquerent [307]).

§. CXCIX.

Interea *Fridericus* bellum contra Arabes Siculos prosequitur. Deficiente autem rerum gerendarum nervo, pecuniâ, certam aeris summam per universum regnum colligi jubet; quam pecuniam persolvendis maxime militum stipendiis impendit [308]). Quo successu bellum hocce gestum fuerit, non quidem memorant auctores; verum si consideres Arabes adhuc per viginti annorum spatium sedes suas in Siciliâ tenuisse, facile intelligas, ancipiti fortunâ diu certatum fuisse. Neque mireris parvam illam hominum manum aegre adeo ab imperatore potuisse opprimi. Tantis enim undique cum laboribus viro summo luctandum fuit, ut mirum videatur, ingenti mole eum non penitus oppressum fuisse. Namque cum Pontificibus summis jam inde ab imperii sui initio ad vitae finem usque continuo certandum fuit; neque illo adversario potentior aliquis temporibus illis exsurgere potuit. Ad externos hostes accedebant interni, cives sui, qui, Germanorum dominationem aegre ferentes, per omnem occasionem ad seditionem turbasque inclinabant. Adde, quod adsiduis Pontificis summi flagitationibus victus

307) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 996, 997.

308) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 997.

ingenti sumtu atque labore, anno 1228, expeditionem in terram sanctam susciperet; denique inter diversissimas curas rerum civilium atque ecclesiasticarum statum legibus maxime ferendis meliorem reddere niteretur. Quae omnia si probe perpendas, vix miraberis, qui factum sit, ut Arabum Siculorum reliquiae per viginti annorum spatium *Friderici* armis resistere possent. Igitur primo et vicesimo anno postquam potior illa Arabum Siculorum pars in Apuliam translata fuerat, reliqui quoque in Siciliâ superstites per comitem *Reccardum de Casertâ* debellati sunt (a. 1245) [309]. Quodsi inde ab expugnatâ *Panormo*, quo tempore sedes in Siciliâ Arabes fixerunt, (a. 835) ad id temporis, quo ex insulâ illâ exturbati sunt, annorum numerum computes, *quadringenti et decem* efficiuntur anni; quorum per *ducentos quinquaginta quinque* ipsi Arabes Siciliae dominati sunt, per reliquos autem *centum quinquaginta quinque* annos alieno imperio paruerunt.

Cap. XXIII.

Arabes Luceriam muniunt, Fridericum contra Pontificem M., Apulos atque Mediolanenses juvant. Fridericus Arabibus multum indulget, eorum auxilio purpuratos ad eligendum Pontificem M. adigit. Friderici obitus, Conradique in regno successio. Conradus Neapolim aliasque civitates rebelles Arabum auxilio subigit, tributa, civitatibus subactis imposita, per Arabes exigit, diem supremum obit.

§. CC.

Postquam *Luceriae* sedes fixerant Arabes, omnem operam navarunt, ut oppidum illud, a Beneventanis olim dirutum, instaurarent, munimentisque quam firmissimis circumdarent. In quod negotium impigre adeo incubuerunt, ut brevi temporis spatio non tantum satis tuti a finitimis, verum etiam omnibus circumjectis civitatibus timendi essent. Neque *Fridericus* novis colonis deerat; contra, omnia suppeditabat, quae et augendis illorum rebus, et devinciendis animis idonea viderentur. Quâ re effecit, ut, qui paulo ante in Siciliâ molestissimi ipsi fuerant homines, deditissimi jam atque utilissimi

309) Appendix ad Malaterrae hist. Sic. Murat. S. r. It. t. V, p. 605.

essent. Jam quinquennio postquam novas in Apuliâ sedes Arabes occupaverant, *Fridericus* illorum fidem atque auxilium expertus est. Exercebantur tum temporis gravissimae inter *Fridericum Gregoriumque IX*, Pontificem summum, inimicitiae; et licet *Fridericus*, importunis Pontificis summi postulationibus cedens, ipse cum copiis suis terram sanctam petiisset, praeclareque illic rem gessisset, tamen excommunicationis poenâ, quâ tenebatur, non tantum non absolvebatur, verum etiam id agebatur, ut terris suis regnoque privaretur. Cum igitur anno 1229 e terrâ sanctâ in Italiam reverteretur, omnia seditionis turbarumque plena invenit. Quas turbas ut absque sanguinis profusione componeret, legatos *Romam* misit, qui de revocandâ excommunicationis poenâ, paceque conciliandâ cum Pontifice summo agerent. At vero in cassum ea legatio abiit, armisque decertandum erat. Igitur *Fridericus*, omni fere civium suorum Christianorum praesidio destitutus, quippe qui Pontificis summi iram minasque formidarent, ad Arabum, *Luceriam* incolentium, auxilium confugit, magnamque illorum vim *Luceriâ* educit. Quibus accedit modicum militum Germanorum agmen, quos e terrâ sanctâ *Fridericus* secum deduxerat. Cum his copiis imperator hostibus obviam proficiscitur; mox e regni sui finibus illos ejicit, civitatesque rebelles, externo auxilio jam destitutas, ad deditionem obsequiumque cogit. Prosperum hunc armorum *Friderici* successum ubi videt Pontifex maximus, magis magisque ad componendam cum imperatore pacem inclinat. Confluunt utriusque partis legati *Sanctum Germanum*, tandemque anno 1230 pax convenit, cujus beneficio *Fridericus* excommunicationis poenâ absolvitur, atque in integram terrarum suarum possessionem restituitur [310]).

§. CCI.

Haud minori usui Arabes Lucerini *Friderico* fuêre in bello, quod contra *Mediolanenses* gestum est. Ejus belli causa haec fere fuit. Italiae

310) Richardi de S. Germano Chron. ad a. 1229, 1230, Murat. S. r. It. t. VII, p. 1007—1024; Matth. Paris. hist. Angl. ad a. 1230,

superioris civitates, quarum florentissima atque potentissima *Mediolanum*, jam inde ab antiquis temporibus imperatorum Germanicorum dominationem aegerrime ferebant. Quam ut excuterent, haud raro foederibus sese junxerant, viribusque consociatis libertatem adfectaverant. Illorum foederum auctores principesque tantum non semper Mediolanenses erant. Jam in *Fridericum I* Mediolanenses cum sociis suis rebellaverant; cujus tamen rebellionis acerbissimas poenas dederant. Capto namque per *Fridericum Mediolano* (a. 1158) omnibus fere juribus civitates rebelles exciderant. Ex illo tempore omnes vires civitates illae intenderant, ut amissam libertatem recuperarent; id quod caeso prope *Lignanum* ad internecionem *Friderici* exercitu, factâque Constantiae pace (a. 1183) obtinuerunt. Hunc rerum suarum statum Mediolanenses ceteraeque Italiae superioris civitates ad *Friderici II* tempora conservaverant; cujus crescentem in dies potentiam cum aegre paterentur, *Henricum, Friderici* filium natu majorem, contra patrem rebellantem, juvarunt. Oppressâ *Henrici* seditione Mediolanenses eorumque socii, viribus suis ferocientes, sponte suâ *Fridericum*, illatis injuriis, ad bellum provocabant. *Fridericus* initio propositis conditionibus rem componere tentavit; quae cum spernerentur, congregato exercitu, anno 1236 primum, iterumque a. 1237 contra hostes proficiscitur. In alterâ hac expeditione Arabes Lucerini tertiam exercitus imperatorii partem effecêre; namque universus imperatoris exercitus XX millibus hominum constabat, quorum VII millia ad Arabum gentem pertinebant. Cum his copiis *Fridericus* Mediolanensibus ingentem cladem ad *Curtem Novam* intulit. Initium certaminis ab Arabibus factum, qui ab hostibus male excepti magnam partem caesi sunt. Descendentibus deinde in pugnam Germanis, Mediolanenses exercitus imperatorii impetum non amplius sustinuerunt. Igitur fugâ salutem petunt; verum ab insequenti hostium equitatu multi occisi, multi etiam capti sunt. Insignem hanc victoriam omnium fere Italiae superioris civitatum deditio secuta est; neque tamen Mediolanenses *Friderico* se subjecerunt;

---

ex edit. Guilielmi Watts, p. 307, 309; Raynaldi Annal. eccles. ad eundem annum.

contra, infracto animo tamdiu armis ejus restiterunt, donec irriti laboris taedio exercitus imperatorius caperetur, induciaeque inter utramque partem componerentur [311]).

§. CCII.

Tantam in bellis utilitatem ex Arabibus cum caperet *Fridericus*, fieri non potuit, quin propensiori in illos animo esset, multumque illis indulgeret. Quae res *Gregorio IX*, Pontifici summo, haud parum displicebat, quippe qui omnem benevolentiam, quae in Arabes conferebatur, gravissimam in Christianos injuriam existimabat. Sed accedebant et aliae causae, quae Pontificem summum in *Fridericum* concitarent. Maxime vero Pontifex maximus indignabatur, quod *Fridericus* filium suum; *Entium*, Sardiniae regem constituisset; namque jam inde ab antiquis temporibus Pontifices Romani Sardiniae dominationem adfectaverant. His aliisque de causis *Gregorius* anno 1239 excommunicationis poenam denuo *Friderico* injunxit. Si *Ricordanum Malespinum* audiamus, quatuor inprimis fuère causae, quae Pontificem M. ad injungendam *Friderico* excommunicationis poenam permoverent. In his, quod in multis articulis a verâ fide deflecteret, vitamque homine Christiano indignam ageret; *quod Arabibus nimium indulgeret*, Christianorumque sacra negligeret [312]). Quae criminatio etsi aliquanto videatur

---

311) Annal. Mediol. Murat. S. r. It. t. XVI, p. 645 sequ. Matth. Paris. histor. Angl. ad annum 1237, p. 375; Rolândini Patavini de factis in marchiâ Tarvisanâ, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 218 sequ. Monachi Patav. Chron. ibid. p. 677; Chron. Veronens. ad a. 1237, ibid. Richardi de S. Germano Chron. ad a. 1237, Murat. S. r. It. t. VII, p. 1039; Caffari Annal. Genuens. l. VI, Murat. S. r. It. t. VI, p. 476.

312) Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 132, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 966, ubi in ceteris haec leguntur: *„La quarta cosa fu, perche egli fu trovato convinto in piu articoli di eresia contro alla fede; e di certo egli non fu Cattolico Christiano, vivendo dissolutamente, e participando co' Saracini, poco o niente usava la chiesa.*

exaggerata, documento tamen esse potest, *Fridericum* officiorum, ab Arabibus sibi praestitorum, nequaquam immemorem, contra propensiorem fortasse in illos fuisse, quam pro illorum temporum ingenio principi Christiano convenire videbatur.

§. CCIII.

Quadriennio post (a. **1243**) *Fridericus* Arabum suorum operâ denuo usus est, ut ecclesiae purpuratos (cardinales) ad eligendum Pontificem summum adigeret. Decesserat enim de vitâ *Gregorius IX* jam anno **1241**, neque ex illo tempore alium ecclesiae Christianae praesulem purpurati elegerant. Ea res *Friderico* admodum molesta fuit; namque ab ejus adversariis rumor spargebatur, ipsius artibus Pontificis summi electionem impediri; quo rumore haud levis invidia apud populos Christianos ipsi conflata est. Accedebat, quod decedente *Gregorio IX* excommunicationis poenae adhuc obnoxius esset *Fridericus;* quâ absolvi nequaquam potuit, nisi electo Pontifice summo. Igitur iteratâ vice purpuratos hortatus est, ut orbae tam diu ecclesiae tandem aliquando praesulem redderent. Cum monita nil efficerent, vi agendum censuit. Quare congregato sat copioso exercitu, cujus haud exiguam partem Arabes effecère, *Romam* profectus est, eamque urbem obsidione clausit. At vero veniam petentibus oppidanis, urbe quidem *Fridericus* abstinuit, sed praedia villasque purpuratorum militibus suis diripiendas dedit. In eâ incursione prae ceteris *Albania* male ab Arabibus habita est; quidquid enim in privatorum domibus, quidquid in publicis aedibus reperiri potuit, quod alicujus pretii esset, in praedam conversum est. Eâ calamitate purpurati tandem permoti sunt, ut *Sinibaldo Fiesco* dignitatem pontificiam deferrent, qui *Innocentii IV* cognomentum deinde adscivit [313]).

§. CCIV.

Jam paulo ante monitum fuit, *Fridericum* propensiori in Saracenos fuisse animo; cujus rei haud poenitebit unum alterumque exemplum in

313) Richardi de S. Germano Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. **1050**; Matth. Paris. hist. Angl. ad a. **1243**, p. **530**.

medium protulisse. Evenit anno 1248, ut carcerum in castro Barensi praefectus, largitione fortasse corruptus, captivis, ipsius curae commissis, fugiendi facultatem pararet. Quam perfidiam *Fridericus* ubi rescivit, institutâ quaestione, gravissime in noxios animadvertit. Namque carcerum praefectus famulique, facinoris conscii, in quatuor partes dissecti, aliis, captivis ut videtur, caput âmputatum, castrique praefecto ejus loci praefectura ablata fuit. Eam dignitatem *Fridericus* deinceps non homini Christiano, verum Arabi Lucerinò commisit; unde colligas, eum plus fiduciae in Arabe, quam in Christiano posuisse. Eodem anno propter Arabis cujusdam caedem *Fridericus* graviter in Barlettanos vindicavit. Confugerat namque caedis illius auctor ad Barlettanos, a quibus receptus, et contra caedis vindices defensus fuit. Quam rem *Fridericus* aegre adeo tulit, ut civium Barlettanorum duos suspendio, ipsam autem urbem mille Augustalibus mulctaret. Biennio post (a. 1250) Justitiarii provinciae Barensis dignitatem *Fridericus* Arabi contulit, cujus frater eodem tempore in Siciliâ summi ducis copiarum maritimarum munere fungebatur. Eodem anno septemdecim cohortes Arabum, Berberorum e terrâ in Calabriam trajecerunt, inque eâ provinciâ atque Basilicatâ hospitium sumserunt. Haud quidem memorant rerum gestarum scriptores, quo auctore, quove consilio homines illi in Italiam trajecerint; neque tamen dubitandum, eos in belli usum a *Friderico* evocatos fuisse. Sed quid multa, ipsam corporis sui custodiam *Fridericus* Arabibus commisit; unde colligas, quantum illis confisus fuerit, quantumque faverit. Eo favore freti homines illi altiores spiritus induerunt, insolentiusque atque protervius cum vicinis egerunt, ita quidem, ut, quocunque venirent, metum adferrent. Tradit *Matthaeus Spinellus*, descendentibus a. 1248 septem Arabum cohortibus in Apuliam, multos viros nobiles, quibus uxores formosae atque juvenes, in Sclavoniam (Dalmatiam) emigrasse, timentes, ne sibi uxoribusque suis ab immoderatis illis hominibus vis inferretur [314].

---

314) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapolit. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1065 — 1068.

§. CCV.

Haud multo post (a. 1250) ***Fridericus***, febri letali correptus, diem supremum obiit. Adsiduae curae ingentesque labores, quibus summus vir inde ab adolescentiâ obrutus fuerat, corporis vires maturius absumserunt; ita ut haud ultra sextum et quinquagesimum annum vitam perduceret. Quodsi perpendas, quantas ille res in pace, quantas in bello gesserit, fateare necesse est, summum illum et suae aetatis fuisse principem, et insequentibus temporibus vix quopiam inferiorem. Non nostri est instituti, insignes, quibus prae ceteris excelluit, virtutes ingeniique dotes enumerare; neque tamen silentio praeterire possumus, illum (quod pro temporum illorum ratione merito mireris) *sex linguarum*, Germanicae, Italicae, Gallicae, Latinae, Graecae atque Arabicae haud mediocriter peritum fuisse [315]). Haud quidem desunt auctores, qui accerrime in eum invehantur, qui luxuriae, crudelitatis, impietatis, aliorumque id genus vitiorum eum insimulent; sed tenendum, auctores illos a partibus Pontificum Romanorum stare, cum quibus ***Fridericus*** per omnem fere vitam gravissimas inimicitias exercuit. — Quos, dum viveret, ***Fridericus*** corporis sui stipatores habuerat, Arabes, iidem et defuncti funus comitati sunt, suoque more luxerunt. Tradit ***Matthaeus Spinellus***, se, ut ***Friderici*** pompam funebrem spectaret, ***Bituntum*** ivisse; „gestatum fuisse illius corpus in lecticâ, holoserico rubro opertâ, cinctum ducentis Saracenis peditibus, ordinariâ corporis regii custodiâ, et sex cohortibus equitum armatorum; qui omnes, cum locum aliquem ingrederentur, plangentes inclamarent mortui nomen; secutos fuisse aliquot Barones, lugubribus vestibus, nec non oppidorum Syndicos [316]).“

315) Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 112, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 953; Giovanni Villani histor. Fior. l. VI, c. 1, Murat. t. XIII, p. 155.

316) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1070. — *Fridericum* ab Arabibus maximi habitum fuisse, discas ex *Dschemaluddini* testimonio apud Abulfedam, Annal. Moslem. t. IV, p. 348 text. Arab.

§. CCVI.

Defuncto *Friderico* novae turbae in Apuliâ Siciliâque exarserunt. Reliquerat *Fridericus* regni heredem filium suum, *Conradum*, Germaniae regem; qui cum ab Italiâ abesset, *Manfredo*, naturali *Friderici* filio, reipublicae administratio tamdiu commissa est, donec ipse *Conradus* adveniret, imperiumque capesseret. At vero *Innocentius*, Pontifex M., contendebat, *Fridericum*, excommunicationis poenae obnoxium, nil de regni successione statuere potuisse; proinde neque ad *Conradum*, neque ad *Manfredum* imperium pertinere. Talia Pontifex summus cum dictitaret, factum est, ut plures civitates, *Neapolis, Capua, Andria*, regnique proceres, in quibus *Comites de Aquino*, a *Conrado* deficerent, inque Pontificis M. partes transirent. Jam ante *Conradi* adventum *Manfredus* haud paucas civitatum rebellium in potestatem suam redegerat; neque tamen Neapolitani, Campani, Comitesque Aquinates ad obsequium reversi erant. Igitur ut primum *Conradus* in Apuliam pervenit, cum exercitu *Comitibus de Aquino* obviam proficiscitur (a. 1252). Conflatus erat *Conradi* exercitus ex militibus Germanis Arabibusque *Luceriâ* evocatis. Cui exercitui *Comites Aquinates*, etsi a Pontifice M. auxiliis juvarentur, nequaquam pares erant. Quare absque multo labore *Conradus* *Aquino, Arpino, Sorâ* aliisque locis, quae ad *Comitum Aquinatum* ditionem pertinebant, potitus est. Miserâ tum oppidorum illorum fortuna fuit; namque ferro flammisque in ea saevitum est; videbanturque certare Germani Arabesque, utri infelicissimos incolas gravius affligere possent [317]).

§. CCVII.

Haud melior anno sequenti Neapolitanorum fuit fortuna. Jam omnes civitates rebelles, vel vi coactae, vel sponte suâ *Conrado* sese subjecerant; sola *Neapolis* deditionem recusabat, quod et suis viribus, et Pontificis summi promissis confideret, timeretque insuper, ne, si deditionem faceret, Germanis Arabibusque diripienda traderetur. Igitur *Conradus* omni vi urbem

317) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1071; Nicol. de Jamsilla hist. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 506.

illam oppugnare statuit. Locantur Arabes in septemtrionali urbis parte, ut illic impetum facerent; Germanis orientalis pars adsignatur. Ut autem promtiores utrique ad pugnam redderentur, trium mensium stipendia illi promittuntur genti, quae prima in urbem irrumperet. His promissis excitati et Arabes et Germani acerrime urbem impugnarunt; at vero, eruptione ab obsessis factâ, magnam cladem utrique accepêre, caesis haud minus sexcentis Arabibus, totidemque fere Germanis. *Conradus* ubi videt, *Neapolim* vi haud facile posse expugnari, fame illam domare instituit. Igitur obsidione arctissimâ urbem cingit, omnique commeatu terrâ marique intercludit. Quo facto atrocissima fames exorta est, ita ut vilissimis atque sordidissimis alimentis oppidani vitam sustentarent. Quam inopiam cum diutius tolerare non possent Neapolitani, missis ad *Conradum* legatis, qui delicti veniam rogarent, deditionem fecerunt (a. **1253**). At vero *Conradus*, illorum pertinaciâ magnopere irritatus, omnes, qui arma contra se gestaverant, caedi jussit, tantaque inter oppidanos strages edita, ut vel ipsi Arabes, misericordiâ tandem commoti, sponte suâ a caede abstinerent [318].

§. CCVIII.

Redactâ in potestatem suam Apuliâ, *Conradus* illius provinciae civitates tributis aliisque oneribus graviter adflixit. Quod si cessarent imposita sibi tributa pendere, Arabes Germanique missi, qui illa exigerent. In quo negotio homines illi haud leniter sese gesserunt; quinimo haud pauca oppida, quae in pendendo tributo tardiora essent, diripuerunt; in quibus *Asculum, Bituntum* aliaque. Eâ civium suorum vexatione grave odium *Conradus* sibi contraxit; quare nil optatius Apulis esse potuit, quam nuntius de illius morte, quam obiit in castris ad *Lavellum*, a. **1254**, vix ultra sex et viginti annos natus [319]. Fama ferebat, *Conradum* veneno sublatum

318) Chron. Cavense, Murat. S. r. It. t. VII, p. **927**; Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. **1071**; Sabae Malaspinae rer. Sicul. l. I, c. 3, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 789.

319) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. **1072**.

fuisse, quod ei *Manfredi* impulsu per *Joannem Morum*, Arabum Lucerinorum praefectum, quo familiarissime *Conradus* utebatur, datum fuisset. Erat autem *Morus*, quod jam ipsum nomen indicat, servus *niger*, qui in *Friderici* imperatoris aulâ educatus, imperatorique adeo acceptus fuerat, ut cubiculi imperatorii custos constitueretur, aulaeque secretorum particeps redderetur. Defuncto *Friderico Morus* etiam a *Manfredo* in honore habitus, *Luceriae*que praepositus fuit [320]. Hunc igitur *Morum*, *Manfredi* impulsu, venenum *Conrado* dedisse fama ferebat, eo quidem consilio, ut, sublato *Conrado*, *Manfredo* ad Siciliae regnum via pateret. Cui tamen criminationi testimonia fide digna desunt.

Cap. XXIV.

Manfredus Siciliae regnum administrat, a preceribus destituitur, ab Arabibus Lucerinis fovetur, eorumque auxilio exercitum pontificium fugat. Acherentia ab Arabibus Manfredo traditur; Octavianus a Manfredo obsessus initâ pactione liberatur. Manfredus Arabibus indulget, a Pontifice M. monetur, ut illos regni finibus exturbet. Siciliae regnum a Pontifice M. Carolo Andegavensi effertur; Manfredus commissâ cum Carolo pugnâ occumbit.

§. CCIX.

Conradi obitus sedatas vix Apuliae turbas denuo excitavit. Reliquerat *Conradus* regni heredem filiolum, *Conradinum*, haud ultra duos annos natum, ejusque tutelam reique publicae administrationem non *Manfredo*, quod mireris, verum Marchioni *Bertholdo de Hohenburg* commiserat. At vero *Innocentius IV*, Pontifex M., occupandae Apuliae atque Siciliae occasionem jam adesse ratus, *Conradi* testamentum irritum esse, Apuliaeque atque Siciliae regnum ad sedem Apostolicam pertinere pronuntiabat. Cujus moliminibus cum se imparem existimaret *Bertholdus*, reipublicae administrationi renuntiavit. Quo facto *Conradini* res in magnum periculum adductae sunt; quod ut averteretur, regni proceres, qui a *Conradini* partibus stabant,

320) Nicol. de Jamsilla histor. Friderici II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 522.

reipublicae administrationem *Manfredo* detulerunt. Et profecto *Manfredus*, si quis alius, *Conradini* jura sustentare potuisset, nisi ab iis, quorum auxilio maxime confidebat, desertus fuisset. Jam primum *Bertholdus*, qui thesaurum regium tenebat, proinde prae ceteris *Manfredum* pecuniâ juvare potuisset, opem promissam non tantum non praestitit, verum etiam, quantum posset, *Manfredo* apud Pontificem summum obtrectavit. Neque plus auxilii ceteri quoque regni proceres *Manfredo* tulerunt. Quare, ab omnibus fere desertus, omnem spem in Arabibus Lucerinis collocat, eosque in partes suas trahere conatur. Praeerat *Luceriae* tum temporis, sicuti jam supra monitum fuit, *Joannes Morus*, qui *Manfredo* favere videbatur. Hujus auxilium *Manfredus* expetit, acceptisque promissis, *Luceriam* tendit. At vero longe alia, quam quae *Manfredo* promiserat, *Morus* moliebatur. Erat illi propositum, in Pontificis summi partes cum Arabibus suis transire; eamque propter causam Pontificem M. adivit eo ipso tempore, quo *Manfredus Luceriam* petebat. Ne autem eo itinere suspicionem *Manfredo* moveret, hujus causam apud Pontificem summum sese acturum simulat. Sed *Marchisio* cuidam, quem, dum ipse *Lucerid* abesset, urbis praefectum reliquit, graviter interdicit, ne, se absente, aliquem, ne ipsum quidem *Manfredum*, in urbem admitteret. Igitur *Manfredus*, fretus *Mori* promissis, non sine magno periculo *Luceriam* proficiscitur. Sed ubi audit *Morum Lucerid* abesse, homines fidos, quibus usus atque familiaritas cum Arabibus intercedebat, in urbem mittit, ut explorarent, quo animo erga ipsum Arabes essent. Referunt exploratores, promtissimo in *Manfredum* animo Arabes esse, mirari eos, quod non rectà *Luceriam Manfredus* petiisset, eum omnes ad defendendam illius causam parati essent. Hoc nuntio firmatus, iter persequitur *Manfredus*. Cum autem ad tertium milliarium *Luceriae* adpropinquasset, relicto comitatu, cum tribus tantum stipatoribus, quorum unus sermonis Arabici peritus esset, ad urbis portas noctu accessit. Ut primum excubitores, qui portarum custodiam agitabant, *Manfredum* adesse cognoscunt, claves ad reserandas portas a *Marchisio*, *Mori* vicario, repetere volunt. At vero reputantes, *Marchisium* portarum claves nequaquam traditurum, contra, *Manfredum* quovis modo ab urbis ingressu prohibiturum, portas

effringunt, *Manfredum*que exsultantes in urbem recipiunt (a. 1254). Vulgato de *Manfredi* adventu nuntio omnes oppidani concurrunt, ut *Friderici* imperatoris, quem tanti olim fecerant, filio amorem suum atque observantiam testarentur. Quem nuntium ubi *Marchisius* accipit, confestim satellites suos ad arma vocat, obviamque *Manfredo* procedit. Sed simulac in *Manfredi* conspectum venit, populi clamore minisque, ex equo ut descenderet, et ad *Manfredi* pedes sese prosterneret, cogitur. Quo facto *Manfredus*, nemine resistente, palatium regium occupat; in quo magnam pecuniae aliarumque rerum pretiosarum copiam invenit, quae ad *Friderici* imperatoris, *Conradi* regis, imo et ipsius *Joannis Mori* thesauros pertinebant. Eâ pecuniâ *Manfredus* mox magnum militum numerum, Germanorum maxime, qui per Apuliam dispersi erant, in partes suas traxit, iuque tantum vires suas auxit, ut, qui paulo ante ab omnibus desertus, fugitivi instar, *Luceriam* venerat, universae jam Apuliae formidinem injiceret [321]).

§. CCX.

Crescente in dies *Manfredi* potentiâ, adversarii ejus de pace cum eo agere coeperunt. Neque tamen res convenit; namque nonnisi dolos serere tempusque trahere *Manfredi* adversarii videbantur. Igitur armis decertare *Manfredus* statuit. Tenebat *Foggiam Oddo*, frater *Bertholdi* Marchionis, cum magnâ exercitus Pontificii parte. Huic, cum copiis suis in circumjacentes agros excurrenti, *Manfredus* cum Arabibus Germanisque suis obviam ivit. Concurrunt exercitus hostiles, neque tamen diu pugnatum fuit; namque *Oddo*, cum vix primum hostium impetum sustinuisset, terga vertit, praecepsque ad castrum *Canusii* confugit. Exinde *Manfredus Foggiam* adgressus est; quod tamen oppidum primo acriter repugnavit; donec subsidiis, *Luceriâ* advenientibus, *Manfredi* augeretur exercitus, quo facto urbs expugnata, militibusque diripienda tradita est. Ea victoria tantum terrorem exercitui pontificio, qui ad *Troiam* castra posuerat, injecit, ut, relictis im-

321) Nicol. de Jamsilla hist. Frider. II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 527, 530, 531; Sabae Malaspinae rer. Sicul. l. I, c. 5, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 793.

pedimentis, fugâ salutem peteret. Quo magis autem exercitus pontificius animum abjecisse videbatur, eo majores spiritus *Manfredi* copiae, maxime Arabes Germanique, sumsêre. Cum sponte suâ *Troia Manfredo* sese subjecisset, proinde diripiendi illius oppidi spem Arabes Germanique amisissent, homines illi, praedae cupidissimi, magnopere *Manfredo* instabant, ut contra *Barolum* sese duceret. At vero Barolitani, auditâ *Foggiae* calamitate, veritique, ne idem sibi accideret, legatos ad *Manfredum* miserunt, qui urbis suae deditionem facerent. In hunc modum periculum, quod sibi urbique suae imminebat, effugerunt. Neque tamen castellum Barolitanum, quod a praesidiis hostilibus tenebatur, deditionem fecit. Quod etsi quontocyus in potestatem suam redigere cuperet *Manfredus*, tamen, quia hiems instabat, a castello illo abstinuit, *Venusiam*que petiit; quod oppidum honorificentissime eum excepit, eâque re defectionis veniam impetravit (a. 1255) [322].

§. CCXI.

Eodem fere tempore *Joannes Morus* perfidiae suae poenas dedit. Audiverat jam, *Manfredum Lucerid* potitum esse, cupiebatque in gratiam cum illo redire. Igitur legatos ad eum misit, qui literas, securitatem spondentes, rogarent; velle se *Manfredum* salutare, fidemque atque obsequium ei praestare. At vero *Manfredus* homini doloso literas expetitas denegat; si convenire se vellet, se non prohibiturum; sed non aliter, quam pro meritis, illum exceptum iri. Hoc nuntio accepto *Morus*, *Manfredi* iram timens, non *Luceriam*, sed *Acherontiam* adivit, ibique moratus est. Neque tamen sic poenas promeritas effugit. Namque ut primum Arabes, qui eum comitabantur de ejus perfidiâ certiores facti sunt, factâ conjuratione illum interfecerunt, dissectoque in membra corpore, caput proditoris *Luceriam* miserunt; ubi ad portam, quae *Foggiam* spectat, adfixum fuit. Occiso *Moro* Arabes, qui *Acherontiae* morabantur, nuntios ad *Gualvanum Lanciam*, *Manfredi* avunculum, miserunt, qui illum rogarent, ut *Acherontiam* veniret,

322) Nicol. de Jamsilla hist. Frider. II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 534 — 541.

eamque urbem *Manfredi* nomine occuparet. Absque morâ *Gualvanus* conditionem accipit; eumque in modum *Acheruntia* in *Manfredi* potestatem devenit [323]).

§. CCXII.

Interea *Innocentius IV*, Pontifex M., de vitâ decesserat, ejusque in locum *Raynaldus de Jenne*, *Alexandri IV* cognomento, suffectus fuerat. Is, decessoris sui vestigiis inhaerens, omnibus modis *Manfredo* officere conatus est. Cum autem armis vix quidquam se effecturum intelligeret, paciscendo illius potentiam, in dies crescentem, reprimere tentavit. Verum et eâ ratione nihil effectum est; rursusque ad arma res rediit. Igitur Pontifex *M. Octavianum*, purpuratum, bello gerendo, exercituique legendo praefecit. Ut primum *Manfredus* certior factus est, exercitum pontificium propediem Apuliam invasurum, relictâ *Orid*, quam urbem tum temporis obsidebat, *Luceriam* se contulit, ibique haud spernendas copias Arabum, Germanorum Apulorumque congregavit, quibuscum exercitui pontificio obviam profectus est. Ut autem hostium iter cognosceret, comitem *Henricum de Spernaria* cum expeditâ Germanorum manu explorandi causâ praemisit. Qui cum minus caute rem gereret, prope *Frequentum* in catervam hostium incidit, a quibus captus est. Sed forte fortunâ accidit, ut, qui eum captivum ducebant, Arabum, ad *Manfredi* exercitum pertinentium, agmini occurrerent; qui simul atque *Henricum* in hostium manu viderent, impetum dederunt, caesisque hostium aliis, aliis in fugam conjectis, captivum liberarunt. Interea exercitus hostiles haud procul *Frequento* in conspectum sibi venerunt; superabatur *Manfredi* exercitus hostium multitudine sed defendebatur loci opportunitate; ita ut exercitus pontificius vix auderet in certamen descendere. Cum per aliquod tempus uterque exercitus invicem sese observasset, legatus, a *Ludovico*, Bavariae duce, ejusque sorore, *Elisabethâ*, *Conradini* matre, in Italiam venit, ut cum Pontifice summo *Manfredo*que de *Conradini* rebus tractaret. Ea legatio in causâ fuit, ut inter *Octavianum*, exercitus pontificii ducem, *Manfredum*que induciae compone-

323) Nicol. de Jamsilla hist. Frider. II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 542.

rentur, tamdiu duraturae, quamdiu ducis Bavariae legatus apud Pontificem M. esset moraturus. Factis induciis ***Manfredus***, nil mali suspicatus, exercitum suum ***Barim*** reduxit; at vero ***Octavianus***, nullâ pactorum ratione habitâ, ***Foggiam*** ex improviso occupavit eo consilio, ut ***Manfredum Luceriâ*** intercluderet. Accepto de ***Octaviani*** perfidiâ nuntio, ***Manfredus*** propere ***Luceriam*** venit, auctisque illic copiis ***Foggiam*** tendit, exercitumque pontificium, in eâ urbe collocatum, obsidione claudit. Quae res ***Octavianum Bertholdum***que Marchionem, cujus consilio ***Foggia*** occupata fuit, haud parum sollicitos habebat. In eâ difficultate ***Bertholdus*** optimum ratus est, provinciam Barensem adire, ibique commeatum copiasque colligere, quibus exercitum obsessum juvaret. Quod cum perfecisset, noctu, ne a Manfredo animadverteretur, ***Foggiam*** cum agmine suo reverti statuit. At vero ***Manfredus***, de ***Bertholdi*** reditu certior factus, trecentos equites Arabes Germanosque misit, qui revertenti insidiarentur. Incedente securius ***Bertholdi*** agmine, qui in insidiis collocati erant, prorumpunt, magnamque stragem inter hostes edunt. Fuère in illo agmine bis mille trecenti equites, nec non mille quingenti pedites, quorum mille quadringenti caesi, quadringenti quinquaginta sauciati captive fuisse traduntur. Mirum videri possit, tantam multitudinem ab exiguâ illâ ***Manfredi*** manu superari potuisse; at vero inopinatus insidiatorum impetus, quorum numerus noctis umbrâ multo major, quam re verâ fuit, videbatur, effecit, ut terrore panico ***Bertholdi*** agmen corriperetur, magisque fugam, quam pugnam curaret. Hac jacturâ exercitus pontificius, qui adhuc ***Foggiae*** obsidebatur, in tantas angustias adductus est, ut illius dux, ***Octavianus***, quamvis invitus, pactionem cum ***Manfredo*** iniret eâ conditione, ut ***Manfredus*** suo atque ***Conradini*** nomine regnum teneret, exceptâ tamen ***Terrâ Laboris (Terra di Lavoro)***, quae ecclesiae Romanae adjudicata fuit. Factâ in hunc modum pactione, ***Manfredus Foggiae*** obsidionem solvit; neque tamen pactionem illam Pontifex M. ratam habuit [324]).

---

324) Nicol. dè Jamsilla histor. Frider. II, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 561 — 577.

§. CCXIII.

Ex iis, quae haetenus tradita sunt, adparebit, quanto usui ***Manfredo*** Arabes sui, maxime in bello, fuerint. Longum esset, singula enumerare certamina, in quibus illorum auxilio usus est; sufficiat monuisse, eum nullam fere rem, quae alicujus esset momenti, absque illorum subsidio gessisse. Quare merito statuas, ***Manfredum*** Arabum beneficio omnem potentiam suam debuisse; quam ad annum 1258 usque adeo auxit, ut, sparso per illud tempus rumore, ***Conradinum*** diem supremum obiisse, unanimi procerum regni consensu dignitatem regiam sibi vindicaret. Tantorum officiorum, ab Arabibus sibi praestitorum nequaquam immemor ***Manfredus*** fuit; verum, ad instar patris sui, indulgentissimum in homines illos sese praestitit. En ejus rei exemplum! Accidit anno 1257 (d. 28. Octobr.), ut custodiae regiae praefectus, Arabs, in ***Manfredi*** conspectu, equiti Neapolitano, ***Mazzeo Grillo***, pugnum impingeret; quam injuriam hic illico, redditâ alapâ, ultus est. Quo facto stipatores regii, Arabes, nec non Neapolitani ita accensi sunt, ut strictis gladiis in se invicem irruerent; et nisi regni proceres, qui ***Manfredum*** circumstabant, sese interposuissent, atrox facinus patratum fuisset. Sedato tumultu ***Manfredus Mazzeo*** manum dextram jussit amputari; neque nobiles Neapolitani, qui pro ***Mazzeo*** intercedebant, quidquam effecêre, nisi quod manum sinistram ***Mazzeo*** amputari ***Manfredus*** juberet. In Arabem, licet tumultus illius auctor fuerit, nil gravius statutum fuit, praeterquam quod ab officio amoveretur [325]).

§. CCXIV.

Ea ***Manfredi*** in Arabes propensio impedimento fuit, quo minus pax cum Pontifice summo conveniret. Taedebat jam Pontificem M. diuturni belli, neque a pace componendâ alienus erat, si postulatis suis ***Manfredus*** satisfacturus esset. Postulabat autem Pontifex M., ut ***Manfredus*** regni profugis bona ipsorum publicata restitueret, atque Arabes, religioni Christianae inimicissimos, e regni finibus exturbaret. Ad eam petitionem ***Manfredus*** re-

---

325) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1091.

spondit, profugis bona ipsorum sese non denegaturum, neque tamen Arabes e regno exturbaturum. Cujus consilii ratio facile intelligitur. Namque et indignissimum et periculosissimum fuisset, eos homines, quibus omnem potentiam suam ***Manfredus*** debebat, quibusque solis tuto confidere poterat, e regno expellere. Quod si factum fuisset, Pontifex M. populos Christianos, ***Manfredo*** subjectos, facili negotio ab eo alienare, eumque opprimere potuisset. Id probe intelligens ***Manfredus*** Arabes Lucerinos non tantum e regno non exturbavit, verum etiam, cum videret principes externos contra se a Pontifice summo excitari, novas Arabum copias ex Africâ evocavit; quae mense Majo anni **1260** ***Tarentum*** atque ***Hydruntum*** adpulerunt tanto numero, ut omnem provinciam Hydruntinam Barensemque implerent [326]).

§. CCXV.

Haud multo post (a. 1261) ***Alexander IV***, Pontifex M. diem supremum obiit; cui ***Urbanus IV*** in ecclesiae Christianae regimine successit. Qui cum Francogallus natione esset, populares suos in auxilium contra ***Manfredum*** vocavit. Morem gerunt Pontificis M. petitioni ***Guilielmus***, Antissiodori (Auxerre) episcopus, ***Richardus*** Vindocini (Vendome) comes, nec non ***Robertus***, Comitis Flandrensis filius; copiisque haud spernendis in Langobardiam irrumpunt, fusoque illic Gibellinorum, ***Manfredi*** amicorum, exercitu, ***Viterbium***, ubi Pontifex M. morabatur, veniunt. Illo tempore in finibus Campaniae Romanae Arabum agmen castra locaverat, graviterque provinciam illam adfligebat. Huic hosti Pontifex M. auxilia Gallica obviam misit; quae tanto impetu Arabes adorta sunt, ut horum vix aliquis caedem evasisset, nisi Comes ***Falco de Gesualdo*** cum tribus vel quatuor gravioris armaturae cohortibus subsidio laborantibus venisset. Cognitâ Gallorum illorum audaciâ atque fortitudine ***Manfredus***, habito cum militum ducibus consilio, optimum ratus est, copias suas retrahere, et regni fines, si forte hostes insequerentur, defendere. Neque tamen Galli ***Manfredi*** copias insecuti sunt; namque exortis Romae turbis eo se converterunt, ut Romanos,

---

326) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1095.

qui contra Pontificem M. rebellaverant, ad obsequium reducerent. Mox autem, cum pro officiis suis nulla stipendia acciperent, dilapsi domumque reversi sunt [327]).

§. CCXVI.

Ubi Pontifex M. Gallorum contra *Manfredum* expeditionem in irritum cecidisse videt, neque suis se viribus strenuum illum adversarium sustentaturum intelligit, majora molitur, Siciliaeque regnum extero principi, qui et *Manfredum* posset opprimere, et sedis Apostolicae revereri vellet auctoritatem, offerre statuit. Cum aliquamdiu incertus haesisset, cuinam partes illae essent deferendae, tandem *Carolum, Andegaviae comitem*, regisque Galliae, *Ludovici IX*, fratrem, eligit, eique Siciliae regnum eâ offert conditione, ut illud beneficii (feudi) nomine a sede Apostolicâ acciperet teneretque. Dum ea res inter utramque partem tractatur, *Urbanus IV* diem supremum obit, (a. 1264) inque ejus locum *Clemens IV* succedit. Is coeptum ab *Urbano* negotium prosequitur, emissoque a. 1265 edicto *Carolum Andegavensem* Siciliae regem pronuntiavit. Non latuerat *Manfredum*, quod Pontificem M. inter *Carolum*que tractabatur, negotium; igitur, ut illatae sibi a Pontifice M. injuriae poenas repeteret, Arabum Germanorumque agmen in *S. Petri* territorium immisit; qui civitatem *Sutrinam* occuparunt; quam tamen *Pandulfus*, Anguillariae comes, caesis maximam partem Arabibus, recuperavit [328]). Neque praeterea *Manfredus* quidquam intermisit, quod arcendo ab Italiâ *Carolo* necessarium videretur, quam vero curam irritam reddidit ingens tempestas, quae *Manfredi* classem, ad *Tiberis* ostia collocatam, disjecit; ita ut *Carolus* medios inter hostes adpelleret, *Romam*que perveniret (a. 1265).

§. CCXVII.

Quae hactenus sat florentes fuerant *Manfredi* res, *Caroli* in Italiam adventu subito in deterius mutatae sunt. Deficiunt ab illo quam plurimi

---

327) Matth. Spinelli Ephemerid. Neapol. Murat. S. r. It. t. VII, p. 1097—1099.

328) Supplementum ad Nicol. de Jamsilla hist. Murat. S. r. It. t. VIII,

Italorum, quos fidos sibi putaverat, vel animi inconstantiâ, vel imperii Germanici taedio; ita ut omne ejus praesidium nonnisi in Arabibus Germanisque positum esset. Contra, *Caroli* partes et Italorum et Gallorum concursu magis magisque in dies auctae sunt. Eo rerum suarum statu *Manfredus* optimum ratus est, initâ cum Carolo pactione rem componere; at vero *Carolus* propositam sibi pactionem rejicit, *Manfredi*que legatos his fere verbis dimittit: „Renuntiate *Luceriae Sultano*, me neque pacem, neque indutias cum eo facturum; sed brevi vel illum ad tartara, vel me in Paradisum missum iri [329]." Quo responso accepto *Manfredus* omnem curam in id intendit, ut *Caroli* exercitum a regni sui finibus arceret. Quod tamen consilium non ex voto successit. Namque *Sancti Germani* castrum, quod valido Arabum Germanorumque praesidio munitum erat, praeter exspectationem a *Caroli* exercitu impetu facto expugnatur; in quâ pugnâ omnes fere Arabes, quorum numerus ad duo millia, caeduntur. Accedebat ad hanc jacturam, quod *Casertae* comes, quem prope *Ceperanum Manfredus* locaverat, ut a *Gariliani* transitu hostes prohiberet, stationem suam perfidiose desereret; quo factum est, ut *Caroli* exercitus *Manfredo* superveniret, priusquam is omnes copias suas contraxisset [330].

§. CCXVIII.

Dum, nemine fere resistente, *Caroli* exercitus progreditur, *Manfredus* castra sua prope *Beneventum* constituit. Eodem et *Carolus* cum copiis suis tendit, brevique (d. 26. Febr. 1266) exercitus hostiles in conspectum

p. 592, 593; Sabae Malaspinae hist. l. II, c. 10, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 808, 809.

329) Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 179, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 1001; Giovanni Villani hist. Fiorent. l. VII, c. 5, Murat. S. r. It. t. XIII, p. 229.

330) Supplement. ad Nicol. de Jamsilla hist. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 601, 602; Sabae Malaspinae rer. Sicul. l. III, c. 4, 5, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 821, 822; Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 179, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 1001, 1002.

sibi veniunt. *Manfredi* exercitus quindecim millium numerum efficiebat, in quibus decem millia Arabum, arcu sagittisque maximam partem instructorum; reliqua copiarum pars ex Germanis Apulisque conflata. In *Caroli* exercitu, praeter Gallos, haud pauci Langobardi, Tusci, Romani Campanique militabant. Initium certaminis ab Arabibus factum; qui ingenti clamore in *Caroli* exercitum irruunt, missisque eminus telis quam plurimos vulnerant prosternuntque, donec ab equitatu hostili rejiciuntur. Laborantibus Arabibus Germani succurrunt, fortissimi bellatores, magnamque inter hostes stragem edunt. Quod ubi *Carolus* videt, robora exercitus sui Germanis objicit, cumque in modum illorum impetum frangit. Descendentibus deinde in certamen aliis post alia Gallorum agminibus, Germani quoque pelluntur. Fractis Arabum Germanorumque viribus, *Manfredus* Apulos, quos ipse ducebat, ad pugnam impulit; at vero homines perfidi obsequium recusant. Igitur *Manfredus*, ubi a suis proditum se videt, honestam mortem turpi anteponens fugae, medios in hostes irruit, et postquam acerrime dimicasset, multosque prostravisset, tandem confoditur. Hunc exitum habuit princeps, meliori sorte dignus, quem eximiae animi dotes, prudentia, fortitudo, humanitas literarumque amor ornabant [331]). Occiso *Manfredo* horrendum in modum a Gallis in exercitus hostilis reliquias saevitum fuit; donec nox finem caedi imponeret. In eâ pugnâ magnam jacturam Arabes fecerunt; quippe qui et magno numero certamini illi interessent, et acerrime cum hostibus confligerent [332]).

---

331) Egregium *Manfredi* ingenium praedicat *Dschemaluddinus* apud *Abulfedam*, referens, invenisse se principem illum ingenio excellentem, scientiarumque sublimiorum amantem; quod jam inde colligi possit, quod X *Euclidis* libros exacte calleret. Abulfedae Annal. Mosl. t. V, p. 146 text. Arab.

332) Supplement. ad Nicol. de Jamsilla hist. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 606, 607; Monach. Patav. Chron. l. III, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 726, 727; Sabae Malaspinae rer. Sicul. l. III, c. 10, Murat. t. VIII, p. 826, 827; Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 180, Murat. t. VIII, p. 1003, 1004; Chron. Parmens. Murat. t. IX, p.

Cap. XXV.

Arabes Lucerini Carolo repugnant, obsidentur, in speciem se subjiciunt. Conradinus contra Carolum proficiscitur, Arabes Siciliique rebellant, Conradinus a Carolo debellatur et capite plectitur. Luceria expugnatur, Arabes per Apuliam disperguntur, bello, inter Carolum II Jacobumque, Siciliae regem, gesto, intersunt, a Carolo II Italiâ exterminantur.

§. CCXIX.

Devicto atque interemto *Manfredo* omnes Apuliae Siciliaeque civitates *Caroli* imperio se subjecerunt. At vero Arabes Lucerini, qui, dum viveret *Manfredus*, fidissimi ejus sectatores fuerant, etiam eo interemto in illius fide eatenus perseverabant, ut *Caroli* dominationem aversarentur. Confugerant exercitus devicti reliquiae, Arabes maxime atque Germani, *Luceriam*, eamque urbem omnibus viribus contra novum dominum defendere statuerant. In eandem urbem et *Manfredi* uxorem, *Helenam*, cum filiolo *Manfredino* se recepisse, sunt, qui tradant [333]); cui tamen non videtur consentire, quod in *Clementis IV*, Pontificis M., literis, *Chronicis*que *Rheginis* legitur, Manfredi uxorem cum filiolo regioque thesauro in urbe *Manfredoniâ* captam fuisse. Quam narrationis diversitatem si quis velit reconciliare, statuat necesse est, *Manfredi* uxorem primum *Luceriam*, deinde *Manfredoniam* confugisse, eoque in oppido in victoris potestatem incidisse. Ut primum *Carolus* de *Luceriae* contumaciâ certior factus est, Comitem *Philippum de Monteforte* cum magnâ exercitus sui parte ad expugnandam urbem illam misit. At vero Arabes summâ cum contentione sese suosque defenderunt; ita quidem, ut exercitus hostilis dux intelligeret, vi atque impetu vix quidquam effectum iri. Igitur ab impugnandâ urbe destitit; neque

---

780; Descriptio victoriae per *Carolum* regem contra *Manfredum* obtentae, in Graevii et Burmanni thesauro antiquitt. Siciliae, t. V, p. 9—36.

333) Costanzo Istor. del regno di Napoli, in Collect. Scriptor. Neapol. t. III, p. 32; Giannone Istor. de regno di Napoli, l. 19, c. 4, p. 529.

tamen missam omnino fecit, verum artâ eam circumdedit obsidione, sperans absque sanguinis profusione, solâ commeatus angustiâ, Arabes ad deditionem coactum iri. Quinam obsidionis hujus fuerit exitus, haud una est historicorum sententia. Si *Giannonium* andiamns [334]), obsidio illa ad *Conradini* cladem usque perduravit, quo devicto captoque denique et *Luceria* capta fuit; contra alii [335]) contendunt, Arabes Lucerinos ante *Conradini* in Italiam adventum per speciem saltem *Carolo* sese subjecisse. Quae sententia propius ad veritatem accedere videtur. - Tradunt enim illorum temporum auctores, acceptâ de *Conradini* in Italiam adventu famâ, Arabes Lucerinos, qui aegre tantum *Caroli* dominationem ferrent, rebellasse, in loca circumjacentia incurrisse, eaque crudeliter depraedatos fuisse [336]). Jam vero si tempore illo Arabes Lucerini a *Caroli* exercitu obsidebantur, fieri vix potuit, ut in loca circumjacentia incurrerent, eaque depraedarentur. Quare admodum verisimile est, illos prius quam fama de *Conradini* in Italiam adventu percrebesceret, deditionem fecisse; postea vero, ubi spes adfulsit, *Conradinum* in regnum restitutum iri, denuo arma sumsisse [337]).

---

334) Istor. de regno di Napoli, l. c.

335) Fitz Clarence sur l'emploi des mercenaires Mahometans dans les armées Chretiennes, Journ. Asiat. 1827, t. II, p. 110.

336) Monachi Patav. Chron. l. III, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 728; Ricordano Malespini Istor. Fiorent. c. 190, Murat. t. VIII, p. 1011.

337) Ab iis, quae hactenus tradita sunt, discrepant, quae in descriptione victoriae, per *Carolum* contra *Manfredum* obtentae, leguntur. Namque descriptionis illius auctor tradit, Arabes Lucerinos, auditâ *Manfredi* clade, se cum omnibus *Manfredi* thesauris, quos ipsi adservassent, *Carolo* absque belli strepitu dedidisse; quinimo, ut novi domini gratiam sibi conciliarent, pretiosa auri argentique donaria addidisse; petiisse praeter vitae incolumitatem unum id, ne per vim a sacris suis distraherentur; ceterum, jubente *Carolo*, muros, turres aliasque urbis suae munitiones destruxisse. — Verum enim vero si jam tum temporis Lucerini omni praesidio atque munimento exuebantur, haud credibile est, eos sequenti anno tantos sumsisse spiritus, ut

§. CCXX.

Interea et cetera Apuliae Siciliaeque oppida, quae promtissimo animo *Carolo* sese subjecerant, durum ejus imperium aversari coeperunt. Jam statim post reportatam de *Manfredo* victoriam *Beneventum* militibus suis diripiendum dedit; deinde, ingentibus *Manfredi* ejusque sectatorum thesauris haud contentus, novis tributis aliisque oneribus Apulos Siculosque gravat. Quae novi domini duritia non potuit non amissi *Manfredi* vehemens excitare desiderium; ita ut supplementi ad *Jamsillae* historiam auctor, quamvis Guelforum partibus addictus, in haec verba erumpat: „O rex *Manfrede!* temet non cognovimus, quem nunc et ter etiam deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuae hujus regni; sed praesentis respectu dominii, quod de mobilitatis et inconstantiae more sub magnorum profusione gaudiorum anxie morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognovimus. Jam fuisse dulcia tuae potestatis mandata sentimus, dum alterius et majora gustamus. Conquerebamur frequentius nostram partem, partem in dominio tuae Majestatis adduci; nunc autem omnia bona, quod pejus est, et personas alienigenarum convertere debemus in praedam [338]).“ Eo rerum statu Apuli Siculique *Caroli* dominationem excutere moliuntur, eumque in finem *Conradinum* in Italiam invitant, ut ereptum sibi per *Manfredum Carolum*que imperium occuparet. Arripit *Conradinus* recuperandi imperii occasionem, et exeunte Octobri anni 1267 cum quatuor millibus equitum, peditumque aliquot millibus *Veronam* venit; quo in oppido per trium mensium spatium commoratus est, donec qui partibus ipsius favebant, congregarentur. Ut primum fama de *Conradini* in Italià adventu percrebuit, Arabes Lucerini contra *Carolum* rebellarunt, factisque in loca circumjacentia incursionibus, plures Apuliae atque Calabriae civitates exemplo suo in rebellionem traxerunt [339]). Quaesiveris, quid Arabes impulerit, ut posthabito

---

contra *Carolum* insurgerent, locaque circumjacentia incurrerent atque depraedarentur, quod tamen omnes uno ore testantur auctores.

338) Supplement. ad Jamsillae histor. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 609.

339) Chron. Cavense, Murat. S. r. It. t. VII, p. 928; Monachi Patavini

Carolo pro *Conradino* arma sumerent? In promtu est responsio: scilicet *Friderici II Manfredi*que sub imperio et domi et militiae in honore habiti fuerant Arabes, magnumque lucrum, maxime belli temporibus, fecerant; quae commoda si *Friderici* nepos, *Conradinus*, imperio potiretur, denuo se consecuturos sperabant. Contra *Carolus* Pontifici summo, cujus beneficio Apuliae Siciliaeque regnum obtinuerat, obstrictus deditusque erat. Jam vero Pontifex M. Arabes cane pejus et angue odio habebat; verendum igitur Arabibus erat, ne Pontificis M. impulsu a *Carolo* opprimerentur, vel sedibus suis exturbarentur. Quare haud mirandum, homines illos, ubi recuperandae pristinae suae dignitatis spes, *Conradini* in Italiam adventu, adfulsit, arma contra *Carolum* sumsisse.

§. CCXXI.

Eodem fere tempore, quo Arabes Lucerini Apuliam turbabant, et in Siciliâ seditio concitata fuit. Trajecerat *Conradus Capicius*, *Conradini* sectator, in Africam, ut a *Tuneti* rege auxilia ad juvandum *Conradinum* peteret. Illic *Fridericum*, regis Castellae, *Alphonsi X*, fratrem, invenit, qui, ut *Alphonsi*, quocum inimicitias exercebat, iram insidiasque vitaret, ad *Tuneti* regem confugerat. Cum illo *Capicius* consilia communicat, eumque in partes suas trahit. Adeunt *Tuneti* regem, auxilia ad invadendam Siciliam rogantes. Morem gerit potentibus rex, binasque naves cum quadringentis Arabibus, quibus ducenti Hispani totidemque Germani accedunt, illis committit. Cum his copiis in Siciliam trajiciunt, locisque aliquot expugnatis *Conradini* signa erigunt, famamque per insulam spargunt, principem illum propediem magnis cum copiis adfuturum, regnumque hereditarium occupaturum. Eo nuntio Siculi in tantum concitati sunt, ut omnes fere a *Carolo* deficerent, inque *Conradini* partes transirent [340].

Chron. I. III, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 728; Ricordano Malespini Istor. Fior. c. 190, Murat. t. VIII, p. 1011.

340) Supplement. ad Jamsillae hist. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 610—616; Monachi Patav. Chron. Murat. t. VIII, p. 728; Sabae Malaspinae hist. Murat. t. VII, p. 833, 837, 838.

§. CCXXII.

Dum Arabes Lucerini atque Tunetani Apuliam Siciliamque ad seditionem sollicitant, *Conradini* partes etiam in Italiâ superiori magis magisque in dies increscunt; ita ut probabile admodum videretur, *Carolum* a *Conradino* oppressum iri. At longe aliter, quam putabatur, res evenit. Postquam mense Januario anni 1268 *Conradinus Veronam* reliquisset, et haud procul *Aretio* agmen hostile fugasset, absque impedimento ad *Aprutii* fines usque cum exercitu progressus est. Propositum illi erat, Arabes Lucerinos, quos *Carolus* obsidebat, obsidione eximere, copiisque suis adjungere. At vero *Carolus*, accepto de *Conradini* adventu nuntio, *Luceriae* obsidionem solvit, exercituque hostili magnis itineribus obviam proficiscitur. Ad *lacum Fucinum* uterque exercitus vicesimâ secundâ mensis Augusti in conspectum sibi veniunt. *Conradini* exercitus ad triginta millia adscendebat; *Caroli* autem copiae vix dimidium illius numeri efficiebant. Postridie ejus diei ad certamen ventum est, in quo *Conradini* exercitus aliquamdiu superior visus fuit; ita ut milites Germani jam praedae faciendae intenti essent. Tum vero agmen exercitus hostilis ex insidiis, quas *Alardus de Valbero*, eques Gallicus, paulo ante e terrâ sanctâ reversus, locaverat, prorumpit, impetuque acerrimo Germanos adoritur fugatque. Mox universus *Conradini* exercitus disjicitur, ingentique clade adficitur. Effugit cladem hanc *Conradinus*; sed brevi post *Asturae* capitur, *Carolo*que traditur; cujus jussu d. XXVI. octobris anni 1269 *Neapoli* ad supplicium datus est [341]).

§. CCXXIII.

Devicto *Conradino Carolus* nil magis in votis habuit, quam ut Arabes Lucerinos fidissimos adversarii sui sectatores opprimeret. Igitur

341) Chron. Cavense in Murat. S. r. It. t. VII, p. 929; Monach. Patav. Chron. Murat. S. r. It. t. VIII, p. 728—730; Sabae Malaspinae hist. l. IV, c. 6—16, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 842—852. Ricordano Malespini Istor. Fior. c. 191—193, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 1012—1015; Giovanni Villani hist. Fior. l. VII, c. 24—29, Murat. S. r. It. t. XIII, p. 247—254.

Luceriam, cujus obsidio *Conradini* interventu interrupta fuit, denuo exercitu circumdat, summâque contentione, omnibusque, quae tum temporis in usu erant, machinis bellicis oppugnat. At vero Arabes probe gnari, tristissimam sortem suam futuram, si *Caroli* potestati atque arbitrio subjicerentur, mirâ pertinaciâ atque fortitudine urbem suam defenderunt. Verum cum longius protraheretur obsidio, fame tandem effectum est, quod vi effici non potuit. Tanta enim inter obsessos commeatûs inopia ingruit, ut herbis aliisque id genus rebus vescerentur. Tradit *Malaspina*, urgente fame, Arabes saepius ex urbe prorupisse, ut herbas ad vitam sustentandam colligerent. Illorum nonnullos a Gallis captos, alios vero caesos fuisse. Occisis aliquando immani curiositate ventrem dissectum, inque eorum intestinis nil nisi herbas repertas fuisse. Tantâ inopiâ Arabes *Lucerini* ad incitas redacti deditionem tandem fecerunt d. XXVII Julii anni 1269. Quos mitius, quam alioquin solebat, *Carolus* tractavit, sive illorum fortitudine, sive miseriâ commotus. Sed longe durius cum Christianis egit, qui *Luceriae* cum Arabibus deprehensi sunt; illos namque ad unum omnes obtruncari jussit. Credibile est, Christianos illos fuisse Germanos, qui *Conradini* partibus pertinacissime adhaererent, ipsosque etiam Arabes ad repugnandum incitarent. Ceterum *Luceriae* moenia aliaque munimenta everti, maximamque Arabum partem in alia loca transferri *Carolus* jussit, eo consilio, ut, dissipatâ illorum multitudine viribusque, in posterum nil possent moliri. Fuêre etiam tum temporis inter Arabes Lucerinos, qui, ut conditionem suam meliorem redderent, rejectis *Mohammedis* placitis, religionem Christianam amplecterentur [342]).

§. CCXXIV.

Ex illo tempore Arabes Lucerini quieti degunt, pensoque tributo rem publicam juvant. Interdum etiam in belli usum adhibentur; quod factum est anno 1289, cum Siciliae rex *Jacobus Cajetam* obsideret. Namque ut urbem illam obsidione liberaret, Carolus II ingentem exercitum congregavit,

342) Monachi Patav. Chron. l. III, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 731, 732; Sabae Malaspinae hist. l. IV, c. 20, Murat. S. r. It. t. VIII, p. 858.

in quo et Arabes Lucerini stipendia fecerunt [343]). Cum autem eorum numerus continuis bellis, maxime autem diuturnâ *Luceriae* obsidione, admodum imminutus esset, facile intelligas, illorum in bello operam jam non tanti fuisse momenti, quanti olim, *Friderici Manfredique* temporibus, fuerat. Nihilo tamen minus et in illo *Caroli II* exercitu singularem cohortem effecisse, inque primo agmine fuisse videntur. Cum enim Siculi *Caroli* castra adorirentur, prae ceteris in Arabes impetum dederunt; inde colligas, Arabes et singulare agmen effecisse, et proxime ab hostibus locatos fuisse [344]).

§. CCXXV.

Eo rerum suarum statu Arabes ad seculi decimi tertii exitum usque permanserunt, quo tempore a *Carolo II* penitus ex Italiâ exterminati fuère. Quibusnam causis *Carolus* ad id facinus permotus fuerit, haud una est virorum doctorum sententia. Tradit *Summontius* [345]), *Carolum*, celebratis filii sui *Caroli Martelli* exsequiis, expellendorum *Lucerid* Arabum consilium cepisse. Unde efficitur, *Carolum* filii memoriam pio aliquo facto celebrare voluisse. Si *Giannonium* audiamus [346]), eam propter causam *Carolus* Arabes *Lucerid* exturbare statuit, quod hominum illorum cum Christianis commercium religioni Christianae haud parum detrimenti adferret. Fortasse et annus jubilaeus, qui illo tempore per ecclesiam Christianam agebatur, ansam regi dedit, ut studium suum erga religionem Christianam exterminandis ex Italiâ Arabibus testari vellet. Uteunque res se habuerit, id certe constat, *Carolum* pio aliquo studio consilium illud inivisse. Igitur anno 1300 *Joannes Pipinus*, curiae regiae magister rationalis, *Luceriam* missus est, ut omnes inde Arabes exterminaret. Is ubi advenit, edici illico jussit, ut omnes Arabes vel Christianorum sacra amplecterentur, vel Italiae finibus excederent; quibus iussis si quis obtemperare nollet, occidi illum

343) Barthol. de Neocastro hist. Sicula, Murat. S. r. It. t. XIII, p. 1153.

344) Barthol. de Neocastro hist. Sicula, l. c.

345) Historia di Napoli, edit. II, t. II, l. III, p. 3511.

346) Istor. de regno di Napoli, l. XXI, c. 5, II.

à quocunque pro libito posse. Hoc edicto accepto, quam plurimi Arabum *Lucerià* Italiâque excedunt, inque Africam trajiciunt; alii Christianorum sacra per speciem quidem amplectuntur, verum animo *Mohammedis* placitis inhaerent. Horum posteros per multos annos ad Islamismum inclinasse, eamque propter causam *Marranos* (perfidos) adpellatos fuisse, refert *Summontius* [347]). *Pipini* autem, cujus operâ Arabes *Lucerià* exturbati fuêre,

---

347) Histor. di Napoli, edit. II, t. II, l. III, p. 354. — Quod ad etymon nominis *Marrani* adtinet, in diversas partes virorum doctorum abeunt sententiae. *Jos. Scaliger* nomen illud a *Marwano*, quarto ex Omajjidarum gente Chalifâ, originem traxisse existimat. Namque in opere, quod de *Emendatione temporum* scripsit, lib. VI, p. 623, edit. Colon. 1629, in hunc modum disserit: „In verbis Geographi Arabis fit mentio factionis *Marawaniun*. Sciant igitur studiosi, *Abaz* fuisse patruum *Muhammedis*, atque ejus progeniem et gentem dictam fuisse, dicique adhuc *Abaziun*. Ad eos jus Chalifatus pertinebat, utpote qui propius sanguine *Muhammedem* attingerent. Sed *Marawan* quidam primus Chalifatum ab illâ gente ad se et suos, qui *Marawaniun* dicti sunt, transtulit per tyrannidem, eoque nomine omnibus Muhammedanis in odio est nomen *Marawanin* ad hanc usque diem." — At vero fallitur doctissimus vir, ubi Chalifatum ab Haschemidarum gente, ad quam *Mohammed* pertinebat, *Marwani* operâ ad Omajjidas translatum esse adserit. Namque notissimum est, *Moawljae ben Abi Sofjan* operâ principatum Haschemidis ereptum, Omajjidisque vindicatum fuisse. Neque, quantum quidem compertum habemus, *Marwani* nomen Mohammedanis adeo invisum fuit, ut in opprobrium conversum sit. — Sunt, qui *Marranorum* cognomentum a vocabulis Aramaeis *Maran atha* (Dominus noster veniet) originem traxisse contendant. Quae vocabula cum in primâ *Pauli* ad Corinthios epistolâ, cap. XVI, v. 22, exsecrationem ἤτω ἀνάθεμα (detestabilis esto) sequantur, ipsa quoque a medii aevi scriptoribus in exsecrationem conversa sunt. Sic in *Guilielmi Alpherici* chartâ pro Hospital. Hierosol., ubi in ceteris haec leguntur: „si aliquis de heredibus nostris venerit, ut aliquid de dono suprascripto disrumpere voluerit, sit particeps cum *Judâ* traditore in inferno, et *anathema Maranatha*." Verum enim vero illa exsecrationis formula,

memoriam conservant actorum commentarii, in tabulario regio Neapolitano obvii, in quibus ad annum 1300 haec verba leguntur; *Joannes Pipinus de Barulo* miles, magister rationalis curiae, destinatus ad depopulationem *Luceriae*, cujus industriâ, coadjuvante divinae potentiae dexterâ, confusa est Saracenorum praecogitata nequitia, conculcata protervia, et ipsius terrae depopulatio subsequuta." Idem ejusdem viri factum praedicat etiam inscriptio, in illius lapide sepulcrali conspicua, in hunc modum:

Innumeris annis bonitas memoranda *Joannis*
Hujus *Pipini*, cujus laus consona fini
Spargitur accepta, grato dulcore referta.
Nobilium norma, virorum lucida forma,
Consilio pollens, procul et temeraria tollens,
Nunquam delira, regni directio mira,
Regum doctrina, jacet hic prostrata supina,
Criminibus munda, coelo potitura jucunda;
Per quem barbaricâ damnatâ gente subacta
Gaudet *Luceria*, jam nunc christicola facta.
Anno milleno tercentum duplice quino
Juncto cum seno, Augusti ter quoque deno [348]).

§. CCXXVI.

Exturbatis *Lucerià* Arabibus *Carolus* homines Christianos invitavit, ut in illorum locum succederent, urbemque frequentarent. Ut autem, quan-

etsi in literarum documentis haud raro adhibeatur, vix tamen in vulgi usum transiisse videtur. Jam vero cum *Marranorum* cognomentum Arabum Lucerinorum posteris procul dubio a vulgo inditum fuerit, haud videtur verisimile, cognomentum hoc a peregrinâ illâ exsecrationis formulâ, *Maran atha*, petitum fuisse. Crediderim potius, *Marranos* a *Mauris*, quasi *Mauranos*, dictos; sicuti ab eodem vocabulo et *Marrones, Maruci* atque *Morisci* adpellati fuère. Conf. Dufresne Glossar. ad scriptores med. et inf. Latinit. ad voces *Marani, Marrones, Maran-atha.*

348) Summonte hist. di Napoli, t. II, l. III, p. 355; Conf. Chron. Cavense, Murat, S. r. It. t. VII, p. 931.

tum posset, et memoriam Arabum Lucerinorum deleret, nomen quoque urbis immutavit, *Sanctamque Mariam* eam adpellavit. Imo etiam ne quid deesset, quod religionem Christianam promovere posset, templum magnificum illic exstruxit, magnisque opibus illud dotavit [349]). In hunc modum Italia Arabibus tandem liberata fuit; postquam inde a *Luceriae* occupatione per *sex* et *septuaginta* annorum spatium terram illam inhabitassent, magnasque in bellis res gessissent.

---

349) Giannone Istor. de regno di Napoli, l. XXI. c. 5, II.

Rerum

ab Arabibus in Italiâ insulisque adjacentibus, Siciliâ maxime, Sardiniâ atque Corsicâ gestarum

Liber Secundus.

Cap. I.

De Italiae insularumque adjacentium, Arabum sub imperio, praefectis. Quaeritur, an Siciliae Emiri insulam illam beneficii (feudi) nomine tenuerint?

§. CCXXVII.

Expositis libro priori rebus, quas Arabes in Italiâ insulisque adjacentibus inde a seculo nono ad decimum quartum usque seculum gesserunt, superest, ut, *quaenam terrarum illarum, Arabibus dominantibus, fuerit politia, quantumque populi illius dominatio ad indigenarum linguam, literas, mores, instituta, belli pacisque artes formandas valuerit,* dispiciamus. Igitur primo de ratione, quam in regendis provinciis illis Arabes secuti sint, agemus. Initium a Siciliâ facere liceat; quam insulam inter ceteras Italiae terras et diutissime tenuerunt, et studiosissime coluerunt Arabes. Jam superius (l. 1, c. 4.) memoratum fuit, occupatâ anno 835 ab Arabibus *Panormo,* populi hujus in Siciliam dominationem initium sumsisse. Eo tempore *Zejadat Allah,* Cairawani princeps, *Mohammedem ben Abdullah* primum Siciliae praefectum constituit, quem Arabes patrio sermone والي, *Wali,* dicunt. Quae dignitas etsi a principum Africanorum nutu penderet, tamen haud raro factum est, ut Arabes Siculi pro arbitrio suo praefectum sibi crearent, datisque postmodum ad Kairawani principem literis peterent, ut, quem ipsi elegissent praefectum, ratum haberet. Id quod evenit, ut cetera taceamus, defuncto *Mohammede ben Abdullah;* in cujus

locum Siculi ***Abbasum ben Alfadhl*** suffecerunt; quam electionem et ***Mohammed ben Alaghlab,*** quintus ex Aghlabidarum gente princeps, auctoritate suâ comprobavit [1]). Interdum tamen, qui a Siculis electi fuère praefecti, ab Africae principibus rejecti sunt. Exemplum habes in ***Mohammede ben Abilhosain,*** quem Siculi, occiso a servis suis ***Mohammede ben Chafadschah,*** praefectum sibi elegerunt; quam tamen electionem Africae princeps improbavit, substituto in ***Mohammedis Alhosaini*** locum ***Rabbacho ben Jakub*** Siciliae praefecto [2]).

§. CCXXVIII.

Quaenam praefectorum illorum fuerint jura, haud quidem ad unguem definiri potest; sed credibile est, eos ad Emirorum proxime accessisse auctoritatem atque potestatem. Emirorum autem officium, si *Mawerdium* audiamus [3]), septem maxime partibus continebatur. Namque primo eorum erat, exercitum ducere, ordinare atque sustentare; 2, judices constituere; 3, tributa atque vectigalia exigere; 4, Moslemorum sacra finesque tueri; 5, poenis exsequendis invigilare; 6, concionibus sacris praeesse; 7, illorum denique, qui ad loca religiosa peregrinabantur, comitatum ducere atque protegere. His atque similibus officiis et Siciliae praefectos vacasse crediderim. In rebus autem gravioribus, iis maxime, quae ad summam pertinent potestatem, a principum Africanorum auctoritate pependisse censendi sunt. Igitur pacem bellumve decernere, leges ferre, tributa imponere, numos procudere, praefectis illis nequaquam concessum. Ceterum munere illo alii per omnem vitam, alii vero ad tempus tantum fungebantur. Quodsi

1) Nowairii hist. Sic. c. 4.

2) Nowairii hist. Sic. c. 5.

3) *Abu Hasan Ali ben Mohammed ben Haleb Mawerdi,* anno Heg. 450, p. Chr. 1058, defunctus, scripsit inter cetera *Decretorum imperialium librum,* ad cognoscendam imperii Arabici politiam utilissimum. Ex illo libro plura depromsit vulgavitque doctissimus de *Hammer — Purgstall* in commentatione de provinciarum imperii Arabici administratione. Vide Commentationis laudatae p. 160 — 165, 175, 176.

quis officio suo minus satis faceret, procul dubio praefecturâ exuebatur. Accidit interdum, ut brevissimo temporis spatio plures Siciliae praefecti sese exciperent. Si *Nowairio* fides, intra triennii spatium, inde ab anno **871** ad annum **873** usque, septem praefectis Sicilia subdita fuit; quorum e numero duo, *Hosain ben Rabbach*, et *Abdullah ben Mohammed*, incertum quibus ex causis, dignitate suâ exuti fuerunt [4]). Frequentem illam tam brevi temporis spatio praefectorum mutationem haud minimum detrimenti Siciliae intulisse, non est, quod multis edisseramus, siquidem res in aperto posita.

§. CCXXIX.

Insequenti tempore Siciliae praefectis Emirorum nomen atque auctoritas adtributa fuit. Quonam anno id primum factum, non constat. Si *Martoranam* audiamus [5]); *Ismael Abu Taher Almansur*, tertius Fatimidarum e gente princeps, anno **947** *Hasanum filium Ali, Calbitam*, primum Siciliae Emirum constituit. At vero libri *Nochbat - ul - tawarich* auctor tradit, jam anno Heg. **267**, p. Chr. **880**, *Hasanum ben Abbas* ab *Ibrahimo Ahmedis filio*, nono ex Aghlabidarum gente principe, Emiri dignitate ornatum in Siciliam missum fuisse [6]). Utcunque vero res se habuerit, id certe constat, dignitatem illam in *Hasani Calbitae* familiâ hereditario quasi jure postmodum permansisse. Neque tamen existimes, constanti aliquo usu vel filium natu majorem, vel alium quem patris dignitatem excepisse; contra, pro arbitrio suo principes Fatimidae sive filium, sive fratrem, sive alium defuncti Emiri cognatum dignitate illâ ornabant. Quinimmo si quis suâ nixus auctoritate, inscio Africae vel Aegypti principe, Emiri dignitatem sibi vindicare vellet, factum est, ut expetito munere exueretur. Id quod *Dschabero Abulkasemi*, Siciliae Emiri, *filio* accidit; qui, cum occisi in bello patris dignitatem citra *Azizi*, Aegypti Chalifae, mandatum adripuisset,

---

4) Nowairii hist. Sic. c. 5.

5) Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. II, p. **15**, **16**.

6) Vide Hammeri Comment. de provinciar. imperii Arabici administratione, p. **66**.

dignitate illâ exutus fuit, suffecto in *Abulkasemi* locum *Dschafaro, Mohammedis filio*, Siciliae Emiro [7]). Sicuti ipsius Emiri designatio ab Africae principe pendebat, ita, si quando, absente Emiro, vicario opus esset, id quoque munus non ab Emiro, verum ab ipso principe conferri solebat. Quodsi Emirus inconsulto principe vicarium sibi sufficeret, nil obstabat, quo minus ea electio a principe abrogaretur. Exemplum habes in *Jaischo*, quem *Ahmed*, Siciliae Emirus, a principe *Moëzzo Ledin Allah* in Aegyptum missus, vicarium sibi suffecerat; quam tamen electionem *Moëzzus* rejecit, suffecto in *Ahmedis* locum fratre ejus, *Abulkasemo* [8]).

§. CCXXX.

Ex iis, quae hactenus de praefectorum Emirorumque Siculorum juribus officiisque disputata sunt, facile adparet, utrosque principum Africanorum nonnisi vicarios fuisse, neque Siciliam *beneficii* sive *feudi* nomine possidendam, sed provinciae instar administrandam accepisse. Neque tamen defuêre viri docti, qui Siciliae Emiros insulam illam *feudi* nomine possedisse, omniaque illa instituta feudalia, quae, *Normannis* Siciliam tenentibus, locum illic habebant, ab Arabibus profecta fuisse existimarent. In quem errorem maxime *Marci Dobelii Citeronis* culpâ inducti fuisse videntur, in cujus versione *Schehabuddini* Latinâ haec habentur: „Anno Heg. 336 (p. Chr. 947) rex *Almansur* dedit insulam Siciliae *in feudum Alhasano filio Ali f. Abi Alhoseini Alcalbitae.*" Quibus verbis *Schehabuddinus* in enarrandâ re illâ usus fuerit, haud quidem constat; siquidem Arabicum *Schehabuddini* exemplar, quod *Dobelius* versavit, intercidisse videtur. At vero *Schehabuddinum* de Siciliâ, *feudi* nomine *Hasano* traditâ, nequaquam

7) Schehabuddini hist. Sic. p. 61; Abulfedae annal. t. II, p. 450 text. Arab. — Auctoribus laudatis non consentit *Nowairius*, quippe qui *Dschaberum* ab *Azizo* omnino Emirum renuntiatum, verum exacto anno dignitate suâ exutum fuisse tradit. Nos *Schahabuddinum Abulfedam*que secuti sumus, quod luculentius *Nowairio* accuratiusque rem illam exposuisse nobis videntur.

8) Abulfedae annal. t. II, p. 448 text. Arab.

loqui potuisse, pluribus rationibus probari potest. Namque, quod primum est, neque *Chronici Cantabrigiensis* anctor, nequo *Nowairius* neque *Ebn Chaldun*, neque denique *Abulfeda*, qui *Schehabuddinum* ad verbum fere expressit, *feudi* ullam injiciunt mentionem; omnes illi auctores nil, nisi *Hasanum* Siciliae a *Mansuro* praefectum fuisse, tradunt [9]. Accedit, quod omnis imperii Arabici politia a *jure feudali* abhorrere videatur. Notissimum est, in Arabum republicâ summam potestatem (souveraineté) nonnisi penes principes, sive Chalifas, fuisse. Igitur pacem bellumve decernere, tributa imponere, numos procudere, et quidquid praeterea ad summam pertinet potestatem, praeter principem nemini fuit concessum. At vero longe aliter in illis regnis res se habebat, in quibus instituta feudalia locum habebant. Namque illic, praeter reges, et vasalli eorum summam exercebant potestatem; quippe qui intra ditionis suae fines leges ferebant, tributa imponebant, numos procudebant, bellaque pro arbitrio suo gerebant. Haud quidem infitiandum, nonnunquam et provinciarum imperii Arabici praefectos summae potestatis jura sibi vindicasse; quod tamen contra jus fasque factum, rebellionisque indicium existimatum fuit. Neque praeterea in Arabum institutis politicis quidquam reperitur, qnod *feudis*, inter popnlos Germanos usitatis, respondere videatur. Namque ea fundorum largitio, quam Arabes *Ektaa*, اقطاع, dicunt, a feudis omnino diversa fuit; siquidem fundi illi, quibus milites, aliive bene de republicâ meriti viri a Chalifis donabantur, non in omne aevum, verum ad vitae tantum tempus conferebantur; neque ex illâ donatione singulare aliquod officium aut praerogativa in beneficiarios redundabat; id qnod in feudis omnino evenit. Accedit, quod, teste *Makrizio*, Omajjidarum, Abbasidarum Fatimidarumque sub imperio Emiri, praefecti militesque ex reditibus publicis stipendia sua acciperent; neqne ante exitum quinti Heg. seculi fundis praediisque quisquam stipendii loco donaretur [10]. His rationibus, ni fallimur, sufficienter evincitur, *instituta*

9) Chron. Cantabrig. p. 49; Nowairii hist. Sic. c. 5; Ebn Khaldoun, p. 71 text. Arab. Abulfedae annal. t. II, p. 446 text. Arab.

10) Vide Hammeri comment. de provinciar. imperii Arabici administratione,

feudalia ab Arabum politiâ aliena fuisse; falso igitur adseritur, Siciliae Emiros insulam illam *feudi* nomine tenuisse, *institutaque feudalia*, quae postmodum illic obtinuerunt, ab Arabibus originem traxisse [11]).

§. CCXXXI.

Quod ad *Sardiniae Corsicaeque* regimen, dominantibus illic Arabibus, adtinet, in tantis tenebris, quibus antiquior utriusque insulae historia obruta est, vix quidquam certi statui potest. Si *Philippinum* audiamus,

---

p. **125 — 130, 192**; nec non de Sacy commentat. quae inscribitur: „Sur la nature et les revolutions du droit de propriété territoriale en Egypte, depuis la conquête de ce pays par les Musulmans jusqu' à l' expédition des Francois." Inest commentatio haec, in tres divisa partes, tomo I, V, et VII libri Histoire et Memoires de l' institut royal de France, plurimumque ad cognoscendam provinciarum imperii Arabici administrationem confert. Ex cujus commentationis parte secundâ sequentem *Makrizii* locum, a clariss. *de Sacy* Gallice versum, transscribere liceat. „Il faut savoir, que l' usage des Khalifes, tant Ommiades et Abbasides, que Fatemites, étoit de faire recouvrer les sommes provenant du *Kharadj*, et ensuite de les faire repartir par les bureaux de l' administration entre les emirs, les intendans et les gens de guerre, selon leurs rangs, et dans la proportion des droits, que lenr donnoient leurs emplois. Dans les premiers temps de l' Islamisme ce paiement de solde se nommait عطاء, *don*. Cette coutume n' éprouva aucune alteration jusqu' à l' époque des dynasties Persanes. Alors on abandonna cet usage, et les terres furent distribuées aux gens de guerre à titre *d' apanages* اقطاعات. Le premier administrateur connu pour avoir donné des apanages aux gens de guerre, c' est *Nizam-almulc Abou Ali Hasan ben Ali*, de Tous, vizir d' abord *d' Alp-Arslan*, fils de *Daoud* et arrière-petit-fils de *Seldjouk*, et après lui, de *Melic-schah* fils *d' Alp-Arslan*." Memoires de l' institut royal de France, t. V, p. 69.

11) Conf. Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. II, p. **23**, sequ.

Corsicam jam ad *Caroli Magni* usque tempora quinque reges Arabes tenuerant [12]). At vero jam superius (l. I. c. 3, not. 56) monitum fuit, omnem illam *Philippini* de Arabum in *Corsicâ* rebus gestis narrationem admodum suspectam esse. Credibile est, Arabes, ex quo in *Sardiniâ Corsicâ*que consederant, aliquamdiu nonnisi stationes militares in utrâque insulâ habuisse; unde et insulas ipsas invadere atque opprimere, et maria circumjacentia Italiaeque oras infestare atque diripere possent. Eo rerum statu tribuni militares summam potestatem in utrâque insulâ exercebant. Postquam autem Arabum in insulas illas dominatio stabilita fuit, procul dubio ordinarii provinciarum praefecti rem publicam administrabant. Certe *Sardiniam* vergente ad finem seculo decimo ab *Emiris* administratam legimus, qui ab Aegypti principibus pendebant [13]). Inter quos prae ceteris *Mugetus*, sive *Modschahed*, inclaruit, qui acerrime atque diutissime cum Pisanis de Sardiniae dominatione decertavit.

§. CCXXXII.

Italia ipsa ab Arabibus nunquam in provinciae formam redigi potuit. Omnis eorum in terrâ illâ dominatio stationibus aliquot militaribus, maxime iis, quas *Bari*, ad *Garilianum Fraxineti*que habebant, continebatur. Ex quibus stationibus agros vicinos oppidaque infestabant quidem atque diripiebant, neque tamen in potestatem suam redigebant. Igitur et stationum illarum rectores nonnisi homines militares erant; quibus vix alia cura, quam praedam ex finitimis agere, tributa victis extorquere, aliorumque e damnis lucrum facere. Seriori tempore, postquam Arabes, Siciliam incolentes, *Luceriam* translati essent, haud amplius sui erant juris; igitur et eorum praefecti domi militiaeque toti ab imperatoribus Germanis, et, cessante horum in Italiâ dominatione, a regibus Andegavensibus pendebant.

---

12) Filippini historia di Corsica, l. II, p. 47.

13) Mimaut histoire de Sardaigne, t. I, c. 24, p. 94.

Cap. II.

Quibus legibus Siciliae, Sardiniae Corsicaeque incolae, dominantibus Arabibus, paruerint, quibusve sacris addicti fuerint?

§. CCXXXIII.

Ad perspiciendam rationem, quam Arabes in regendis provinciis, de quibus agimus, secuti sint, haud parum confert nosse, quibus legibus provinciarum illarum incolae, dominantibus Arabibus, paruerint. Ut autem, quae valuerint leges, expediri possit, dispiciendum prius, quibusnam sacris homines illi addicti fuerint. Namque pro sacrorum diversitate et leges civiles diversae erant: qui *Mohammedis* placita sequebantur, juri Mohammedano obnoxii erant; contra qui *Christi* nomen profitebantur, patriis legibus institutisque utebantur. Ad Italiam ipsam omnis haec disquisitio non videtur pertinere. Cum enim in terrâ illâ Arabum dominatio nunquam stabiliri potuerit, neque *Mohammedis* sacra, neque leges civiles unquam illuc introducta fuerunt. Quaeritur igitur, quibusnam sacris *Siciliae*, *Sardiniae* *Corsicae*que incolae Arabum sub imperio addicti fuerint? Jam primum omnium satis constat, Arabes, etsi propagandi Islamismi studiosissimi essent, tamen et aliorum sacrorum cultores, Christianos Judaeosque intra imperii sui fines tolerasse. Lege quippe sancitum erat, ubi terram hostilem Moslemi invasissent, aliorum sacrorum cultores, priusquam impugnarentur, ad amplectendum Islamismum invitandos esse. Quodsi invitationi illi obsequerentur, ab hostilibus abstinendum; si vero recusarent, tributum illis imponendum; quod cum solverint, eandem atque Moslemis securitatem illis concedendam esse [14]. Igitur tantum non in omnibus imperii Arabici provinciis, maxime vero in Syriâ, Aegypto atque Hispaniâ, perquam multi inventi sunt, qui, licet Islamismus late illic dominaretur, vel Christianorum, vel Judaeorum sacris constanter inhaererent. Qui etsi haud raro graviter a Moslemis ve-

14) Codurii institutiones juris Mohammedani, ex edit. Rosenmülleri, p. 2. text. Arab.

xarentur atque adfligerentur, tamen interdum mitius etiam atque benignius habebantur. Unde conjicere possis, religionem Christianam et in *Siciliâ, Sardiniâ Corsicâ*que, dominantibus illic Arabibus, non omnino pessum datam fuisse. Cui conjecturae et auctorum accedunt testimonia, quae arguunt Christianorum sacra saltem ex *Siciliâ*, durante Arabum in insulam illam dominatione, non omnino exturbata fuisse. Namque, quod primum est, constat, non omnem Siciliam solâ armorum vi in Arabum potestatem redactam fuisse; quinimmo quam plurima insulae illius oppida nonnisi pactâ prius incolumitate Arabibus sese subjecisse. Compertum habemus ex *Nowairio* atque *Ebn Chalduno*, nobilissimam Siciliae urbem, *Panormum*, cum per quinquennium incassum ab Arabibus obsessa fuisset, pactâ *securitate*, بالامان, deditionem tandem fecisse [15]). Quatenus autem *securitas* illa pertinuerit, ex *Elmacini Makriziique* loco discimus, in quo traditur, occupatis ab *Omaro Hierosolymis*, urbis illius incolis *securitatis literas* concessas, earumque beneficio et ipsorum, et liberorum, uxorum, facultatum templorumque incolumitati cautum fuisse [16]). Quodsi ejusmodi literis etiam templis eorum, qui deditionem facerent, prospiceretur, ne aut violarentur, aut destruerentur, sequitur, et sacrorum suorum exercitium hominibus illis permissum fuisse. Credibile igitur est, et Panormitanis, et aliorum Siciliae oppidorum incolis, qui pactâ securitate deditionem facerent, sacrorum Christianorum exercitium ab Arabibus concessum fuisse. Haud quidem desunt, qui contendant, illam securitatis pactionem non semper ad sacrorum patriorum exercitium pertinuisse; quinimmo haud raro nonnisi a caede rapinisque pactione illâ victores prohibitos fuisse [17]). At vero si iis, qui pactâ securitate deditionem facerent, nonnisi vitae bonorumque incolumitas spondebatur, ceterum *Mohammedis* sacra obtrudebantur, pactione illâ omnino opus non erat. Namque eo ipso, quod *Mohammedis* sacra amplecterentur,

15) Nowairii hist. Sic. cap. 3; Ebn Khaldoun, p. 44 text. Arab.

16) Elmacini hist. Sarac. l. I, p. 28, ex edit. Erpenii, Makrizii hist. Coptor. Christianor. ex edit. Wetzeri, p. 88.

17) Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. II, p. 57.

ex legis praescripto et vitae et bonorum securitatem obtinebant [18]). Neque tamen contendimus, pactione illâ Christianos Siculos in omne aevum a Mohammedanorum injuriis defensos fuisse; contra haud inviti concedimus, invalescentibus magis magisque in Siciliâ Arabibus, et Islamismum latius in dies propagatum, et sacrorum Christianorum exercitium arctioribus finibus circumscriptum fuisse. Verum id omninó adfirmari posse existimamus, religionem Christianam, durante Arabum in Siciliam dominatione, vix unquam in eâ insulâ penitus exstinctam fuisse.

§. CCXXXIV.

Quodsi cui ex iis, quae hactenus disputata sunt, nondum persuasum sit, religionem Christianam in *Siciliâ*, etiam dominantibus illic Arabibus, sustentatam fuisse, omnem certe dubitationem tollet *Gaufredi Malaterrae*, auctoris gravissimi, testimonium. Namque is expressis tradit verbis, Normannos, cum Siciliam invasissent, in diversis insulae illius locis Christianos invenisse, eorumque auxilio in debellandis Arabibus adjutos fuisse [19]).

18) Codurii institut. juris Mohammedani p. 5 text. Arab. p. 3 vers. Lat., ubi inter cetera haec leguntur: „Si quis ex hostibus Islamismum complectitur, securitatem hoc ipso obtinet pro se, pro infantibus suis minorennibus, et pro omnibus suis opibus, sive sint in manu suâ, sive in manu Moslimi aut tributarii depositae."

19) Juvabit ipsa *Malaterrae* verba in medium protulisse, e quibus luce clarius adparebit, Normannis Siciliam invadentibus, in diversis insulae illius locis Christianos superstites fuisse. Libro II, cap. 14, p. 181, inter cetera haec quoque leguntur: „Inde ad *Fraxinos* perveniunt, (*Rogerius* atque *Robertus*) a *Fraxinis* ad *Maniaci pratum*. Hic Christiani in valle *Deminâ* manentes sub Saracenis tributarii erant. De Christianorum adventu gavisi illis ocurrerunt, multaque donaria obtulerunt." — Lib. II, c. 18, p. 183: „Mediâ vero hieme, intra natale Domini (*Rogerius*) cum 250 militibus iterum mare transiens, usque ad *Grigentinam* urbem totam patriam sollicitans, praedatum vadit. Christiani vero provinciarum sibi cum maximâ laetitiâ occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde *Trainam* adveniens, a Chri-

Et profecto nisi admittas, aliquam Siculorum partem Normannis favisse, auxilioque contra Arabes fnisse, vix intelligitur, qui factum sit, ut tam exigua Normannorum manus tantas opes, quantae Arabum Siculorum Afrorumque fuêre, frangeret, Siciliamque illis eriperet. Haud quidem desunt, qui contendant, Christianos illos, qui a Normannis, Siciliam invadentibus, in insulâ illâ inventi fuissent, nequaquam ex eo tempore, quo Sicilia ab Arabibus occupata fuit, verum nonnisi ex *Georgii Maniacis* in Siciliam expeditione, quae anno 1038 p. Chr. suscepta fuit, deducendos esse [20]). At vero desiderantur certa, quibus sententia illa probetur, documenta. Namque id, quod proferunt, argumentum, nullam videlicet ab auctoribus, qui *Maniacis* in Siciliam expeditionem memoriae prodiderint, Christianorum, tum temporis in insulâ illâ degentium, mentionem injici, facili negotio everti potest. Quaeritur enim, num necesse fuerit, ut, qui *Maniacis* in Siciliam expeditionem memoriae prodidêre auctores, Christianorum illic degentium mentionem injicerent? Quod si vix quisquam adfirmaverit, neque inde, quod Christianorum, *Maniacis* tempore in Siciliâ degentium, nulla injiciatur mentio, conjici potest, nullos omnino eo tempore Christianos illic superstites fuisse.

§. CCXXXV.

Quaenam religionis Christianae in *Sardiniâ Corsicâ*que, dominantibus illic Arabibus, fuerit fortuna, difficile est expedire. *Matthaejus* opinatur, etiam Arabum sub imperio plures in *Sardiniâ* superfuisse, qui religionem

stianis civibus, qui eam incolebant, cum gaudio susceptus intrat, proque velle suo ordinans, ibidem natale Domini celebrat." — Lib. II, c. 20, p. 183: „Comes *(Rogerius)* a *Catanâ Becumine* Saraceno per legatum arcessito, secum ducens *Petrelegium* obsessum vadit. Cives, ex parte Christiani, ex parte Saraceni, consilio invicem habito, pacem cum comite facientes, castrum seque ditioni suae dederunt." — Plura hujuscemodi proferre possemus, nisi jam haec ad probandam sententiam nostram sufficere existimaremus.

20) Martoranae Notizie storiche dei Saraceni Siciliani, t. II, p. 68—70.

Christianam sartam, tectam conservarent [21]). In quam sententiam nos quoque haud inviti transimus, licet fateamur necesse sit, deesse argumenta, quibus sententia ea ad liquidum perduci possit. Neque tamen poenitebit argumenta inspexisse, quibus *Matthaejus* opinionem suam commendavit. Jam quod superius monuimus, Arabes et aliorum sacrorum cultores intra imperii sui fines tolerasse, et *Matthaejus* in rem suam convertit, contenditque, cum in Palaestinâ, Africâ atque Siciliâ, dominantibus Arabibus, religio Christiana non penitus prostrata fuerit, idem et in *Sardiniâ* evenisse. Porro, omnibus seculis, etiam iis, quibus *Sardinia* Arabibus subjecta fuit, religionis Christianae vestigia in insulâ illâ deprehendi, adserit. Cujus rei haec fere profert exempla: 1, Medium post seculum nonum *Nicolaus I*, Pontifex maximus, cum rescivisset Sardiniae judices reliquosque incolas adeo corruptis esse moribus, ut consanguineas ducerent uxores, *Paulum*, Populoniae episcopum, et *Saxum*, coenobii *SS. Joannis Paulique* abbatem, in insulam illam legatos misit, ut ejus incolas ad meliorem frugem reducerent. Quorum monitis cum non obtemperarent homines illi, excommunicationis poenâ adfecti sunt. 2, Circa annum 891 quatuor in *Sardiniâ* obtinebant ecclesiae, *Calaritana* videlicet, *Turritana, Sulciensis* et *Phausaniensis*. 3, Ineunte seculo decimo, anno scilicet 902, *Benedictus IV*, Pontifex M., *Brunonem*, archipresbyterum Januensem, in Sardiniam Corsicamque misit sedis Apostolicae legatum. 4, Incunte denique seculo decimo primo *Hugo*, Marchio Massae, *Calari* praefuit, vir pietate insignis; quippe qui anno 1002 coenobio *montis Christi PP. Camaldulensium* possessionem quandam dono dedit. — Quodsi argumenta haec in examen vocemus, fateamur necesse est, nequaquam iis ad liquidum perduci, religionem Christianam, dominantibus in Sardiniâ Arabibus, in insulâ illâ sustentatam fuisse. Namque quod ad primum secundumque adtinet argumentum, haud immerito opponas, Sardiniam ante seculi noni exitum vix Arabum imperio subjectam fuisse; neque igitur inde, quod medium post seculum nonum Pontifex M. legatos in Sardiniam miserit, vel quod circa annum 891 quatuor ecclesiae

---

21) Matthaeji Sardinia sacra, p. 49, nro. XIV, XV.

in insulâ illâ obtinuerint, effici, religionem Christianam in Sardiniâ, dominantibus illic Arabibus, sustentatam fuisse. Quod tertio loco *Matthaejus* profert argumentum, literis nititur, quibus *Berlingerius*, Corsicae Sardiniaeque rex, donationes, coenobio *SS. Benedicti et Zenobii de Ilaria* olim a se factas confirmasse, novasque addidisse traditur. At vero si literas illas diligentius inspicias, magna exoritur suspicio, eas esse suppositilias. Namque licet annum nongentesimum prae se ferant, tamen qui eas exaravit tabellio *Sacri Imperii Notarium* sese dicit. At vero phrasis ea aeculo demum decimo tertio a tabellionibus recepta fuit; quippe qui praecedentibus temporibus *Sacri Palatii Notarii* dicebantur. Accedit, quod haud facile expedias, quisnam ille *Berlingerius* rex, Corsicae Sardiniaeque dominus, fuerit, cujus nomine literae illae exaratae perhibentur. An, quod *Muratorius* opinatur [22]), *Berengarius* aliquis, e Comitum Barcinonensium prosapiâ, ab *Alexandro III*, Pontifice M., Sardiniae Corsicaeque praefectus? — His rationibus inducimur, ut literas illas, quibus *Matthaeji* nititur argumentum, suppositilias existimemus. Quantum denique quarto *Matthaeji* argumento tribuendum sit, incerti haeremus. Namque eo ipso anno (1002) quo *Hugo*, *Calaris* praefectus, coenobio *montis Christi PP. Camaldulensium* possessionem quandam dono dedisse fertur, Arabes *Calarim* occupasse traduntur [23]). Quodsi donatio illa re verâ locum habuit, necesse est, ut priusquam *Calaris* in Arabum devenit potestatem, obtinuerit. Igitur jam tum *Calaris*, immo fortasse omnis Sardinia in Christianorum fuit potestate; quare perperam ex illâ *Hugonis* donatione conjicias, dominantibus in Sardiniâ Corsicâque Arabibus, religionem Christianam in insulis illis sustentatam fuisse. — Sed quamvis *Matthaeji* argumentis multa obloqui possis, tamen jam inde, quod Christiani ab Arabibus in Siciliâ, Hispaniâ, ceterisque imperii sui provinciis tolerati fuerint, colligi potest, et in Sardiniâ Corsicâque religionem Christianam, durante Arabum imperio, non omnino exstinctam fuisse.

---

22) Antiquit. Ital. t. II, p. 1066.

23) Breviar. hist. Pisanae, Murat. S. r. It. t. VI, p. 167.

§. CCXXXVI.

Excussâ jam quaestione, quibusnam sacris Siciliae, Sardiniae Corsicaeque incolae, Arabum sub imperio, addicti fuerint, facile est dijudicare, quibus legibus homines illi paruerint. Cum probabile admodum sit, alios *Mohammedis*, alios *Christi* placitis inhaesisse, sequitur, illos juri Mohammedano, hos vero patriis legibus obnoxios fuisse. Notissimum est, omnia Mohammedanorum jura, sive divina, sive humana, e quatuor potissimum fontibus, *Alcorano* videlicet, *Sonnd*, *Decretorum collectione*, quam اجماع dicunt, et *analogiâ*, قياس, derivari. De quibus juris Mohammedani fontibus uberius disserere, non est nostri instituti; neque tamen praetermittendum, jura legesque Arabum Siculorum aliquanto immutata fuisse tempore, quo Siciliae imperium a principibus Aghlabidis ad Fatimidas transiret. Cum enim Fatimidae, utpote Schiitarum sectae addicti, et *Sonnam* rejicerent, et in aliis quibusdam religionis capitibus a Sonnitis, sive orthodoxis Mohammedanis, discreparent, fieri non potuit, quin ea discrepantia et in legibus civilibus conspiceretur. Qui Siciliam, Sardiniam Corsicamque incolebant populi Christiani tempore, quo Arabes insulas illas occuparent, Graecorum, quorum tum parebant imperio, jure utebantur. Cujus juris fundamentum illi legum codices erant, quos imperator *Justinianus*, *Triboniani* maxime operâ, condiderat. At vero temporis successu legibus a *Justiniano* sancitis quam plurimae insequentium imperatorum constitutiones accesserant; quare *Basilius Macedo* novam legum collectionem instituit; quam tamen, morte praeventus, absolvere non potuit. *Basilii* inceptum filius ejus, *Leo*, cui philosophi cognomentum, ad finem perduxit; cujus jussu atque auctoritate anno 887 imperatorum decreta, quae rata habebantur, *βασιλικῶν διατάξεων* nomine, LX libris comprehensa atque vulgata fuêre [24]). Quae decretorum collectio, *Constantino Porphyrogenito* sceptra tenente, (a. 912) denuo recensita atque aucta, constanter postmodum in Graecorum judiciis adhibita fuit. Hoc ipso legum codice et Siciliae, Sardiniae Corsicaeque incolas Christianos,

---

24) Conf. J. M. Suaresii notitiam Basilicorum ex edit. Ch. F. Pohl, Lipsiae, 1804.

durante Arabum in insulis illis dominatione, usos fuisse, non est, quod dubitemus.

Cap. III.

De reditibus publicis, quos Arabes ex Italiâ insulisque adjacentibus percipiebant. Quibusnam oneribus, praeter tributi pensionem, Christiani terrarum illarum incolae obnoxii fuerint?

§. CCXXXVII.

Ut Italiae insularumque adjacentium conditio, durante Arabum in terris illis imperio, melius innotescat, haud ab re videtur, et redituum, quos Arabes ex provinciis illis percipiebant, mentionem injicere. Cum Italiam ipsam, ut jam superius monitum fuit, haud unquam in provinciae formam Arabes redegerint, vix alios inde reditus, quam qui ex praedâ tributoque imposito proveniebant, percipere poterant. At vero uberem praedae materiam Italia suppeditabat. Namque praeter oppida, pro temporum illorum ratione sat opulenta, in quibus *Beneventum*, *Neapolis*, *Salernum*, aliaque, etiam ditissimis terra illa abundabat coenobiis; quorum e numero *Cassinense* atque *Vulturnense* memorasse sufficiat. E quibus coenobiis oppidisque immensam haud raro praedae vim Arabes agebant [25]). In distribuendâ autem praedâ ea observata fuit ratio, ut, demtâ prius quintâ parte, reliquum militibus, qui praedam fecerant, adsignaretur; ita quidem, ut peditum singuli unam tantum portionem, equites vero binas acciperent. Quinta autem praedae pars, ex *Alcorani* praecepto, Deo, i. e. *Mohammedi* ejusque cognatis, orphanis, pauperibus atque peregrinatoribus debebatur [26]). Cum autem defuncto *Mohammede* in ejus locum Chalifae succederent, pauperum praeterea, orphanorum atque peregrinatorum sustentatio aerario publico

---

25) Annal. Bertin. ad a. 856, in Du Chesne Script. hist. Franc. t. III, p. 209; Erchemperti hist. Langob. c. XXIX, in Murat. S. r. It. t. II, P. I, p. 244; Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 404.

26) Alcorani cap. VIII, v. 42; Codurii institut. juris Mohammed. nro. XXXIV, p. 10 text. Arab.

incumberet, factum est, ut quinta illa praedae pars aerario publico postmodum cederet.

§. CCXXXVIII.

Praeter praedam, quam ex Italiâ Arabes agebant, magnam inde pecuniae vim e tributo imposito exigebant. Cujus rei cum multa in promtu sint exempla, unum tantum alterumve protulisse sufficiat. Devastatâ anno 862 ab Arabibus provinciâ Beneventanâ, *Adelgiso*, Beneventi principi, ut imminenti exitio populum suum eriperet, nil reliqui factum, nisi ut pacto tributo pacem redimeret datisque obsidibus ad solvendum justo tempore tributum sese obstringeret. Triennio post (a. 865), ab iisdem Arabibus opulentissimum *S. Vincentii ad Vulturnum* coenobium direptum fuit; cujus ut saltem aedificia ab incendio atque excidio liberarentur, tria aureorum millia hostibus soluta sunt. Eodem tempore eandem aureorum summam et coenobii *Cassinensis* abbas Arabibus obtulit, ut florentissimum illud coenobium ab injuriis tutum redderet [27]). Quae in hunc modum exigebantur tributa, absque deminutione in aerarium publicum illata, et sustentandis magistratibus ceterisque rei publicae ministris impensa fuêre. Neque tamen defuere inter Mohammedanorum jurisconsultos, qui contenderent, quintam tributorum illorum partem Chalifarum fisco adsignatam, reliquas quatuor partes in aerarium publicum illatas fuisse [28]).

§. CCXXXIX.

In Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque, quas insulas in provinciae formam Arabes redegerant, haud eadem, atque in Italiâ, redituum publicorum fuit ratio. Jam superius monitum fuit, insulas illas, dominantibus Arabibus, partim a Moslemis, partim a Christianis inhabitatas fuisse; quae incolarum diversitas in constituendis tributis atque vectigalibus haud parvi momenti fuit. Quae a

---

27) Erchemperti hist. Langob. c. XXIX, Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 244; Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 203.

28) Vide Hammeri comment. de provinciar. imperii Arabici administratione, p. 118.

Christianis, in Moslemorum terris degentibus, exigebantur tributa, sive vectigalia, duplicis maxime erant generis, siquidem alia ad personam ipsam, alia ad fundos spectabant. Illa in Arabum sermone جزية, *dschezjat (capitis census)*, haec خرج, *chardsch*, sive خراج, *charadsch*, dicebantur [29]. Capitis censum ab iis, qui a *Mohammedis* placitis abhorrerent, exigendum esse, jam in *Alcorano* praecipitur [30]. Neque tamen censui illi obnoxiae erant mulieres, infantes, mutili, coeci, pauperes, qui operi faciendo impares essent, monachique, qui ab hominum consortio secreti degerent [31]. Quanti census ille in anni spatium aestimatus fuerit, Mohammedanorum jurisconsulti non consentiunt. Ex *Abu Hanifae* sententiâ opulentiores quadraginta octo dirhemos pendebant; qui mediocris essent conditionis quatuor et viginti, pauperiores denique duodenos tantum dirhemos [32]. Sed credibile est, pro temporum, locorum hominumque diversitate et censum capiti impositum diversum fuisse. In Turcarum imperio ex *Abu Hanifae* sententia quicunque capitis censui obnoxii sunt, in tres referuntur classes; eâ quidem lege, ut, qui primae sunt classis, duplo majorem pendant summam, quam ii, qui ad secundam pertinent classem; secundae porro classis cives duplum ejus solvant pecuniae, quae tertiae classis hominibus imposita est.

---

29) Observandum, Turcis nostrâ aetate capitis censum vulgo *Charadsch* dici; quae tamen significatio nonnisi serioribus temporibus vocabulo illi tributa fuit.

30) Cap. IX, v. 29, ubi haec leguntur: „Impugnate illos, qui in Deum diemque extremum non credunt, neque interdicunt, quod Deus cjusque legatus interdixit, neque verae religioni addicti sunt, ex eorum numero, quibus codex sacer concessus fuit, donec *capitis censum* (الجزية) solverint, seque omnino subjecerint."

31) Codurii instit. juris Mohammed. nro. XLIX, p. 15 text. Arab.

32) Hammeri comment. de provinciar. imperii Arabici administratione, p. 115, 116; Codurii instit. juris Mohammed. nro. XLVII, p. 14, text. Arab.

§. CCXL.

Alterum tributi genus, quod a Christianis exigi solebat, ad fundos spectabat, Arabibusque *Charadsch* dicebatur. Id quoque tributum Arabum jurisconsulti ex *Alcorani* effatis deducere voluerunt; licet in eo loco, ad quem provocant, vix de tributo sermo esse videatur [33]). Exigebatur autem tributum hocce ex omnibus fundis, quos in Moslemorum terris Christiani Judaeive possidebant vel colebant; quinimmo vel tum, cum fundorum illorum possessores sive cultores Islamismum amplexi essent, tributum illud pendere tenebantur [34]). Neque tamen lege definitum erat, quantum pro singulis jugeribus solvendum esset; verum pro diversâ agrorum naturâ atque fertilitate et tributum diverso modo constituebatur. *Omarus* in nonnullis terrae *Sowad* regionibus a *Dscharibo* dirhemum, in aliis a *Kafizo* eandem summam exigebat. *Othman ben Ahnaf* ejusdem terrae *Dscharibo*, vitibus consito, X dirhemos, *Dscharibo* palmifero VIII dirhemos, saccharifero VI, *Dscharibo* pratorum uvidorum V, siccorum denique IV dirhemos tributum imposuit [35]). Quodsi vero ager tributarius aquarum proluvie obrueretur, aut aliud cujuscunque generis detrimentum segetes acciperent, tribu-

33) Cap. XXIII, v. 74, ubi haec habentur: „Num petes ab iis (infidelibus) sustentationem, خرجا, at vero sustentatio, خراج, domini tui optima est; ipse enim optimus largitor.“ In hoc loco interpretando in diversas sententias Moslemorum abeunt doctores. Alii vocabulis خرج, خراج, *praemii* significationem tribuunt; alii vero utrique vocabulo *tributi* notionem inesse contendunt. Neque desunt, qui inter خرج et خراج id discrimen intercedere statuant, quod illud *servitutem fundo inhaerentem*, hoc vero ipsum *fundum* denotet. At vero orationis nexus aperte docet, utrique vocabulo nonnisi *praemii* sive sustentationis significationem convenire.

34) Codurii instit. juris Mohammed. nro. XLIV, p. 14 text. Arab.

35) Hammeri comment. de provinciar. imperii Arab. administrat. p. 121.— Ex sententiâ *Ebn Dschamaat Kafizus*, قفيز, decem *Dscharibis*, جريب, *Dscharibus* decem *Kassabis* quadratis, قصبة, *Kassabus* vero sex ulnis continetur.

tum remittebatur. Neque tamen ea indulgentia locum habebat, si quis sponte suâ agri culturam negligeret [36]).

§. CCXLI.

Quae hactenus recensuimus tributi genera, a Christianis Judaeisve, qui Moslemorum incolebant terras, exigebantur. Ipsi autem Moslemi neque capitis, neque fundorum aliquem censum, praeter decimam proventuum partem pendebant. Quodsi vero Moslemus ab homine Christiano vel Judaeo agrum tributarium redimeret, tributum, quod agro illi jam ante impositum fuerat, etiam Moslemo pendendum erat; quo tamen facto decimarum pensio cessabat [37]). Omnes igitur agri, quos Moslemi vel a principio tenuerant, vel armorum vi Christianis Judaeisve eripuerant, suumque in usum converterant, nonnisi decimarum pensioni obnoxii erant; contra qui belli jure in Moslemorum potestatem devenerant Christianorum Judaeorumve agri, verum initâ pactione pristinis dominis concessi fuerant, tributo subjecti erant; licet postmodum vel in Moslemorum venirent possessionem, vel pristini illorum domini, Christiani Judaeive, ad Moslemorum sacra transirent.

§. CCXLII.

Expositis diversis tributorum generibus, quae vel a Moslemis, vel a Christianis, in illorum terris degentibus, pendebantur, haud ab re videtur, reliquorum quoque onerum, quae his ab illis injungebantur, brevem injicere mentionem. Ex *Mawerdii* sententiâ, quae, praeter tributi pensionem, Moslemis a Christianis Judaeisve debentur, duodecim maxime capitibus continentur, quorum sex priora مستحقّ, *digna*, posteriora vero مستحبّ, *grata*, dicuntur. *Officia digna* haec fere sunt: 1, ne infideles *Alcoranum* irrideant, vel aliquo modo corrumpant; 2, ne *Mohammedem* mendacii arguant; 3, ne Islamismum conviciis prosequantur; 4, ne uxores Moslemas ducant; 5, ne quem a Mohammedis placitis alienum reddant; 6, ne Mos-

36) Codurii instit. juris Mohammed. nro. XLIII, p. 13 text. Arab.

37) Codurii instit. juris Mohammed. nro. XLV, p. 14 text. Arab.

lemorum hostibus auxilium ferant. In officiorum *gratorum* numero habentur: 1, ne infideles iisdem atque Moslemi vestimentis utantur; 2, ne illorum aedificia Moslemorum aedes altitudine superent; 3, ne campanarum, aut vocis in librorum sacrorum recitatione sonus audiatur, neve *Esrae* aut *Messiae* mentionem publice injiciant; 4, ne publice vinum potent, aut carne suillâ vescantur, neve cruces spectandas exponant; 5, ne defunctos publice efferant, aut neniis prosequantur; 6, ne denique equis camelisve, verum asinis mulisve vehantur [38]). Enumeratis a *Mawerdio* Christianorum Judaeorumque erga Moslemos officiis plura alia addi possunt, quae a *Codurio* in *juris Mohammedani institutionibus*, *Sejjido*que *Ali Hamadanensi* in libro qui *thesaurus regum* inscribitur, recensentur. Ex horum auctorum sententiâ Christianis Judaeisque vetitum erat, in Moslemorum terris nova templa condere [39]), Moslemorum nomina adsciscere, arma annulosque signatorios gestare, idololatrarum vestitu uti, aut illorum mores prae se ferre, domos in Moslemorum viciniâ, aut servos Moslemos emere, mortuos denique suos prope Moslemorum sepulcra sepelire [40]). Quodsi quis leges hasce, Christianis Judaeisve Moslemorum terras incolentibus, impositas perpenderit, fateatur necesse est, conditionem illorum duram admodum fuisse. At vero haud raro legum atrocitas liberali principum ingenio mitigata fuit.

§. CCXLIII.

Sed tempus monet, ut ad Siciliam, Sardiniam Corsicamque revertamur. Cum insulas illas, dominantibus Arabibus, Moslemi Christianique promiscue incolerent, haud dubitandum, quin reditus publici maxime triplici

---

38) Hammeri comment. de provinciar. imperii Arab. administr. p. 116, 117.

39) Si *Sejjidum Ali Hamadanensem* audiamus, Christianis Judaeisve et nova condere templa, et collapsa restituere vetitum erat. Sed probabilior *Codurii* sententia, qui templa vetusta, ruinam minantia, restaurari posse contendit.

40) Codurii instit. juris Mohammed. nro. LII, LIII, p. 15 text. Arab. Excerpta e Sejjidi Ali Hamadanensis thesauro regum ex edit. Rosenmülleri, p. 20 — 23 text. Arab.

illo tributi genere, capitis scilicet fundorumque censu decimisque continerentur. Quanti fundorum capitisque census in insulis illis quotannis aestimatus fuerit, haud quidem constat; sed credibile est, pro diversâ fundorum naturâ, diversisque hominum facultatibus, ipsum quoque censum diversum fuisse. Quinimmo diversis etiam temporibus diversa utriusque census ratio fuisse videtur. Certe in Aegypto, exacto trium et triginta annorum spatio, fundorum censns in examen vocabatur, et, si opus videretur, immutabatur [41]). Quod ad reliqua adtinet onera, quibus Christiani, in Mohammedanorum terris degentes, obnoxii sunt, facile intelligas, ea pro diverso ingenio praefectorum, qui Siciliam, Sardiniam Corsicamve moderabantur, modo leviora, modo graviora fuisse. In universum Christianos, insulas illas Arabum sub imperio incolentes, mitius a dominis suis habitos fuisse crediderim, eam maxime propter causam, quod verendum erat Arabibus, ne, si durius tractarentur Christiani, cum internis externisque hostibus, qui, imminente Italiâ, praesto semper aderant, dimicandum esset. Si *Scrofanium* audiamus, Siculi saltem Christiani admodum liberaliter ab Arabibus habiti fuère; ita quidem, ut non solum templis atque sacerdotibus suis libere uterentur, verum etiam ecclesiarum bona atque jurisdictionem intactam retinerent [42]). Quae opinio, quantum ad ecclesiarum pertinet peculium, licet in dubium vocari possit, tamen in ceteris haud improbandis nititur rationibus. Haud quidem diffitendum, nonnunquam in Christianos terrarum illarum incolas misere ab Arabibus saevitum fuisse; id quod in Siciliâ in *Syracusarum* expugnatione, et in Sardiniâ, devicto a Pisanis, anno 1016, Sardiniae Emiro, *Modschahedo*, evenit [43]). Verum, quae ab hominibus irâ percitis atrocia committuntur facinora, non pro agendi normâ in universum esse habenda, nemo est, qui non videat.

---

41) de Sacy Sur la nature dn droit de propriété territoriale en Egypte, Memoires de l'institut royale de France, t. V, p. 68, 69.

42) Serofani della dominazione degli stranieri in Sicilia, discorso II, p. 117.

43) Theodosii epistola de Syracusar. expugnatione, in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 257—265; Chron. Pisan. Murat. S. r. It. t. VI, p. 108.

§. CCXLIV.

Superest, ut dispiciamus, quaenam Arabum in Siciliâ Italiâque, dominantibus illic Normannis principibusque Germanis atque Andegavensibus, fuerit conditio. Ea autem pro diverso principum illorum ingenio diversa fuit. Expugnatâ per Normannos Siciliâ, *Rogerius* Arabes initio, ut animum eorum frangeret, durius habuisse videtur. Tradit enim *Nowairius*, cum nulli Moslemorum balneum, officinam, molam furnumve reliquisse [44]). Mox autem, ut hominum illorum utilitatem cognovit, liberalius tractare eos coepit, suisque institutis, moribus sacrisque uti concessit; dummodo in fido manerent, tributumque sibi impositum penderent. Laetior adhuc, *Rogerio II* sceptra tenente, Arabum Siculorum fuit conditio. Cum enim bellicosissimi ingenii princeps ille esset, fieri non potuit, quin Arabes, homines fortissimos, maximi faceret. Quapropter *Nowairius* summis laudibus *Rogerium II* prosequitur. Institisse eum, ait, vestigiis principum Moslemorum, comitate atque benevolentiâ insignium; constituisse tribunal, quo Moslemi injuriâ adfecti querelas suas deferrent; quinimmo cum Moslemos Christianis potiores habuisse, eâque re illorum benevolentiam mirum in modum sibi conciliasse [45]). In deterius Arabum Siculorum res imbecillo utriusque *Guilielmi* imperio mutatae sunt. Cum enim principes illi rem publicam parum curarent, omnia seditione turbisque repleta sunt; quo rerum statu Christianorum in Arabes odium quam saepissime exarsit, multaque damna hominibus illis intulit. Laetior denuo Arabibus fortuna adfulsit *Friderici II* atque *Manfredi* temporibus. Notissimum est, principes illos contra summorum Pontificum potentiam maxime Arabum suorum ope se sustentasse; quare non potuêre, quin fidissimos sibi auxiliatores maximi aestimarent. Cujus rei insigne exhibet testimonium *Dschemaluddinus*, Sultani Aegypti, *Bibarsii*, ad *Manfredum* legatus, qui, summo in honore Arabes a *Manfredo* habitos, eorumque sacra in Christianorum castris publice celebrata fuisse, praedicat [46]).

---

44) Nowairii hist. Sic. c. XI, p. 26, in Gregorii collect.

45) Nowairii hist. Sic. c. I.

46) Abulfedae Annal. Moslem. t. V, p. 148 text. Arab. Reinaud extraits

Translato a principibus Germanis ad Andegavenses Siciliae Neapolisque imperio, omnis Arabum in Italiâ gratia atque auctoritas cessavit. Cum enim principes Andegavenses a Pontificibus Romanis penderent, quibus Arabes invisissimi mortalium essent, facile intelligas, nonnisi tristissimam horum fuisse conditionem, donec, *Carolo II* sceptra tenente, Italiâ penitus exturbarentur [47]).

Cap. IV.

De agrorum culturae, opificiorum, artium atque mercaturae in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque, dominantibus illic Arabibus, conditione.

§. CCXLV.

Quaenam agrorum culturae, opificiorum, artium atque mercaturae in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque, durante Arabum imperio, fuerit conditio, inter viros doctos non omnino convenit. Sunt, qui contendant, insulas illas, vel saltem Siciliam, Arabibus dominantibus, florentissimo statu fuisse [48]); contra alii ab Arabibus vastatas adeo atque pessum datas existimant, ut ex illo tempore ad nostram usque aetatem vires suas haud unquam recipere potuerint [49]). Verum enim vero qui graviter adeo Arabes criminantur, si Hispaniae, dominantibus illic Arabibus, conditionem considerassent, vel si *Benjamini Tudelensis* itinerarium evolvissent, aliter profecto statuissent. Constat enim inter omnes, Hispaniam vix unquam laetius, quam Arabum sub imperio effloruisse; et si *Benjaminum Tudelensem*, qui seculo decimo secundo in itineribus suis Siciliam quoque adivit, audiamus, insula illa

---

des historiens Arabes, in Michaudii biblioth. expedit. cruciat. P. IV, p. 482.

47) Fitz Clarence Memoire sur l'emploi des mercenaires Mahometans dans les armées Chrétiennes, in Ephemeridibus Asiaticis (Journal Asiatique) a. 1827, t. XI, p. 111, 112.

48) Signorelli vicende della coltura nelle due Sicilie, t. II, p. 122.

49) Leonis hist. Italiae, sermone Germanico conscripta, t. I, p. 265.

19

tum temporis omni bonorum genere abundabat; maxime autem urbis *Panormi* territorium fontibus, rivis, hortis, pomariis aegetibusque mirum in modum repletum erat [50]). Quod si vero Sicilia adeo ab Arabibus vastata fuisset, ut ad nostram usque aetatem vires suas haud potuerit recipere, qui fieri potuit, ut, elapso vix seculo, ex quo Arabum imperium in Normannos transierat, *Benjaminus* florentissimum insulae illius statum deprehenderet? Contra nulli dubitamus adfirmare, Siciliam, haud secus atque Hispaniam, nunquam laetius, quam Arabum sub imperio floruisse.

§. CCXLVI.

Quamvis Arabes, utpote gens bellicosissima, belli magis, quam pacis artibus delectarentur, tamen, ubi pacem agitabant, haud dedignabantur et agris colendis, et opificiis incumbere. Neque satis habebant, eas tantum arbores plantasque, quas jam in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque offenderunt, coluisse; verum etiam nova arborum plantarumque genera ex Africâ Asiâque insulis illis inferebant. Certe in Siciliam *arundinem sacchariferam* introduxerunt; quae tanto olim cum successu in insulâ illâ colebatur, ut non tantum indigenarum sufficeret necessitatibus, verum etiam in alias terras deportaretur, magnoque Siculis quaestui esset. Seculo decimo quinto arundo illa sedulo adhuc in Siciliâ colebatur; unde eodem tempore et in insulam Maderam transplantata fuit. Nostrâ aetate utilissima illa planta in Siciliâ fere evanuit. Praeter arundinem sacchariferam Arabes et *gossypium ornum*que in Siciliam introduxerunt. Quinimmo et *palmam dactyliferam* vel primi in insulâ illâ sevisse, vel coluisse saltem videntur. Hujus quoque arboris, quae in Africâ Asiâque maximi semper habita fuit, omnis cultura nostrâ aetate in Siciliâ intermittitur. Tacemus frumenti et reliquarum ejus generis frugum culturam, quae certe florentissima fuit; neque tamen oleam silentio praeterire possumus, quam tanto studio Arabes Siculi coluerunt, ut omnis fere insula arbore illâ repleta fuerit [51]).

50) Benjamini Tudelensis Itinerarium, in sermonem Gallicum conversum a Jo. Phil. Baratier, t. I, c. XXIII, p. 240.

51) Scrofani della dominazione degli stranieri in Sicilia, p. 119; Hageri

§. CCXLVII.

Eodem studio, quo agrorum culturae Arabes Siculi incumbebant, et opificia artesque coluisse videntur. Inter opificia prac ceteris ***sericorum textrina*** nobis memoranda, quam et primi in Siciliam introduxerunt Arabes, et mirum in modum excoluerunt. Haud quidem nos fugit, tradi ab *Ottone Frisingensi*, sericorum textrinam, *Rogerio I* in Siciliâ regnante, circa annum 1146, Graecorum opificum beneficio in insulam illam illatam fuisse [52]). At vero celebratissimum illud imperatorum Germanicorum pallium, quod ab Arabibus Siculis confectum esse constat, annum Heg. 528 (1133 p. Chr.) prae se fert; unde efficitur, sericorum textrinam Arabibus Siculis cognitam atque exercitam fuisse priusquam Graeci illi opifices, quos *Otto Frisingensis* memorat, in Siciliam transveherentur. Splendidissimum autem textrinae illius monimentum, ex quo intelligas, quantam operam excolendis opificiis Arabes Siculi navaverint, laudatum illud exhibet pallium, quod inter imperatorum Germanicorum insignia *Norimbergae* adservatur. Pallium hocce ab Arabibus, qui Siciliam, dominantibus illic Normannis, incolebant, regi *Rogerio I*, ad testandum obsequium, anno 1133 p. Chr. oblatum fuit. Est autem sericum, rubri coloris, opere Phrygio, lapidibus pretiosis atque margaritis ornatum, pedes quatuor, undecimque pollices dimidiumque longum. Quae in pallio conspicitur pictura textilis, leones duos exhibet, totidem camelos, stratis ornatissimis tectos, dilacerantes. Quae imago significare videtur, Arabes, quorum symbolum procul dubio camelus, Normannorum regibus, quos leones repraesentant, subjectos esse. Superiorem palii marginem, quae collo jungitur, aeque atque inferiorem, quae pedes adtingit, limbus circumdat, pollices quatuor dimidiumque latus. Inferior limbus, pedes sedecim novemque pollices longus, inscriptionem Arabicam, literis Cuficis, vel Karmaticis acu pictam exhibet. Ex quâ inscriptione intelligitur, pallium illud

---

libellus, sermone Germanico conscriptus: Nachricht von einer merkwürdigen literarischen Betrügerei, p. 45.

52) Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici I, l. I, c. 33, in Murat. Scriptt. r. It. t. VI, p. 668.

in regis honorem, in Siciliae metropoli, anno Heg. 528 (1133 p. Chr.) confectum fuisse [53]). Jam vero si pallium illud, imaginesque atque literas, quas exhibet, acu pictas, diligenter inspicias, fatearis necesse est, Arabes Siculos non solum texendi, verum etiam acu pingendi artem felicissimo cum successu excoluisse. Haud aliter etiam de ceteris, quae ab Arabibus Siculis tractabantur, opificiis statuendum videtur. Certe et fundendorum metallorum haud mediocrem illis fuisse peritiam, vasa aënea, inscriptionibus Arabicis ornata, arguunt, quae magno numero in Siciliâ inveniuntur.

§. CCXLVIII.

Quantum in *architecturâ* atque *sculpturâ* Arabes Siculi profecerint, magnificentissima testantur aedificia, quorum reliquiae nostris adhuc temporibus supersunt. Longum esset, omnia architecturae Arabicae monimenta, quae in Siciliâ habentur, recensere; sufficiat, duorum tantum aedificiorum mentionem injecisse, quae et structurâ, et nomine originem Arabicam produnt. Utrumque in *Panormi* viciniâ situm; alterum *Cubae*, alterum *Zisae* nomine insignitum. Utriusque palatii descriptionem exhibet *Facellus,* quam partim ex auctoribus antiquioribus, partim ex ipso palatiorum illorum adspectu

---

53) Inscriptionis illius explicatio virorum doctorum, *Schulzii*, *Casirii*, *Tychsenii,* haud parum exercuit ingenia. Felicissime in illo negotio *Tychsenius,* universitatis Rostochiensis olim professor, versatus esse videtur. Cujus interpretatio hunc in modum audit: „Hoc est aliquid de eo, quod confectum est pro dignitate regiâ, quae illustretur felicitate, comitate, famâ, perfectione, vitae duratione, beneficentiâ, affabilitate, facilitate, clementiâ, humanitate, magnificentiâ, decore, adsecutione securitatis, divitiis, faustis diebus ac noctibus, sine imminutione et sine vicissitudine, nec non cum virtute, votorum complemento, conservatione, tutelâ et fortunâ, salute, victoriâ rerumque copiâ. In metropoli Siciliae, anno octavo et vicesimo et quingentesimo. Conf. de Murr Journal zur Kunstgeschichte und zur allgem. Literatur, t. X, p. 318 — 374; t. XV, p. 238 — 336; ejusdemque auctoris Inscript. Arab. in infimâ fimbriâ pallii imperialis; Rosarii Gregorii rer. Arabicar. Collect. p. 172 — 175.

hausit. Haud ab re erit, ipsius verba in medium protulisse. Is igitur de palatio, cui *Cubae* nomen, in hunc modum disserit: „Palatio pomarium extra urbis *(Panormi)* moenia, quâ occidentem spectat, adhaerebat, ambitûs passuum millium ferme duorum, Parcum, h. e. circus regius, adpellatum. In quo horti amoenissimi omnis generis arborum consitionibus aquisque perenniter irrigantibus luxuriabant. Habebant quoque hinc atque inde viridaria, lauro et myrto redolentia. Medium locum ab ingressu ad extremum usque porticus tendebat una, sed longissima, sacellis testudinatis, ex omni parte patentibus, ad delicias regum orbiculari opere exstructis, frequens, quorum unum adhuc integrum restat. Piscina erat ingens in medio, in quâ vivi pisces coërcebantur, antiquo, quadrato ingentique lapide mirâ crassitudine instructa; quae hodie incorrupta est, aquasque solum et pisces requirit. Imminebant, veluti et hucusque ei incumbunt, aedes ad solatia regum magnifico opere conditae, cum incisis ad verticem literis Saracenicis, quarum interpretem hactenus reperire non potui. Ex unâ hujus pomarii parte, ne quid regii luxûs deesset, animalia omnis fere tum ad voluptatem, tum ad palati delicias ferini generis abunde nutriebantur. At ea omnia collapsa sunt hodie, ac privatis vinetis et hortis occupata. Pomarii tantum ambitus ob id, quod maxima murorum pars inviolata pene permansit, dilucide discerni potest. *Cubam* eum locum, ut olim, ita et nunc Saracenice Panormitani vocant [54])." — Quod *Zisae* nomine insignitur palatium, in hunc modum a *Fazello* describitur: „Pomario huic *(Cubae)* ad quingentos circiter passus hortus alter regius erat proximus, cui Saracenice *Zisa* nomen adhuc est, domesticarum arborum fructibus, et aquarum etiam perpetuis scaturiginibus irriguus. Quo loco aedes etiamnum restant lapide quadrato, candidoque marmore ac porphyrite, vermiculatoque et musivo superbo nimis opere tument, Saracenorum opus, quantum ex Saracenicâ superius inscriptione, et ipsâ quoque structurâ judicari potest, ad regum secessus, latebrasque voluptarias exstructum, omnibus, quae in Italiâ hodie sunt, regiis structuris facile comparandum [55])." — Quodsi magnificam hanc utriusque

54) Fazellus de rebus Siculis Dec. I, l. VIII, p. 330.
55) Fazellus l. c. p. 331.

aedificii imaginem, quae ex *Albertii* descriptione Italiae [56]) multum augeri posset atque exornari, intuearis, fateare necesse est, Arabes Siculos in architecturâ, sculpturâ, opere musivo, ceterisque id genus artibus plurimum profecisse.

§. CCXLIX.

Qui tanto cum successu agrorum culturae, opificiis artibusque operam navabant Arabes Siculi, non potnêre, quin et *mercaturae* sedulo incumberent. Dominantibus in Asiâ Abbasidis, in Africâ Aghlabidis atque Fatimidis, Arabes Asiatici Africanique in universum plurimum mari pollebant, commerciumque amplissimum exercebant. Neque illorum in Siciliâ populares eâ in re vinci se passi sunt; verum et ipsi omnes maris mediterranei oras navibus mercibusque suis lustrabant. Frequentissimum autem cum Amalfitanis, Neapolitanis, Cajetanis Pisanisqne commercium Arabes Siculi exercebant. Neque tamen satis habebant honesto modo lucrum quaerere; verum etiam *piraticam* faciebant; in quo negotio maxime a Neapolitanis juvabantur; quippe qui et praedam a piratis factam redimebant, et perfugium illis praebebant [57]).

---

56) Leonardus Alberti aedificia illa anno 1526 invisit, et luculentissimam illorum descriptionem exhibuit in opere, quod inscribitur: Descrizione dell' Italia ed Isole adiac. Sicil. Art. Palermo, p. 47—49. — Quod ad aedificiorum illorum adtinet nomina, *Cuba* et *Zisa*, alterum ab Arabicâ voce قبة, *opus concameratum*, derivandum videtur, alterius vero origo minus certa. Doctiss. *de Hammer — Purgstall*, in Commentatione de provinciarum imperii Arabici administratione, p. 67, *Zisae* nomen ex vocabulo *Moisie*, vel *Asisije* corruptum, palatiumque illud in honorem *Moisi*, vel *Asisi*, Aegypti Chalifarum, ita adpellatum fuisse existimat. Alii *Zisam* ab Arabico عزيز, *aziz, eximius, incomparabilis*, deducere malunt. Probabile omnino videtur, *Zisae* nomen a vocabulo *aziz* originem traxisse; etsi vix definiri possit, utrum ad Chalifae Fatimidae *Nezar Abu Mansur* cognomentum *Aziz Billah*, an ad *praestantiae* notionem in universum, quae vocabulo illi inest, respectum fuerit.

57) Vide Ludovici II epistolam ad Basilium, Graecorum imperatorem,

§. CCL.

Quaenam agrorum culturae, opificiorum, artium atque mercaturae in Sardiniâ Corsicâque, Arabum sub imperio, fuerit conditio, certa cum desint documenta, ad liquidum quidem perduci nequit; at vero quantum conjecturâ adsequimur, nulli dubitamus adfirmare, artes illas in provinciis hisce nequaquam ad eum florem pervenisse, quem in Siciliâ obtinuisse constat. Namque ut agrorum cultura, opificia, artes atque mercatura feliciter procedere possint, diuturnâ opus est pace; verum Sardiniam Corsicamque Arabes neque per tantum temporis spatium, neque tantâ pace atque securitate tenuerunt, quantâ Siciliam possederunt. Multo minus in Italiâ artes illae ab Arabibus per seculi noni, decimi undecimique decursum tractari poterant; illic enim per ea tempora omnes fere res armis gerebantur, neque Arabes civium quietorum sedulorumque, verum militum ferocium, quinimo saepissime praedonum partes sustinebant. Postquam seculo decimo tertio stabiles *Luceriae* sedes obtinuerunt, omnino et agrorum culturae opificiisque vacare licuit; verum et illa tempora adeo turbida fuêre, ut major honos, majoraque praemia belli quam pacis artibus essent, quare et illas diligentius quem has Arabes Lucerini exercuerunt.

Cap. V.

De literarum artiumque liberalium in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque, durante Arabum imperio, conditione.

§. CCLI.

Ut literarum artiumque liberalium in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque conditio, dominantibus in insulis illis Arabibus facilius dijudicari possit, haud ab re videtur, de literarum apud Arabes in universum conditione Abbasidarum, Aghlabidarum Fatimidarumque sub imperio breviter disserere. Tempore, quo principes Omajjidae rerum summae praeessent, literarum ar-

---

a. 871 datam, in Anonymi Salernit. Paralip. cap. **106**, Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. **252**.

tiumque liberalium studiis parum ab Arabibus tributum fuit. Neque id adeo mirum; cum enim continuis bellis animi distraherentur, coeco praeterea atque immoderato religionis studio occuparentur, fieri vix potuit, ut literarum studiis, quae religioni officere, animosque enervare putabantur, locus concederetur. Postquam autem universus fere oriens in Arabum concessisset potestatem, ingentesque divitiae, quae ex devictorum populorum tributis profluebant, in principum aulâ primum, deinde in procerum domibus luxuriam provocassent: tum et artium atque scientiarum, earum maxime, quae ad vitae pertinent commoditatem, studiis campus apertus fuit. Quae rerum immutatio illo evenit tempore, quo summa imperii ab Omajjidis ad Abbasidas transiit. Jam secundus ex Abbasidarum gente Chalifa, *Abu Dschafar Almansur* literarum studiis non tantum favisse, verum etiam strenuam operam navasse fertur [58]). Inter praeclara facinora, quibus egregius ille princeps immortalem nominis famam consecutus est, praeprimis hoc loco commemorandum, quod, condito *Bagdado,* magnificis ludis literariis urbem illam exornaverit, et, convocatis undique terrarum viris doctis, effecerit, ut *pacis sedes*, مدينة السلام, quo cognomento urbem insignivit, simul et *Musarum domicilium* esset. Idem etiam, a medicis Syris edoctus, omnem scientiam ex veterum Graecorum monimentis hauriendam esse, *Georgio, Bachtischuae* filio, vertendorum in linguam Arabicam librorum Graecorum negotium injunxit [59]). Quod *Almansur* in juvandis promovendisque literarum studiis praeivit exemplum, imperii heredes *Harun Arraschid, Almamun, Alwathek, Almotawakkel* aliique secuti sunt. Quantum *Harun Arraschid* viris doctis delectatus fuerit, quantâ gratiâ, quantisque beneficiis eosdem cumulaverit, discas ex *Fachruddino Arrazaeo,* quippe qui referat, nullius Chalifae in aulâ tantam virorum doctorum, poëtarum, jurisconsultorum musicorumque turbam visam fuisse, quanta in *Harunis* aulâ confluxerit, neminemque mortalium liberaliorem illo atque munificentiorem fuisse [60]). Magno parente

58) Abulfaradschii hist. dynast. p. 246 text. Arab. 160 vers. Lat.

59) Ebn Abi Osaibea in Georgii Bachtischuae vitâ, cod. mscr. biblioth. Palat. Vindob. fol. 78.

60) Fachruddin Arrazi in de Sacy Chrestom. Arab. ed. 1, t. 1, p. 3, 5, 9, 10.

haud minor, imo, si literarum promovendarum studium respicias, major, omnibusque Arabum principibus anteferendus *Harunis* filius, *Almamun;* qui eâ maxime re optime de literarum studiis meritus est, quod auctorum Graecorum, medicorum inprimis atque philosophorum, scripta in sermonem Arabicum transferri curaverit [61]). Ex eo tempore omnes fere, quae apud Graecos olim floruerant, scientiae, maxime vero medica, mathematica atque philosophia ab Arabibus excultae fuerunt.

§. CCLII.

Haruno Arraschido sceptra tenente (a. 800) *Ibrahim ebn Alaghlab* in Africam missus fuit, ut provinciae illius praefecturâ fungeretur: Hunc virum et genus, et insignes animi dotes, fortitudo, doctrina atque eloquentia commendabant [62]). Quibus virtutibus brevi tantum consecutus est, ut, deposito praefecti officio, summam imperii arriperet, Africaeque principem se gereret. Ejus beneficio ea in artes liberales scientiasque propensio, quae jam in Asiâ inter Arabes excitata fuit, in Africam quoque translata est; et licet ipse, donec dominationem suam stabiliret, multis laboribus bellisque implicatus esset, tamen haud unquam desiit, scientias artesque et colere et protegere [63]). Neque inter *Ibrahimi* successores, quamvis non omnes magno illi viro similes essent, literarum amor studiumque evanuerunt. Credibile est, et *Ibrahimi* filium natu minorem, *Zejadat Allah*, literarum

---

61) Abulfaradschii hist. dynast. p. 246, 247 text. Arab. 160 vers. Lat. Ebn Abi Osaibea in vitâ Honaini ben Ishak, f. 116; Cfr. etiam Comment. nostram de auctor. Graecor. versionibus et commentariis Syr. Arab. Armen. Persicisque, p. 13 — 16, 24 — 29.

62) Ebn Alchatib Chron. regum Aghlabidar. et Fatimidar. in Gregorii Collect. p. 93.

63) Cardonne histoire de l'Afrique et de l'Espagne sous la domination des Arabes, t. II, p. 6, quo in loco haec fere leguntur: „*Ibrahim,* malgré les guerres, qu'il eut à soutenir, et les embarras inseparables du gouvernement, protégoit les sciences, et les cultivoit lui même avec beaucoup d'ardeur. Il excelloit surtout dans la poësie."

amatorem patronumque fuisse; quippe quem *Ebn Alchatib* principem *vere inclytum* dicit [64]). Illo sceptra tenente Sicilia ab Arabibus expugnata fuit; cui insulae *Zejadat Allah Mohammedem ben Abdullah ben Alaghlab*, virum sibi cognatum, praefectum constituit. Hujus filius, *Ahmed ben Abilaghlab* haud mediocrem in literarum studiis consumsit operam, multaque ingenii sui documenta, teste *Arrazaeo*, et stricto et soluto sermone prodidit [65]). Haud aliter et reliqui Aghlabidae erga literarum studia adfecti fuisse videntur; quorum e numero *Ebn Alchatib* maxime *Ahmedem ben Abilabbas*, ejusque fratrem atque successorem, *Abu Mohammed Zejadat Allah*, laudibus effert [66]).

§. CCLIII.

Aghlabidarum in Africâ imperium anno post Chr. n. 908 ad Fatimidas transiit. Hujus gentis principes, unum alterumve si excipias, fortitudine, aequitate atque magnificentiâ haud exiguam nominis celebritatem consecuti sunt. Praeter illas, quae jam Aghlabidarum imperio paruerant, terras, et Aegyptum Syriamque in suam redegerunt potestatem, quarum terrarum ex reditibus ingentes accumularunt thesauros. Quare haud mirandum, terrâ marique magnas ab illis res gestas, classes sumtuosissimas instructas, urbesque amplissimas conditas fuisse; in quibus *Mahadia*, *Mansuria*, Aegyptique caput, *Kahira*. In tantâ Fatimidarum opulentiâ atque magnificentiâ et literarum studiis honorem suum fuisse, facile est intellectu. Inter ceteros gentis illius principes *Moëzz Ledin Allah* promovendis literarum studiis egregiam operam navavit. Is enim exstructâ *Kahirae* basilicâ, cui *florentis* cognomentum, جامع ازهر, scholas illic aperiri, jurisque praeprimis disciplinas tradi jussit. Maxime autem Fatimidarum in literarum studia propensionem amplissimi illi librorum cumuli testantur, quos, exstincto, anno 1171, Fatimidarum imperio, *Salahuddinus* in principum illorum thesauris invenit. Si *Almakrizio* fides, codicum, quos Fatimidae collegerant,

64) Chron. regum Aghlabidar. et Fatimidar. in Gregorii Collect. p. 93.

65) Casirii Biblioth. Arab. Escurial. t. II, p. 36.

66) Chron. regum Aghlabidar. et Fatimidar. p. 94.

numerus ad *centum millia* adsurgebat, omnesque elegantissime exarati atque compacti erant [67]). Quae *Almakrizii* narratio licet aliquantulum videatur exaggerata, tamen documento esse possit, literarum studia a principibus Fatimidis magni aestimata et liberalissime promota fuisse.

§. CCLIV.

Jam vero cum principes Aghlabidae atque Fatimidae tam propenso in literarum studia essent animo, credibile est, studia illa et in terris, principum illorum imperio subjectis, laetius effloruisse. In Siciliâ certe scientias artesque liberales haud mediocriter ab Arabibus excultas fuisse, plura sunt, quae testentur. Haud quidem diffitendum, in librorum thesauris, qui in Siciliâ adservantur, paucissimos nostrâ aetate haberi codices Arabicos, eosque ipsos ex Hispaniâ in Siciliam invectos esse. Neque tamen inde conjicias, ab Arabibus Siculis omnino nullos codices posteris relictos fuisse. Crediderim codices Arabicos in Siciliâ maxime ab illis hominibus, quibus conservandae pure religionis Christianae cura demandata fuit, (quos *inquisitores* vulgo dixêre) sublatos fuisse. Licet autem codices Arabici in Siciliâ interciderint, haud tamen literarum Arabicarum omnino desunt monimenta; in quibus inscriptiones atque diplomata sermone Arabico exarata. Notissimum est, per omnem Siciliam magnam inscriptionum Arabicarum vim dispersam inveniri. Conspiciuntur inscriptiones illae vel in aedificiis, vel in cippis sepulcralibus, vel etiam in vasibus aliàque supellectili, et haud

67) Vide Renaudotii Hist. Patriarchar. Alexandrinor. p. 526, ubi inter cetera haec leguntur: „Erat autem (in Fatimidarum thesauris) ingens rerum omnium copia, aulaeorum, peristromatum, vestium generis omnis, vasa ex auro argentoque innumera, crystallina item et murrhina non minoris pretii, gemmae, uniones, smaragdus palmi et dimidii longitudine, rubinorum majorum, qui drachmarum Aegyptiacarum septemdecim pondus aequabant, linea, unio insignis, ovi columbini magnitudine. Tandem, quod non minoris aestimabatur, bibliotheca voluminum centum mille elegantissime scriptorum et compactorum, quae doctoribus literatisque distribuenda curavit.

raro elegantissimo charactere Cufico vel Karmatico exaratae sunt [68]). Praeter inscriptiones illas, in tabulariis, maxime ecclesiarum, quam plurima habentur diplomata, quae, licet jam Normannis in Siciliâ dominantibus exarata sint, tamen sermone Arabico conscripta sunt. Cujus rei causa inde repetenda, quod Arabes propter solertiam suam multarumque rerum peritiam a principibus Normannis in familiaritatem adsciscerentur, gravissimisque saepe officiis honorarentur. Si *Hugonem Falcandum*, auctorem temporibus illis aequalem, audiamus, regii maxime cubiculi redituumque fiscalium cura Arabibus demandari solebat. Quod si fiebat, haud mirandum, diplomata, quibus regiae continebantur donationes, sermone Arabico exarata fuisse. Inde etiam efficitur, literarum studia ab Arabibus Siculis haud mediocriter tractata atque exculta fuisse.

§. CCLV.

Sed multo magis, quam inscriptiones atque diplomata, literarum in Siciliâ florem, durante Arabum imperio, testantur viri docti ex insulâ illâ exorti; quorum lucubrationes partim vel ad nostram aetatem superarunt. En illorum, qui nobis innotuerunt, recensum, secundum elementorum ordinem dispositum:

Abduldschabbâr ben Abi Bekr ben Mohammed ben Hamdîs Alazdi Assikili insignis poëta, vergente ad finem seculo decimo primo et ineunte seculo decimo secundo clarus. Expugnatâ a Normannis Siciliâ cum magnâ popularium suorum turbâ e patriâ discessit, inque Hispaniam commigravit. Quod exilium hisce luget versiculis:

ذكرت صقلية والاسى
يجدّد للنفس تذكارها
فان كنت اخرجت من جنّة
فانّى احدّث اخبارها

68) Inscriptiones Arabicas, in Siciliâ obvias, collegit et versione Latinâ notisque illustratas edidit *Rosarius Gregorius* in rerum Arabicarum, quae ad historiam Siculam spectant, collectione, p. 137 — 191.

ولولا ملوحة مآء البكآء
حسبت دموعى إنهارها ✩

Reminiscor Siciliae moerorque
Renovat animo memoriam ejus.
Licet exturbatus sim ex paradiso,
Tamen praedico famam ejus;
Et nisi salsa esset aqua fletûs,
Putarem lacrymas meas rivulos ejus (Siciliae).

Diem supremum obiit in insulâ Balcari majori, anno Heg. 527, p. Chr. 1133 [69]).

Abularab Mosab ben Mohammed ben Abilforât Alkoraischi Azzobairi Assikili anno Heg. 423, p. Chr. 1032, natus, ingenio poëtico tantam consecutus est existimationem, ut a ***Motamedo ben Abbâd,*** Hispalis principe, in Hispaniam invitaretur, quingentis donatus aureis, quos in itineris necessitates impenderet. Neque tamen ***Motamedi*** votis morem gessit, metum praetexens, ne in itinere a Christianorum navibus interciperetur. De quâ re ad ***Motamedum*** inter ceterâ et hosce versiculos scripsit:

لا تعجبنّ لراسى كيف شاب اسى
واعجب لاسود عينى كيفْ لم يشب
البحر للروم لا يجرى السفين به
الاّ على الغرر والبرّ للعرب ✩

Ne mireris caput meum, quo modo incanuerit moerore;
Mirare potius nigrum oculi mei, quo modo non incanuerit,
Mare Graecorum est, quod non permeant naves
Nisi cum periculo; sed terra continens Arabum est.

Etsi vero ***Azzobairi Motamedi*** invitationem tum temporis renuisset,

69) Vies des hommes illustres par Ibn Khallikan publiées par le Baron Mac Guckin de Slane, t. I, p. 420, 421.

tamen serius, expugnatâ a Normannis Siciliâ, Hispaniam petiit, principisque illius gratiâ atque sustentatione usus est [70]).

Abu Mohammed Abdurrahman Assikili, rerum divinarum scientiâ pollens, de religione Mohammedanâ librum composuit, in hunc modum inscriptum جواهر الالفاظ وظهور الانوار, *Margaritae effatorum et adparitio luminum;* cujus exemplum exhibet biblioth. Lugdun. cod. Arab. 366 [71]).

Ahmed ben Abdussalâm Scherif Assikili artis medicae peritiâ inclaruit, cujus specimen edidit in libro, qui inscribitur كتاب اطبّاء الامراض من الفرق الى القدم, *de medelâ morborum a vertice ad calcem usque.* Libri hujusce exemplum habetur in biblioth. Lugdun. cod. Arab. 727 [72]).

Ahmed ben Abilaghlab ben Mohammed ben Abdullah ben Alaghlab, anno 832 ab Africae principe *Zejadat Allah* Siciliae praefectus constitutus, plura et atricto et soluto sermone ingenii sui monimenta reliquit [73]).

Ali ben Abdurrahman Assikili, vulgo *Albalbuni*, floruit quinto Heg. seculo, carminumque variorum collectionem, ديوان, reliquit, quam biblioth. Escurial. codex Arab. 465 exhibet [74]).

Ali ben Dschafar, vulgo *ebn Alkataa, Assikili* a Heg. 433, p. Chr. 1041, in lucem editus fuit. Expugnatâ a Normannis Siciliâ Aegyptum petiit, ibidemque fato functus est a. Heg. 515, p. Chr. 1121. Inclaruit maxime philologiae studio; sed etiam poësi haud infeliciter operam navavit. En ingenii ejus poëtici specimen:

لا تنفدنّ العمر فى طلب الصبى
ولا تشقينّ يوما بسعدى ولا نعم
ولا تندبنّ اطلال ميّة باللوى
ولا تسفحنّ ماء الشؤون على رسم

70) Ibn Khallikan t. I, p. 476.

71) Catalog. libror. biblioth. universit. Lugdun. p. 423.

72) Catalog. libror. biblioth. universit. Lugdun. p. 440.

73) Casirii biblioth. Arab. t. II, p. 35, 36.

74) Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 135.

فانّ قصارى المرء ادراك حاجة
وتبقى مذمّات الاحاديث والاثم ۞

Ne consumas vitam in amoris studio.
Neve adfligaris unquam Sodâ atque Nomâ (mulieribus formosis);
Ne lugeas vestigia (tentorii) Majjae in deserti margine,
Neve profundas lacrymas super ruderibus;
Namque summus viri finis est adsequi quod necessarium est;
Manet enim ignominia facinorum atque culpae.

Plura *Ebn Alkataa* ingenii sui reliquit monimenta; in his *librum verborum*, كتاب الافعال, cujus exemplum habetur in biblioth. Escurial. cod. Arab. DLXXIII [75]); *de nominum formis*, كتاب ابنية الاسمآء; *artis metricae compendium*, العروض البارع بالاختصار الجامع, cujus exemplum exhibet biblioth. Escurial. cod. Arab. CCCXXIX [76]); anthologiam poëticam, كتاب الدرّة الخطيرة, *margarita pretiosa*; poëtarum aliquot Hispanorum collectionem, quae inscribitur كتاب لمح الملح, *splendor pulchritudinis* [77]). — *Casirius*, duobus bibliothecae Arabicae locis auctoris nostri mentionem injiciens, priori loco (tom. I, p. 82) origine Siculum, patriâ Hispalensem, altero (tom. I, p. 168) patriâ Siculum, domicilio vero Cordubensem dicit. Quae inconstantia *Rosarium Gregorium* in errorem induxit, ut Cordubensem illum, cui *Casiri librum verborum* tribuit, ab Hispalensi, quem *Casirius artis metricae* auctorem perhibet, diversum putaret [78]). At vero ab *Ebn Challecano* edocemur, utriusque libri eundem esse auctorem; qui, relictâ Siciliâ, neque *Hispali*, neque *Cordubae*, verum in *Aegypto* domicilium suum collocavit.

Dschemaluddin Mohammed ben Zafer natus in *Siciliâ*, *Meccae* educatus, *Hamatae* defunctus anno Heg. 565, p. Chr. 1169. Inter cetera

---

75) Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 168.

76) Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 82.

77) Ibn Khallikan t. I, p. 470, 471.

78) Rosarii Gregorii rer. Arabicar. collect. p. 239.

librum ad morum institutionem pertinentem composuit, hac inscriptione سلوان المطاع, *solamen obedientiâ colendi* (Dei), cujus exempla in biblioth. regiâ Paris. et Escurial. obviam sunt [79]).

Hasan ben Raschik, vulgo *Alkairawani,* anno Heg. 390, p. Chr. 1000, *Mahdiae,* sive, ut alii volunt, *Masilae* in lucem editus fuit. *Alkairawanii* cognomentum inde accepit, quod aliquamdiu *Kairawani* vitam degeret. Relicto, anno Heg. 443, *Kairawano* Siciliam petiit, inque urbe *Mazarâ* domiciliam suum constituit. Poëseos studiis deditus maxime *Moëzzum ebn Badis* carminibus celebravit. Inter ingenii sui monimenta, praeter carmina, anthologiam poëticam, قراضة الذهب, *ramenta auri* inscriptam, reliquit; nec non tractatum *de vocabulis in sermone minus usitatis,* كتاب الشذوذ في اللغة. Diem supremum obiit *Mazarae,* anno Heg. 463, p. Chr. 1070 [80]).

Mohammed ben Abi Mohammed ben Zafer, Cordubâ oriundus, domicilium in *Siciliâ* collocavit. Floruit medio seculo decimo secundo p. Chr., librumque ethicum composuit, qui inscribitur كتاب السلوانات في مسامرة الخلفاء والسادات, *remedia adversus regum principumque moestitiam,* cujus exempla habentur in biblioth. Escurial. cod. Arab. DXXV, nec non in biblioth. regiae Paris. cod. Arab. CML. [81]), Ceterum facile quis auctorem nostrum cum *Dschemaluddino Mohammede ben Zafer,* cujus superius mentionem injecimus, confundere posset, nisi *Casirius* doceret, hunc anno Heg. 565

79) Abulfedae Annal. Moslem. t. III, p. 628 text. Arab. Hadschi Chalifa ad vocem سلوان المطاع; Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 213; d'Herbelot Biblioth. Orient. ad vocem: Solvan almotha.

80) Ebn Khallikan t. I, p. 195, 196.

81) Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 154; Catalog. codd. mss. biblioth. reg. Paris. t. I, p. 202. — *Casirius* libri inscriptionem in huncce modum vertit: *Solatium malorum et nocturna regum confabulatio.* Unde vir doctissimus nocturnam illam confabulationem hauserit, non videmus; namque vocabulum Arabicum مسامرة non nisi *taedium, moestitiam* significat.

diem supremum obiisse, illum autem anno demum Heg. 569 librum suum conscripsisse.

Mohammed ben Ali ben Omar ben Mohammed Altamimi Almâzari Mazarâ, Siciliae oppido, ortum duxit. *Malekitarum* addictus partibus maxime traditionis Mohammedanae scientiâ inclaruit; cujus scientiae insigne specimen edidit commentario in *Moslemi* collectionem traditionum, qui inscribitur كتاب المعلّم بفوائد كتاب مسلم. Scripsit praeterea plures *de moribus* libros, nec non *expositionem rei summae in demonstrandis religionis principiis*, كتاب ايضاح المحصول في برهان الاصول. Diem supremum obiit anno Heg. 536, p. Chr. 1141 [82]).

Mohammed ben Hajun, quem genere Siculum, ortu Setabitanum *Casirius* dicit, *Alcorani paraphrasin* sermone ligato conscripsit, cujus exemplum habetur in biblioth. Escurial. cod. Arab. MCCCLXIV [83]).

Mohammed ben Isa ben Almonem Assikili inclaruit geometriae et astronomiae maxime peritiâ [84]).

Mohammed ben Mohammed ben Abdullah. ben Edris Emir Almumenin, vulgo *Scherif Aledrisi.* De auctoris hujusce patriâ in diversas partes virorum doctorum discedunt sententiae. *Hadschi Chalifa* Siculum dicit; contra *Casirius*, scriptorum Arabicorum nixus auctoritate, *Septâ* sive *Ceutd*, clarâ Edrisiorum prosapiâ illum editum fuisse contendit [85]). Quae sententia etsi proxime vero accedere videatur, tamen eo nomine *Edrisi* scriptoribus Siculis adnumerari potest, quod in Siciliâ vitam degerit, *Rogeriique II*, Siciliae regis, hortatu notissimum illud opus geographicum condiderit, quod inscribitur: كتاب نزهة المشتاق في ذكر الامصار والاقطار والبلدان والجزر والمدائن والآفاق i. e. *Oblectatio desiderantis in perlustrandis ter-*

82) Ibn Khallikan t. I, p. 681.

83) Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 501.

84) Dschemaluddini ben Alkifti histor. eruditor. cod. mscr. biblioth. Palat. Vindob. p. 165; Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 434.

85) Biblioth. Arab. t. II, p. 13.

minis, tractibus, provinciis, insulis, urbibus et plagis mundi. Hujus operis, quod et كتاب رجار, *liber Rogerii*, inscribitur, breviarium, ab incerto auctore concinnatum, *Romae* in typographiâ Mediceâ Arabice primum, deinde in sermonem Latinum conversum, *Parisiis*, *Geographiae Nubiensis* titulo insignitum, prodiit [86]).

Scherif Assikili. *Leo Africanus* in libello, quem de viris illustribus apud Arabes conscripsit, *Esseriphi Essachali* mentionem injicit, quem alii, inque his *Bochartus* atque *Casirius* [87]), eundem cum *Scherifo Aledrisio*, alii vero, *Rosarius Gregorius* atque *Hartmannus* [88]) diversum ab illo putarunt. Qui *Scherifum Siculum* eundem cum *Scherifo Aledrisio* existimant, eo maxime nituntur argumento, quod, quae *Leo Africanus* de *Esseripho* suo referat, scilicet composuisse illum geographiam in septem partes, secundum septem mundi climatâ, distributam, opusque illud *Comiti Rogerio* dedicasse, maximam partem et *Aledrisio* conveniant. Qui contra contendunt, *Scherifum Siculum* ab *Aledrisio* esse diversum, sententiam snam eâ potissimum re commendare conantur, qnod et titulus libri, a *Scherifo Siculo* compositi, cum geographiae *Aledrisii* inscriptione non conveniat, et temporis ratio in utriusque auctoris vitâ diversa sit. Namque *Scherifi Siculi* liber نزهة الابصار, *oblectatio oculorum*, *Aledrisii* vero نزهة المشتاق, *oblectatio desiderantis*, inscriptus fuit; *Scherifi* porro obitus a *Leone Africano* ad annum 1122 refertur, contra *Aledrisius* anno demum 1153 geographiam suam absolvisse traditur. — At vero argumenta haec nequaquam tanti nobis videntur, ut non ad illorum accederemus sententiam, *qui Sche-*

86) Hadschi Chalifa ad vocem نزهة المشتاق; d'Herbelot Biblioth. Orient. ad vocem Scherif Aledrisi, nec non Nazehat al moschtâk; Casirii biblioth. Arab. t. II, p. 9—13; Hartmanni Comment. de Edrisio ejusque geographiâ universali, in Edrisii Africâ, ed. II, p. XLIV—CXXIV; Schnurreri biblioth. Arab. p. 167.

87) Bochartus in Hierozoici praefatione, p. 63 edit. IV Lugdunens. Casirius in biblioth. Arab. t. I, p. 173.

88) Rosarius Gregorius in rer. Arabicar. collect. p. 238, Hartmannus in commentatione de Edrisio ejusque geographiâ universali, p. LII, LIII.

rifum Siculum eundem cum *Scherifo Aledrisio* existimant. Namque *Leo Africanus*, negligentissimus et in ceteris auctor [89]), facile et in libri inscriptione, et in anni, quo *Aledrisi* diem supremum obiit, notatione potuit alucinari. Accedit, quod et *Hadschi Chalifa*, licet plura opera, نزهة الابصار, nec non نزهة الابسار inscripta recenseat, nullum tamen ad *Scherifum Siculum* referat [90]).

§. CCLVI.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, adparebit, ni fallimur, literarum studia ab Arabibus Siculis haud mediocriter exculta fuisse. De studiorum illorum in Sardiniâ, Corsicâ Italiâque, dominantibus illic Arabibus, ratione idem fere statuendum, quod de agriculturae, opificiorum, artium atque mercaturae in terris illis conditione pronuntiavimus: scilicet inter crebras, quibus terrae illae obnoxiae erant, fortunae vicissitudines neque literarum studia, neque ceteras pacis artes ad eum florem pervenire potuisse, quem in Siciliâ obtinuerunt.

Cap. VI.

Quantum Arabum in Siciliam, Sardiniam Corsicamque dominatio ad formandam Italorum linguam valuerit?

§. CCLVII.

Examinatis hactenus potissimis quaestionibus, quae ad Italiae insularumque adjacentium, dominantibus Arabibus, politiam pertinere videbantur, dispiciendum jam, quantum populi hujus dominatio ad hominum, qui terras illas incolebant, *linguam, literas, mores, instituta, belli pacisque artes for-*

89) Vide Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 173, 174, ubi haud pauca, quae perperam a Leone tradita sunt, notantur atque castigantur.

90) Hadschi Chalifa ad voces نزهة الابسار, نزهة الابصار. — De Arabum Siculorum in literarum studia meritis conferendi Rosarius Gregorius in rerum Arabicar. collect. p. 237—240; Scrofani della dominazione degli stranieri in Sicilia, p. 116, 239, 240.

mandas valuerit. Initio ab hominum illorum linguâ facto, quae jam tum Italica potissimum fuit, licet nomen hoc serius in consuetudinem venerit, quaeritur, quantum Arabum dominatio ad formandam Italorum linguam valuerit? Quodsi perpendas, populum illum ultra ducentos quinquaginta annos Siciliae imperium tenuisse, frequentissimum praeterea et belli et pacis commercium cum ipsâ Italiâ exercuisse, facile in opinionem discedas, haud exiguum vocabulorum Arabicorum numerum in linguam Italicam transiisse. Et profecto si linguam hanc, qualis vel nostrâ aetate, post tot seculorum decursum, habetur, diligenter examines, deprehendes, quam plurimorum vocabulorum originem nonnisi ex Arabum sermone petendam esse. Id quod tum in nominibus propriis oppidorum, montium, fluviorum etc., tum in illis vocabulis, quae vulgo adpellativa dicuntur, deprehenditur. Juvabit utriusque generis exempla in medium protulisse, ex quibus, quantum lingua Italica Arabicae debeat, sufficienter adparebit. Arabibus vocabulum قلعة, *Kalat*, *arcem*, *castellum*, denotat; ex quo vocabulo haud pauca Siciliae castella oppidaque nomen traxerunt, quod nostris adhuc temporibus retinent. In his *Calatafimi*, قلعة فيمي, i. e. castellum Euphemii, prope Alcamum; *Caltabillota*, قلعة بلّوط, castellum quercuum, haud procul Bisakino; *Caltanissetta*, قلعة نسوة, castellum feminarum, prope Camaratam etc. *Mansionem* sive *vicum* Arabes منزل, *manzel*, dicunt; id quoque vocabulum in nonnullorum locorum nominibus deprehenditur; in his *Misilmeri*, منزل امير, i. e. mansio, sive vicus Emiri, in Panormi viciniâ; *Mezzojuso*, منزل يوسف, vicus Josephi, prope Corlionem. *Promontorium* Arabibus راس, *râs*, i. e. caput; hinc plura Siciliae promontoria nomen traxerunt, e. g. *Rasicanzir*, راس خنزير, i. e. promontorium porcorum, olim Plemmyrium, Abulam inter et Syracusas; *Rasacarami*, راس كرّام, promontorium vinitorum, olim Odysseum; *Rasicormo* راس خرم, promontorium prominentis verticis, olim Phalaerium, Pelorum inter et Milatium; *Rasicalbo*, راس كلب, promontorium canis, Cephaludium inter et Pollinam. *Portus* Arabibus مرسى, *marsa*; inde *Marsamemi* مرسى حمام, portus columbarum, prope Pachynum; *Marsala* مرسى علي, portus nobilis, sive portus Alii. Interdum in eodem

vocabulo utraque lingua, Arabica atque Italica, concurrunt; cujus rei exemplum habes in Aetnae nomine vulgari *Mongibello,* quod vocabulum conflatum est ex Italico *monte* et Arabico جبل, dschabal, i. e. mons, quorum unum alterumve superfluum videtur, nisi ex populorum orientalium loquendi ratione nomen illud montem montium, i. e. altissimum montem, malis interpretari [91]).

§. CCLVIII.

Sed multo plura Arabici sermonis vestigia in adpellativis linguae Italicae nominibus deprehenduntur. Maxime vero Siculorum dialectus vocabulis Arabicis scatet. In illis haud pauca, quae in omnes fere Europae linguas transierunt, et jam ipso articulo Arabico originem suam produnt. Exemplo sint:

Alcali, Arab. قلي, i. e. cineres ex salicorniâ, similibusque herbis combustis confecti.

Alcova, قبة, fornix, tabernaculum.

Alchimia, كيميا, ars chrysopoëtica.

Algebra, جبر, reductio partium ad totum.

Almanacco, منكة, donum; pluraque hujusce modi. His accedunt alia, de quorum origine Arabicâ nequaquam dubitari potest. In his:

Almirante, امير البحر.

Almuzin, cuculli genus, quod canonici olim gestare solebant, موذن aedituus, praeco, qui preces publicas Moslemis adnuntiat.

Ambra, عنبر.

Arsenale, دار الصناعة, domus sive officina artium.

Arzanu, pinus sylvestris, ارز.

Azzuro, لازورد, lazuli lapis.

Balio, praefectus juri dicendo, وال.

Baliato, praefectura, ولاة, ولية.

91) Vide Rosarii Gregorii geographiam Siciliae sub Arabibus, in ejusdem auctoris Collectione rer. Arabicar. p. 217 — 230.

Baracane, panni genus, quod ex pilis caprinis, sive camelinis conficitur, بركّان , بركان.

Barda, pannus, quo equi in solenni pompâ, in funeribus aliisque spectaculis operiuntur, بُرد vestis striata, بُردة vestis nigrae et quadratae genus.

Bardassa, ***Bardassone***, impudicus, qui muliebria patitur, بردس improbus, invisus.

Bucciere, lanius, بقر boves, بقّار negotiator boarius.

Cala, sinus maritimus, كلّاء locus a ventis tutus, tuta navium statio.

Calafatare, قلف navem ferrumiuavit, قلافة opus, sive ars naves ferruminandi.

Camaru, asinus, حمار.

Camicia, ***camiscia***, interula, قميص.

Camphora, كافور.

Cantaro, pondus centenarium, قنطار.

Caraffa, ampulla, phiala, قرف loculamentum coriaceum, in quo caro conditanea adservatur, قربة uter coriaceus, غرب situla.

Carato, قراط bacca siliquae dulcis.

Caravana, قيروان.

Cassero, arx, castellum, قصر.

Cotone, gossypium, قطن.

Cremisi, coccum, قرمز.

Dado, cubus, tessera, ددّ lusus.

Dogana, ***duana***, telonium, ديوان codex rationarius, senatus, concilium.

Fanfano, jactator, فرفان multiloquus.

Fondaco, taberna mercatoria, فندق publicum mercatorum hospitium.

Gazella, غزال.

Giraffa, زرافة.

Giarra, ***giarro***, amphora, poculum. جرّة hydria, vas figlinum ad potandam aquam.

Giubba, tunicae brevioris genus, جبّة tunica ex panno gossypino.

Giummara, folia palmae minoris, جمّار palmae medulla.

Gomona, gomena, funis nauticus, جُمَل.

Lacca, gummi laccae, لكّ.

Limone, malum citreum, ليمون.

Magazzino, مخزن.

Maschera, persona, مسخرة ludus, ludibrium.

Meschino, pauper, مسكين.

Muschio, muscus, مسك.

Ricamare, acu pingere, رقم vestis striata, acu picta.

Rotolo, librae unius decemque unciarum pondus, رطل libra.

Sensale, proxeneta, سمسار.

Sommaco, rhus, سمّاق.

Tamburo, tympanum, طبل.

Tazza, cyathus, طسّ, طسّة.

Zecca, moneta, officina numorum cudendorum, سكّة typus monetalis.

Zibetto, Zibethum, زبّاد.

Zibibbo, uva passa, زبيب.

§. CCLIX.

Sunt praeterea alia quam plurima in Italorum sermone vocabula, quae, si non omnino ex Arabum linguâ derivanda sunt, magnam certe cum vocibus Arabicis similitudinem habent. Juvabit exempli causâ unum alterumve in medium protulisse:

Abbagliare, perstringere oculos, Arab. بلج, IV, ابلج, nituit, fulsit, fulgore oculos perstrinxit.

Affano, angor, molestia, فنّ II, dolore adfecit, فنى evanuit, periit, IV, افنى perdidit.

Ammaccare, maccare, contundere, confringere, محك diminuit, perdidit.

Arredo, supellex, عرض.

Avania, oppressió, injuria, وني, IV, debilitavit, fatigavit.

Badare, moram facere, ابد substitit, perennavit.

Bagascia, femina inhonesta, meretrix, باغز inhonestus, obscoenus.

Calibro, mensurae genus in tormentis bellicis, قالب formula, modus, ad quem aliquid effingitur.

Ciocco, truncus, ساق.

Farda, telae segmentum, فرد IV, separavit.

Gabella, vectigal, قبل advenit, accepit.

Gabbare, decipere, خبّ.

Galea, *Galeone*, خلّي, خليّة navis major.

Gara, contentio, aemulatio, غار zelotypiâ laboravit.

Goffo, homo experientiâ carens, ineptus, غفل.

Ingannare, decipere, خان.

Luffo, globus sive cumulus confusus, لفّ involvit, miscuit.

Nacchere, sonum geminis ossiculis, lignis, vel nucum putaminibus collisis, elicere, نقر percussit, illisit pollicem medio digito, indeque divulsit crepitandi ergo.

Orma, vestigium, signum, أرم, أرما.

Tarra, *tara*, detractio, ترّ resectus fuit, resecuit.

Zaffo, lictor, satelles, زفّا tollere, abripere.

Zara, ludus talorum, periculum, damnum, ضرّ noxa, laesio [92]).

Recensitis hactenus Italorum vocabulis, quae vel omnino ex Arabum linguâ originem traxerunt, vel magnam saltem cum vocibus Arabicis similitudinem prae se ferunt, plura alia utriusque generis addere possemus, nisi jam haec adfatim docere videantur, quanti momenti Arabum lingua in formando Italorum sermone fuerit. Quae cum ita se babeant, haud tamen illorum accedere possumus sententiae, qui, praeter vocabulorum ex Arabico sermone derivandorum sat amplam copiam, et constantem nominum Italico-

92) Conf. Muratorii dissert. de origine sive etymologiâ vocum Italicarum, in Antiquit. Ital. t. II, p. 1083 — 1332; Pasqualino, Vocabulario Siciliano etimologico.

rum in literas vocales terminationem ex Arabum linguâ repetendam esse existimant. Notissimum est, nomina Arabica ex grammaticorum praeceptis nonnisi vocalibus terminari, cum tamen in sermone vulgari in consonantes potissimum desinant. Illam nominum formam Siculis, inter quos lingua Italica primum coepta fuit coli, praeprimis adrisisse ferunt; quo factum, ut et ipsi, resectis finalibus nominum consonantibus, literam vocalem substituerent. A Siculis eam nominum formationem Tuscorum poëtas adscivisse; quorum exemplum omnis postmodum Italia secuta sit [93]). Cui tamen sententiae quo minus accedamus, ea potissimum res obstat, quod in formandis linguis vulgi usus plus, quam eruditorum placita, valeat. Quod si vulgari Arabum linguae nominum in literas vocales terminatio propria fuisset, fieri omnino potuisset, ut Siculi illam nominum formam in sermonem Italicum transferrent; verum cum nonnisi in eruditorum sermone scriptisque ea nominum Arabicorum forma locum habeat, haud probabile videtur, homines Italice loquentes ex illo fonte similem nominum terminationem in linguam suam derivasse. Rectius, ni fallimur, statuas, consonantium elisionem in illorum nominum Italicorum terminatione, quae origine suâ in consonantem desinere debebant, inde repetendam esse, quod populi australes, ut sermonem emolliant, consonantes, quibus pronuntiatio impeditur, elidant; quod emolliendi sermonis studium prae ceteris in linguâ Italicâ conspicitur.

Cap. VII.

Quantum in scientiarum atque poëseos studiis Itali ab Arabibus acceperint?

§. CCLX.

Siculi Arabum in Siciliâ, Sardiniâ, Corsicâque dominatio in formandâ Italorum linguâ haud minimi momenti fuit, ita et ad promovenda inter homines illos literarum artiumque liberalium studia haud parum valuit. Cum, ut jam superius monitum fuit, literarum studia ab Arabibus Siculis haud mediocriter colerentur, frequentissimum praeterea illos inter et Italiae infe-

93) Signorelli Vicende della coltura nelle due Sicilie, t. II, c. IV, p. 192.

rioris incolas et belli et pacis obtineret commercium, fieri non potuit, quin Arabum eruditio Siciliae fines transsiliret, et in continenti quoque Italiae terrâ radices ageret. Illo tempore celeberrimus in Italiâ inferiori ludus literarius *Salerni* locum habebat; quod si igitur Arabum Siculorum eruditio alicujus momenti in promovendis Italorum studiis fuit, ea res praeprimis in Salernitanam illam scholam redundaverit, necesse est. Quaeritur igitur, num, quae in scholâ Salernitanâ colebantur studia, in quibus medica maxime ars atque philosophia, ab Arabibus Siculis vel omnino profecta, vel saltem aucta fuerint atque promota? In diversas partes virorum doctorum abeunt sententiae. Sunt, qui existiment, artis medicae atque philosophiae studia primum ab Arabibus Siculis *Salernum* translata, postea vero maxime per *Constantinum Africanum* ex Arabum libris ulterius exculta atque promota fuisse [94]). Floruit *Constantinus,* cui a patriâ *Africani* nomen, medio seculo decimo primo, magnamque pro temporum illorum ratione, eruditionem in itineribus, per Africam Asiamque factis, sibi comparaverat. In patriam reversus, popularium suorum invidiam odiumque incurrit; quod ut effugeret, Africâ excessit, *Salernum*que pervenit. In eâ urbe, quam *Robertus Guiscardus,* Apuliae dux, sedem sibi elegerat, in principis illius familiaritatem venit, et liberaliter admodum habitus fuit. Illic philosophiae artique medicae strenuam operam navavit, tandemque in *S. Benedicti* in monte Cassinate coenobium sese recepit; quo in loco vertendis auctorum maxime Arabicorum scriptis ad vitae exitum usque deditus fuit [95]). Hujus igitur viri beneficio studia philosophica atque medica, ab Arabibus Siculis *Salernum* translata, ad summum florem perducta fuisse, sunt qui existiment. Contra alii contendunt, scholam Salernitanam neque ab Arabibus Siculis profectam, neque a *Constantino Africano* multum auctam atque illustratam

94) Giannone istoria civile del regno di Napoli, t. II, l. X, c. 11, 3, p. 122, sequ.

95) Chron. Cassin. l. III, c. 35, in Murat. S. r. It. t. IV, p. 455; Petr. Diacon. de viris illustribus Cassin. Marique in eundem adnotat. Murat. S. r. It. t. VI, p. 40, 41.

fuisse, quippe quae jam ante *Constantini* tempora magnam celebritatem adepta fuerit [96]). Quam sententiam his maxime tuentur argumentis: I, Arabes Afri Siculive, qui in Italiam trajiciebant, nonnisi milites, nautici, imo praedones atque piratae fuere; nequaquam igitur ab ejusmodi hominibus exspectandum, ut literarum studiis Italos imbuissent; II, Quod si schola Salernitana ab Arabibus Siculis condita fuisset, vix fieri potuit, ut jam seculo decimo ad eam celebritatem pervenisset, quam illo tempore re verà consecuta fuit. Namque Arabes neque ante medium seculum nonum *Salernum* adtigerunt, neque tum temporis aliud quam belli commercium cum Salernitanis exercebant. Anno deinde 876 inter *Guaiferium, Salerni* principem, Arabesque omnino societas foedusque initum, quod tamen brevi post *Joannis VIII,* pontificis maximi, studio dissolutum fuit. Exinde, durante seculo nono, inter Salernitanos Arabesque nullum, nisi armorum, commercium; vix igitur fieri potuit, ut Salernitani eà philosophiae artisque medicae peritià ab Arabibus imbuerentur, quà jam sequenti seculo decimo haud exiguam celebritatem consecuti sunt; III, Neque ea scholae Salernitanae celebritas *Constantino Africano* debebatur; quippe qui medio demum seculo decimo primo, relictà Africà, *Salernum* pervenit.

§. CCLXI.

Quod si argumenta haec in examen vocentur, alia quidem concedenda, alia vero rejicienda videntur. Haud quidem negaverim, Arabes, qui ex Africà Siciliàque in Italiam trajiciebant, animo plerumque hostili terram illam invasisse, praedaeque agendae potissimum intentos fuisse. Quae cum ita sint, vix tamen jure quis contendat, omnes Arabes, qui Italiam adiverunt, nonnisi milites, nauticos praedonesve fuisse. Constat, Arabes Siciliae dominationem ultra ducentos quinquaginta annos tenuisse, eoque temporis spatio et literarum studiis haud spernendam navasse operam, et cum Italiae incolis, Amalfitanis, Neapolitanis, Cajetanis, Pisanis, imo et Salernitanis, non

96) Signorelli Vicende della coltura nelle due Sicilie, t. II, c. IV, 3, Medicina, p. 147 — 161.

tantum belli, verum etiam pacis exercuisse commercium. Jam vero quis credat, longo illo temporis spatio nonnisi milites, praedonesve Arabes Italiam adivisse? Quis non concedat potius, haud raro et doctiores Arabum Siculorum peninsulam illam, quae angusto tantum freto a Siciliâ dirimebatur, visitasse? Quinimo haud dissimile veri videtur, ipsos quoque Italos, qui literarum studiis dediti essent, Siciliam, in quâ insulâ studia illa florebant, adivisse; quod eo commodius fieri potuit, quod et dominantibus in Siciliâ Arabibus homines Christiani in insulâ illâ degebant, quibuscum Itali jam communium sacrorum vinculo conjuncti erant. Quare nihil omnino obstitisse videtur, quo minus Salernitani Arabum eruditorum commercio uterentur, inque literarum studiis illorum auxilio juvarentur. Quod secundo loco adscritur, scholam Salernitanam ab Arabibus Siculis condi vix potuisse eam maxime propter causam, quod schola illa jam decimo post Chr. n. seculo haud exiguam adepta sit celebritatem, cum tamen Salernitanorum Arabumque commercium ad illud usque tempus hostile plurimum fuisset, id omnino concedendum videtur. Verum licet admittamus, scholam Salernitanam non ab Arabibus conditam fuisse, haud tamen concedendum existimamus, scholam illam insequentibus temporibus ab Arabibus eorumque doctis lucubrationibus non plurimum profecisse. Quod denique tertio contendunt, scholae Salernitanae celebritatem non a *Constantino Africano* profectam fuisse, eatenus quidem concedendum, quod jam ante *Constantini* tempora ludus ille literarius haud parum laudis sibi vindicaverit; neque tamen diffitendum, viri illius beneficio nova incrementa novasque laudes scholae Salernitanae accessisse. Certe nisi hospes ille prae ceteris, qui tum *Salerni* degebant, viris doctis eminuisset, nequaquam a *Roberto Guiscardo* tanti aestimatus fuisset.

§. CCLXII.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, efficitur, scholae Salernitanae originem haud quidem ab Arabibus Siculis repetendam esse; at vero laetiora ludi illius incrementa omnino hominum illorum beneficio deberi. Jam cum in eâ scholâ medica maxime atque philosophica studia tractarentur, sequitur, ut in illis studiis Itali haud parum ab Arabibus mutuati sint. Quan-

tum ex reliquis scientiis, quae ab Arabibus potissimum colebantnr, mathematicâ videlicet atque historiâ naturali in Italos redundaverit, haud quidem definiri potest; verum et in illis scientiis Italos Arabibus ducibus atque adjutoribus usos fuisse, inde conjicias, quod in utroque scientiarum genere haud pauca vocabula ex Arabnm sermone in linguam Italicam recepta fuerint, sicuti in praecedenti capite demonstravimus.

§. CCLXIII.

Neque tamen in scientiarum tantum studiis, verum etiam in *poësi* Arabes Siculi exemplum Italis praeiverunt. Constat, Italorum poësin in Siciliâ primum exortam indeque in continentem Italiae terram, Tusciam maxime, propagatam fuisse. Quaesiveris, qui factnm sit, ut nobilissima illa ars non in ipsâ Italiâ, verum in Siciliâ primum emerserit? Ejus rei causa vix alia fuisse videtur, quam Arabum in Siciliam dominatio, qui ab antiquissimis inde temporibus poësin prae ceteris artibus atque scientiis coluerant. Ab Arabibus Siculis igitur, inter quos, sicuti cap. V docnimus, plures poëseos laude floruerunt, et Christiani Siciliae incolae artis illius amore imbnti sunt; ita ut popularibus suis in Italiâ in hocce studiorum genere facem praeferrent. Quae cum ita sint, requiras merito, ut Italorum poësi nota aliqua inhaereat, quae Arabicam ejus originem prodat. Eam notam in *homoeoteleutis* habes vocibus, quibus Italorum versus terminantur. Homoeoteleutis versibus Arabes admodum delectabantur, eosque in omnibus carminibus suis adhibebant. Ex illorum igitur carminibus ea versuum terminatio etiam in Italorum poësin transiit. Haud quidem desunt, qui contendant, carmina homoeoteleuta poëseosque studium in universum non ab Arabihus, verum a Normannis ad Siculos ceterosque Italos transiisse [97]). Quae tamen opinio nullo antiquitatis nititur testimonio. Contra, *Petrarca* non a Normannis verum a Siculis carmina homoeoteleuta profecta et per omnem Italiam propagata fuisse diserte tradit in hunc modum: „Pars mul-

97) Huetius in Huetianis c. 78; Histoire liter. de la France, t. VII, Avertissem. Lampillas Saggio apologetico P. I, t. II, p. 190.

cendis vulgi auribus intenta, suis et ipsa legibus utebatur. Quod genus apud Siculos, ut fama est, non multis ante seculis renatum, brevi per omnem Italiam, ac longius manavit, apud Graecos olim ac Latinorum vetustissimos celebratum, siquidem et Romanos vulgares rhythmico tantum carmine uti solitos accepimus [98])." Quem quidem *Petrarcae* locum historiae Francorum literariae auctores ita interpretantur, ac si carmina homoeoteleuta a Normannis in Siculos primum, deinde a Siculis in Italos translata fuissent; quae tamen interpretatio *Petrarcae* verbis nequaquam convenit. Neque videmus, cur a Normannis potius, quam ab Arabibus poëseos studium carminaque homoeoteleuta Siculi mutuati sint, cum vel ipsi Normanni utrumque ab Arabibus Hispanis accepisse dicantur. Fortasse Arabes Siculi minus, quam Hispani poëseos studio dediti fuerunt? Atqui jam superius in recensendis, quos Sicilia protulit, scriptoribus Arabicis plures etiam poëtas citavimus. Quare merito statuas, sicut in multis aliis rebus, ita etiam in poëseos studio Siculos Arabibus usos fuisse magistris [99]).

Cap. VIII.

Quantum in agriculturâ, opificiis ceterisque pacis bellique artibus Itali ab Arabibus mutuati sint?

§. CCLXIV.

Quantum in agrorum culturâ opificiisque Itali ab Arabibus acceptum retulerint, jam ex iis, quae superius (cap. IV) de artium illarum apud Arabes Siculos conditione disputata fuêre, colligi facile potest. Jam illic monitum fuit, nonnulla plantarum arborumque genera ab Arabibus primum in Siciliam introducta, alia vero singulari industriâ ab iis exculta fuisse. Arabum beneficio *gossypium, arundo saccharifera ornus*que ex orientis oris primum in Siciliam transplantata fuêre; eorundemque hominum operâ factum est, ut *oleis palmisque dactyliferis* insula illa abundaret. Quarum

98) Petrarcae praefat. in epistolas ad familiares.

99) Murat. Antiquit. Ital. t. III, dissert. XL, p. 705, 706.

arborum fruticumque cultura etiam cessante Arabum in terras illas dominatione superavit, magnoque colonis emolumento fuit.

§. CCLXV.

Haud parum et in opificiorum artiumque variis generibus, maxime vero in *textrinâ*, *opere phrygio*, *musivo* et *architecturâ* Itali ab Arabibus accepisse videntur. Haud quidem diffitendum, artem textrinam in Italiâ longe ante Arabum adventum exercitam, quinimo in eum modum excultam fuisse, ut non tantum vulgares rudioresque panni, verum etiam artificiosiores atque delicatiores telae, maxime in sacrarum aedium usum atque ornamentum texerentur. Cujus rei documenta sexcenta in *Anastasii* Vitis Pontificum Romanorum habentur. Tradit inter cetera *Anastasius* in vitâ *Paschalis I*, qui dignitatem pontificalem anno 817 auspicatus est, obtulisse pontificem hunc „vestem chrysoclavam ex auro gemmisque confectam, habentem historiam virginum cum facibus accensis mirifice comtam [100]." Licet autem jam ante Arabum in Siciliam Italiamque adventum artificiosior aliqua textrina in terris illis haud incognita fuerit, tamen, ut superius demonstratum fuit, sericorum texendorum artem Arabes primum in Siciliam introduxerunt. Et quamvis haud multo post eandem artem et opifices Graeci in Siciliâ exercerent, tamen Arabum pannis sericis semper honos suus mansit; quinimo prae ceteris in hoc textrinae genere eminuisse videntur; id quod certe de Arabibus Hispanis *Otto Frisingensis* testatur. Namque refert, *Friderici I*, imperatoris, temporibus Genuenses „captis in Hispaniâ inclytis civitatibus, et in sericorum pannorum opificio praenobilissimis, *Almariâ* et *Ulixibonâ*, Saracenorum spoliis onustos rediisse [101]." Quare non est, quod dubitemus, Siculos ceterosque Italos in pannorum sericorum textrinâ haud parum ab Arabibus didicisse. Neque tamen in sericorum tantum

---

100) Anastasii biblioth. Vitae Pontif. Romanor. in Murat. S. r. It. t. III, P. I, p. 215.

101) Otto Frisingens. de Friderici I rebus gestis l. II, c. 13, Murat. S. r. It. t. VI, p. 710.

textrinâ, verum etiam in xylinis sive gossypinis pannis texendis Arabes Italis facem praetulisse colligas ex ipso pannorum xylinorum nomine Italico *Cotone*, quod vocabulum procul dubio cum re ipsâ ab Arabibus ad Italos transivit. Haud aliter et de Phrygio opere, sive acu pingendi arte statuendum videtur; namque et hujus artis nomen *Ricamo* ex Arabum sermone in linguam Italicam receptum est. Videtur et ea ars jam ante Arabum in Italiam adventum illic locum obtinuisse; siquidem in *Leonis IV*, Pontificis M., vitâ, qui munere pontificio ab anno 847 ad annum 855 usque functus est, *vela acu picta* ab *Anastasio* memorantur. At vero Arabum demum beneficio diligentius exculta, latiusque propagata fuit; unde et nomen Arabicum adscivit, cum antea Latino vocabulo *Plumaria* diceretur [102]).

§. CCLXVI.

Sicuti Phrygio opere, ita etiam Musivo Arabes Italis exemplum praeivisse videntur. Jam inde ab antiquissimis temporibus aliqua Musivorum conficiendorum peritia in Italiâ obtinuit; quae tamen incultis illis mediae aetatis temporibus adeo defecerat, ut *Desiderius*, Abbas Cassinensis, cum

102) Quaenam vocabulorum *plumare, plumarius*, fuerit significatio, inter viros doctos disceptatum fuit. Fuêre, qui textrinae quoddam genus vocabulis illis denotari existimareut. At vero *opus plumarium* idem cum Phrygio opere, sive acûs picturâ, mediae saltem aetatis auctoribus, esse, locus *Petri Comestoris*, qui circa annum 1170 floruit, aperte docet. Etenim is, in notis ad Exodi cap. XXVI, de opere plumario in hunc modum disserit: „*Pluma* linguâ quâdam *acus* dicitur, scilicet Aegyptiorum, quorum sunt diversae linguae, sicut Graecorum. Hoc genus veli vulgo *distratum* dicitur, quasi bis stratum. Prima enim fit tela, cui cum acu opere manuali substernuntur picturationes. Sunt, qui dicunt *Opus Plumarium* a similitudine avium, quibus superaddita plumarum varietas.“ — Jam etsi *Petrus* insigniter alucinetur, ubi operis plumarii nomen ex Aegyptiorum linguâ deducit, tamen illo loco edocemur, *plumarium opus* a Phrygio, sive acûs picturâ, non fuisse diversum. Conf. Murat. Antiquitt. Ital. t. II, dissert. XXV, p. 401, 402.

circa annum 1070 basilicam, a se excitatam et opere musivo ornare vellet, artifices Constantinopoli arcessere debuerit [103]). At vero *Desiderius* operis musivi peritos ex viciná Siciliá arcessere potuit, nisi Arabes, utpote Christiani nominis inimicos aversatus fuisset. Quanta enim Arabibus Siculis musivorum conficiendorum peritia fuerit, ex palatii illius magnificentissimi, cui *Zisae* nomen, descriptione, quam Cap. IV ex *Fazello* dedimus, sufficienter adparet. Quae igitur seculo decimo primo in Italiá parum cognita fuit ars, eodem tempore in Siciliá Arabum beneficio florebat; et jam insequenti seculo decimo secundo adeo per insulam illam divulgata fuit, ut quae illá aetate erigerentur aedes sacrae vel palatia, tantum non omnia opere musivo ornarentur. Inter cetera illius aevi aedificia duorum tantum meminisse juvabit, sacelli videlicet, ad palatium regium pertinentis, nec non templi, quod *Guilielmus II* in *Monte Regali* (Monreale) excitaverat; quorum utrumque opere musivo artificiosissimo refertum erat [104]). Ex Siciliá deinde musivorum conficiendorum ars et in Italiam transmigravit; etsi non negaverim, Graecos quoque Byzantinos de propagandá per Europam arte illá bene meritos fuisse [105]).

---

103) Leonis Marsicani Chron. Cassin. l. III, c. 29, in Murat. S. r. It. t. IV, p. 442.

104) Signorelli Vicende della coltura nelle due Sicilie, t. II, p. 224, 225.

105) Unde *opus musivum*, quod Italis *Musaico*, nomen illud traxerit, non consentiunt viri docti. Sunt, qui ab Arabico وشى *coloravit, pinxit pannum,* unde موشّى *pannus coloratus pictusve*, deducant. Alii a Graecorum *μουσεῖον*, quod serioris aevi auctoribus *opus tesselatum* denotat, musivi nomen originem trahere existimant. Quae etymologia eam ob causam praeferenda videtur, quod jam apud *Aelium Spartianum*, seculi tertii scriptorem, inque aliis literarum documentis, quae antequam inter occidentis populos Arabesque commercium aliquod intercederet, exarata sunt, *operis musivi* mentio injiciatur.

§. CCLXVII.

Quantum porro in architecturâ ab Arabibus Itali mutuati sint, in aedificiis, sacris maxime, quae seculo decimo secundo tertiove in Siciliâ inferiorique Italiae parte exstructa fuère, conspicitur. In illis aedificiis eadem fere fornicum, columnarum atque ornamentorum architectonicorum forma, quam Arabum aedes, iisdem temporibus exstructae, prae se ferunt. Profecto si basilicam Panormitanam, quae exeunte seculo decimo secundo erecta fuit, intuearis, jam primo adspectu colorem Arabicum in fornicibus columnisque deprehendas necesse est; adeo quidem, ut Mohammedanorum potius, quam Christianorum templum conspicere tibi videaris [106]). Haud aliter de palatio regio statuendum, quod *Rogerii II Guilielmique I* operâ *Panormi* seculo decimo secundo excitatum fuit. Cujus si quis descriptionem, ab *Hugone Falcando, Guilielmi* primi secundique aequali, contextam, legerit, certe in illis regum palatiis versari sibi videbitur, quae in vulgatissimis mille noctium et unius narrationibus depinguntur [107]).

§. CCLXVIII.

Ad mercaturam navalemque rem quod adtinet, Arabum vicinia Italis et profuisse, et offecisse videtur. Offecère Arabes Italorum mercaturae reique navali eatenus, quod piraticam exercentes, haud raro Italorum naves mercatorias interciperent diriperentque. Tradit *Eginhardus*, anno 820 octo naves mercatorias, e Sardiniâ in Italiam trajicientes, a piratis Arabicis captas atque demersas fuisse [108]). Cujus generis, nisi superfluum videretur, quam plurima exempla proferre possemus. At vero profuit etiam Arabum cum Italis commercium horum mercaturae reique navali; siquidem ab Ara-

106) Vide Hägeri libellum: Nachricht von einer merkwürdigen literarischen Betrügerei, p. 51; Borch Briefe über Sicilien und Maltha, t. II, p. 53.

107) Hugonis Falcandi hist. Sic. in Murat. S. r. It. t. VII, p. 256.

108) Annal. reg. Francor. in Du Chesne Script. hist. Francor. t. II, p. 264.

bibus plures res Itali accepêre, quarum haud exiguus usus in mercaturâ rebusque navalibus. Quantum in hoc genere Itali Arabibus debuerint, nisi aliunde, certe ex rerum ad mercaturam atque navigationem pertinentium nominibus, quae ex Arabum sermone in linguam Italicam transiverunt, cognosci potest. ***Tabernam mercatoriam,*** sive hospitium, in quo mercatores cum mercibus suis deversantur, Itali Arabico vocabulo ***Fondaca*** dicunt; unde conjicias, tabernarum, sive hospitiorum illorum usum vel dispositionem Italos ab Arabibus accepisse. ***Telonia*** Italis ***Dogana*** adpellantur; quod nomen, ex Arabum linguâ petitum, documento est, Italos in instituendis teloniis Arabum exemplum secutos fuisse. Quem Graeci ***Proxenetam,*** Latini ***Pararium*** dixerunt, eundem Itali ***Sensale*** adpellant; quod nomen cum ipsâ, quam denotat, re ab Arabibus ad Italos transivit. Ut cetera taceamus, quae in rebus ad mercaturam pertinentibus Itali ab Arabibus mutuati sunt, ponderum tantum mentionem injicere liceat, quorum triplex genus, ***Cantaro, Rotolo, Carato,*** nomen ex Arabum linguâ traxit; unde colligas, quantum etiam in hocce negotio Itali ab Arabibus acceperint. Haud minor illorum vocabulorum numerus, quae denotandis rebus navalibus ex Arabum sermone in Italorum linguam translata sunt. Jam ipsum classis praefectum Itali Arabicâ voce ***Almirante*** dicunt; ab Arabibus rerum navalium officina, ***arsenale,*** nec non ferruminandorum navigiorum ars, ***calafatare,*** nomen traxerunt; quae omnia arguunt, etiam in re navali Italos ab Arabibus haud parum mutuatos fuisse.

§. CCLXIX.

Frequentiori adhuc belli quam pacis inter Arabes Italosque commercio, fieri non potuit, quin et in belli artibus Itali Arabibus, illarum artium peritissimis, uterentur magistris. Ut autem expediamus, quantum et in hoc genere Itali Arabibus debuerint, dispiciendum, quaenam vocabula denotandis rebus bellicis Italorum lingua ab Arabum sermone mutuata sit. Ante omnia ***Cassari*** nomen sese nobis offert, quod apud Siculos, Apulos Tuscosque scriptores quam saepissime occurrit, quippe quibus multa cum Arabibus consuetudo. Id vocabulum in Arabum lingua ***castrum, arcem,*** denotat, quam significationem etiam in Italorum linguâ, in quam receptum

fuit, retinuit. Jam etsi medii aevi scriptores *Cassari* nomine haud raro *quodcunque castellum* denotare videantur, tamen admodum probabile est, nomen illud nonnisi peculiari alicui castellorum generi convenisse. Id quod ex literis, anno 1194 exaratis, adparet, in quibus *castrum*, *turris Cassarum*que diserte distinguuntur. Continent literae illae sententiam judicum imperialium de restituendâ *Martino*, episcopo Massano, ditione atque possessione civitatis *Massae*, inque ceteris sequentia exhibent verba: „Petebat praefatus episcopus (*Martinus*) a domino Imperatore et *Syro* procuratore et defensore ejus, ut restitueret ei possessionem civitatis *Massae*, cum pertinentiis et districtu et totius *castri et turris et Cassari*, et ipsum castrum ipsius civitatis, ut libere possit habere et tenere et possidere [109]." Quodsi, ut ex literis hisce adparet, *Cassara* a *castris turribus*que diversa erant, necesse est, ut peculiari aliquo munitionis genere a castris turribusque discernerentur. Quod munitionis genus Itali simul cum nomine ab Arabibus mutuati sunt. Ad urbium munitionem pertinent et *cataractae ferreae*, quae funibus aut catenis suspensae portis imminent; ita ut, si opus fuerit, demitti, hostibusque introitum intercludere possint. Quae cataractae etsi, *Livio Vegetio*que auctoribus, jam Romanis cognitae fuerint, tamen ad Italos ab Arabibus transiverunt, sicut ex nomine *Saracinesca*, quo in hodiernum diem ab Italis insigniuntur, intelligitur [110]. Denique et *tympana*, nostris quoque temporibus militibus usitatissima, Italos ab Arabibus accepisse, nomen Arabicum *Tamburo* testatur. Fuêre quidem et Graecis Romanisque tympana sua; neque tamen in bello, verum in sacris, *Cybeles* maxime, pulsabantur; unde feminis magis, quam viris in usu erant [111].

---

109) Murat. Antiquit. Ital. t. II. p. 503.

110) Murat. Antiquit. Ital. t. II, p. 513.

111) Murat. Antiquit. Ital. t. II, p. 533, 534.

Cap. IX.

Quantum ad formandos Italorum mores Arabes valuerint?

§. CCLXX.

Quantum ad formandos Italorum mores Arabum in Siciliam, Sardiniam Corsicamque dominatio valuerit, optime dijudicari posse videtur, si, quaenam proximis post illam dominationem seculis Italorum fuerint mores, consideremus. At vero mirum in modum temporum illorum auctores in describendis Italorum moribus inter se dissentiunt. Sunt, qui Italos eâ aetate castissimos atque modestissimos mortalium praedicent; contra alii corruptissimos atque luxuriosissimos dicunt. Juvabit utriusque sententiae auctores suis verbis loquentes induxisse. *Ricobaldus Ferrariensis*, seculi decimi tertii auctor, Italorum mores, quales *Friderico II* sceptra tenente fuerunt, hunc in modum depingit: Per hujus imperatoris *(Friderici)* tempora rudes erant in Italiâ ritus et mores; nam viri infulas de squamis ferreis in capite gestabant, insutas biretis, quas appellabant Majatas. In coenis vir et uxor unâ manducabant paropside. Usus incisoriorum lignorum non erat in mensis; unus vel duo scyphi in familiâ erant. Nocte coenantes lucernis vel facibus illuminabant mensas, facem tenente uno puerorum vel servo; nam candelarum de sebo vel de cerâ usus non erat. Viri chlamydibus pelliccis operimento, vel laneis sine pellibus, et infulis de Pignolato utebantur. Mulieres tunicis de Pignolato; etiam quando veniebant ad nuptias viris suis conjugatae. Viles tunc erant cultus virorum et mulierum. Aurum et argentum rarum, vel nullum erat in vestibus; parcus quoque erat victus. Plebeji homines ter in septimanâ carnibus recentibus vescebantur. Tunc prandio edebant olera cocta carnibus. Coenam autem ducebant ipsis carnibus frigidis reservatis. Non omnibus erat usus vini aestate; modicâ denariorum summâ se locupletes habebant. Parvae tunc erant cellae vinariae. Horrea non ampla, promptuariis contenti. Modicâ dote nubebant feminae, quod eorum cultus erat parcissimus. Virgines in domibus patrum tunicâ

de Pignolato, quae appellatur Sotanum, et paludamento linteo, quod dicebant Xoccam, erant contentae. Ornatus capitis non pretiosus erat virginibus atque nuptis. Conjugatae latis vittis tempora et genas sub mentum vittabant. Virorum tunc erat gloria esse in armis et equis commodos. Nobilium locupletum erat gloria turres habere; quo tempore urbes Italiae singulae multis turribus inclytae visebantur [112]).“ His plane contraria tradit *Petrus Damianus*, seculi decimi primi auctor, qui episcoporum suae aetatis mores in hunc modnm taxat: „Ditari cupiunt, ut turritae dapibus lances Indica pigmenta redoleant; ut in chrystallinis vasculis adulterata melle vina flavescant; ut quocunque deveniunt, praesto cubiculum operosis et mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, sicque parietes domus ab oculis intuentium tanquam sepelicudum cadaver obvolvant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines praeferentibus sedilia sternunt; peripetasmata laquearibus, ne quid occiduum delabatur, opponunt. — — Regalis purpura, quia unicolor est, vilipenditur; pallia vero diversis fucata nitoribus ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et quum domestici murices nostris aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuutur, oblectant. Ovium et agnorum despiciuntur exuviae; ermelini, gebellini, martores exquiruntur. — — Taedet cetera vauitatis attexere, non ridenda, sed gemenda ridicula. Papales scilicet infulas, gemmis micantibus, aureisque bracteolis per diversa loca corruptas. Imperiales equos, qui dum pernices gressus arcuatis cervicibus glomerant, sessoris sui manus loris innexas indomitâ ferocitate fatigant. Omitto anulos enormibus adhibitos margaritis. Praetereo virgas, non jam auro gemmisque conspicuas, sed sepultas. Nunquam certe vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant, qui ab Esculano atque Tranensi gestabantur episcopis [113]).“ Quodsi haec *Damiani* verba cum *Ricobaldi* loco laudato conferas, incertus haereas necesse est, quid de

---

112) Ricobaldi Ferrariensis Chron. in Murat. S. r. It. t. IX, p. 128.

113) Petri Damiani Opusculor. XXXI, c. 6. p. 239, 240 edit. Constant. Cajetani.

Italorum moribus inde a seculo decimo primo ad decimum tertium usque statuendum sit. At vero si temporum illorum rationem diligentius examines, facile intelliges, ***Ricobaldum*** vel rusticorum Ferrarensium tantum mores ante oculos habuisse, vel omnino alucinatum fuisse. Namque, quod primum est, crebra, quibus tum temporis Italia lacerabatur, bella morum simplicitati atque candori nequaquam favebant. In bello, vis, licentia dolusque grassantur; victores rapiunt, dissipant, luxuriantur, victi vero dolo atque simulatione se suaque tueri conantur; id quod maxime incultis illis temporibus fieri solebat, ubi milites non adeo severâ, quam nostro aevo, disciplinâ continebantur. Augebatur ea calamitas etiam nobilium insolentiâ atque injuriis. Illi enim in castellis suis ferocientes, et colonos sibi subjectos premebant vexabantque, et cum vicinis inimicitias exercebant, quae haud raro cruentorum certaminum causa fuêre. Adde, quod quam plurimae Italiae civitates, Venetorum, Genuensium, Pisanorum, Neapolitanorum, Amalfitanorum etc. mercaturae summo studio incumberent; quo factum est, ut magnas opes cumularent, quas luxuria aliaeque malae artes secutae sunt. Eo rerum inde a seculo decimo primo ad decimum tertium usque statu, fieri vix potuit, quin Italorum mores ab illâ simplicitate atque integritate, quam ***Ricobaldus*** praedicat, multum abessent. Quare omnino ***Damianus*** audiendus, etsi rigidius aliquanto sacerdotum mores taxare videatur.

§. CCLXXI.

Sed transeundum jam ad quaestionem propositam, quantum scilicet Arabum cum Italis commercium ad formandos horum mores valuerit? Quodsi, ut superius monuimus, inter armorum strepitum hominum mores nonnisi deteriores redduntur, Arabes ad corrumpendos Italorum mores haud parum valuerunt. Namque ex quo tempore Siciliâ potiti sunt, adsiduis fere incursionibus Italiam lacessiverunt. Neque satis habebant, quod ipsi terram illam turbis replerent; quinimo saepius et Italos in injuriarum rapinarumque, quas faciebant, societatem trahebant. In quâ re faciles prae ceteris se praebebant Neapolitani; quippe qui armis, commeatu aliisque rebus ad bellum necessariis Arabes juvabant, incursionum, quas illi facerent, saepis-

sime vel duces, vel socii erant; et si forte Arabes rejicerentur, refugium atque securitatem in urbe suâ illis concedebant. De quâ Neapolitanorum cum Arabibus societate *Ludovicus II* in epistolâ ad *Basilium*, Graecorum imperatorem, anno 871 datâ graviter conqueritur, eoque rem devenisse dicit, ut *Neapolis* in *Panormum* (Arabum Siculorum metropolim) Africamve immutata videatur [114]). Jam cum Arabes incursiones suas maxime in inferiorem Italiae partem dirigerent, sequitur, ut, quae ab incursionibus illis in mores redundabant damna, praeprimis ad Italiae inferioris incolas pertinuerint.

§. CCLXXII.

Praeter belli damna et luxuriae varia genera atque instrumenta, quae Arabes ex orientis oris in Siciliam Italiamque induxerant, haud parum ad corrumpendos Italorum mores faciebant. Cujus luxuriae insigne documentum habes in palatio regio, quod *Rogerius II*, ejusque filius *Guilielmus*, *Panormi* excitârunt. Hujus palatii copiosam descriptionem *Hugo Falcandus* in Siciliae historiâ exhibet, unde pauca quaedam delibare liceat: „Mirâ ex quadris lapidibus diligentiâ, miro labore constructum (palatium) exterius quidem spatiosis murorum anfractibus circumclusum, interius vero multo gemmarum aurique splendore conspicuum. — — Medium locum pars illa palatii, quae *Joharia* (جهر locus spatiosus) nuncupatur, plurimum habens decoris, illustrat, quam multiformis ornatûs gloriâ praefulgentem rex, ubi otio quietique indulgere voluerit, familiarius frequentare consuevit. Inde per reliquum spatium variae sunt circumquaque dispositae mansiones, matronis puellisque et eunuchis, qui regi reginaeque serviunt, aedificatae [115])." Quam descriptionem si quis legerit, nonne in principum Asiaticorum palatiis versari sibi videbitur? Nonne ea palatii hujusce pars, quae *Joharia* dicebatur, illi aedium Asiaticarum loco respondere videtur, quem الوسط

114) Ludovici imperatoris epist. ad Basilium, in Anonymi Salernit. Paralip. Murat. S. r. It. t. II, P. II, p. 252.

115) Hugonis Falcandi hist. Sic. in Murat. S. r. It. t. VII, p. 256.

(medium) Arabes dicunt, excipiendis salutatoribus celebrandisque hominum conventibus accommodatum? Ut autem palatio illi nihil deesset, quod ad principum Asiaticorum pertinet luxuriam, *gynaeceum* etiam (حرام) cum matronis, puellis eunuchisque illic habebatur; quae omnia Arabibus Normanni accepta referebant. Eandem luxuriam et insequenti tempore in *Friderici II*, imperatoris, aulâ deprehendimus. Versabantur et illic eunuchi, concubinae, saltatrices Saracenicae, aliique id genus homines [116]. Tradit *Matthaeus Parisiensis*, *Richardum*, Comitem Pictaviensem, e terrâ sanctâ reducem, sororem suam, quam in matrimonio *Fridericus* habebat, visitasse, inque ceteris spectaculis, quibus in imperatoris aulâ oblectabatur, etiam duas puellas Saracenicas formosas spectasse quae in pavimenti planitie binis globis insisterent, volutisque globis huc illucque ferrentur canentes, cymbala manibus collidentes, corporaque secundum modulos motantes atque flectentes; quo spectaculorum genere hodie quoque homines Asiatici admodum delectantur [117].

§. CCLXXIII.

Neque tamen in aedificiis tantum eorumque adparatu, verum etiam in vestimentis ceterisque vitae necessitatibus Itali Arabum luxuriam imitati fuisse videntur. Constat, vestimenta serica, purpurea auroque contexta a beatioribus illorum temporum hominibus maximi aestimata, et saepissime ex longinquis orientis terris advecta fuisse. Quousque in hoc luxuriae genere ecclesiarum antistites progressi fuerint, ex *Damiani* loco, quem supra retulimus, adparet. Neque ceteri, quos laicos dicunt, si lautioris

---

116) Matth. Paris. hist. Angl. p. 561, 586. — In edicto, quo *Innocentius IV* excommunicationis poenam *Friderico* irrogat, inter cetera haec quoque leguntur: „eorundem (Saracenorum) etiam more uxoribus, quas habuit *(Fridericus)* de stirpe regiâ descendentibus, eunuchos, praecipue quos, ut dicitur serio, ipse castrari fecerat, non erubuit deputare custodes."

117) Matth. Paris. hist. Angl. p. 505.

essent conditionis, sacerdotibus in eâ re multum concessisse videntur. Quare facile concedas, Arabum, in hoc genere luxuriantium, mores in Italos quoque transivisse. Certe ex linguae Arabicae in Italorum sermone reliquiis constat, Italos etiam in vestimentis Arabes imitatos fuisse. Est apud Italos tunicae brevioris, sive thoracis genus, sub tunicâ longiori gestari solitum, quod *Giubba, Giubbone, Giuberello,* dicitur. Id vocabulum cum re ipsâ ab Arabibus ad Italos transivit; Arabibus enim جبّة *tunicam, ex panno gossypino contextam,* denotat [118]. In ludis porro, equestribus maxime atque militaribus, Italos Arabum exemplum secutos fuisse, vocabulo Italico *Saracino* edocemur. Notum est, vocabulo illo hominis simulacrum denotari, e ligno in eum usum fabricatum, ut ab adolescentulis exercitii causâ jaculis petatur. Unde quaeso ludo illi *Saracenici* nomen impositum? Inde procul dubio, quod a Saracenis, sive Arabibus, ad Italos transiverit. Credibile est, etiam tesserarum ludum ab Arabibus ad Italos vel omnino migrasse, vel saltem per illos in Italiâ invaluisse. Italis namque tessera *dado* dicitur, quod vocabulum, sicuti jam superius monitum fuit, ab Arabico دد petitum est. Quantum in latrunculorum ludo Itali ab Arabibus discere potuerint, ex iis, quae *Joannes Villanus* in historiae suae libro VII, cap. 12, narrat, colligas. Refert enim, *Caroli I Andegavensis* temporibus Arabem, nomine *Buzecca, Florentiam* venisse, qui latrunculorum ludi mirum in modum peritus fuisset. Lusisse cum eodem temporis momento cum tribus ludi illius peritissimis Italis, memoriae scilicet ope cum duobus, cumque tertio coram, binosque adversariorum suorum superasse; tertium autem, quod se victum iri intelligeret, a ludo destitisse. Hinc colligas, quanta ludendi latrunculis Arabi illi fuerit peritia [119]. Denique et varia ciborum genera Italos ab Arabibus accepisse, vocabula *Kuskusu, Sfingo,* كسكسو, سفنج, Italis Arabibusque communia, testantur. Utroque vocabulo *cibi genus, ex*

---

118) Murat. Antiquit. Ital. l. II, dissert. XXV, p. 423.

119) Giovanni Villani histor. Fiorent. l. VII, c. 12, in Murat. S. r. It. t. XIII, p. 237.

farinâ confecti, denotatur, quod simul cum nomine Itali Arabibus acceptum referunt [120]).

Cap. X.

Quaenam, degentibus in Italiâ, Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque Arabibus, terrarum illarum fuerit facies?

§. CCLXXIV.

Hactenus, quantum in linguâ, literis, agrorum culturâ, opificiis, ceterisque pacis bellique artibus, quantum denique in moribus Itali ab Arabibus mutuati sint, disputavimus; restat, ut, quam ipsa Italia insulaeque adjacentes, Arabibus illic degentibus, faciem induerint, dispiciamus. Licet Italiam ipsam haud unquam in provinciae formam Arabes redegerint, proinde et nequaquam tantum, quantum in Siciliâ, Sardiniâ Corsicâque in peninsulâ illâ polluerint, tamen hujus quoque facies Arabum incursionibus haud parum immutata fuit. Namque ante Arabum in Italiam adventum paucissima illic habebantur oppida, quae moenibus atque propugnaculis communita essent. Nullus enim a pluribus annis hostis externus terram illam invaserat, cujus ab injuriis incolae munitionibus sese tuerentur. Igitur omnia patebant, hostiumque incursionibus exposita erant. Romanorum quidem Gothorumque sub imperio haud exiguus oppidorum munitissimorum in Italiâ numerus; sed quae postmodum exorta sunt bellâ, imo ipsa pax temporisque injuria pleraque munimenta disjecerant. At vero postquam Arabes Italiam invadere, incolarumque bona, uxores liberosque rapere coeperunt, tum intellectum fuit, quam utile, immo necessarium foret, antiquas collapsasque munitiones restaurare, novasque excitare [121]). Igitur ex illo tempore

120) Vide Hageri libellum: Nachricht von einer merkwürdigen literarischen Betrügerei, p. 45.

121) Chron. Vulturn. in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 370; quo in loco Italiae facies, *Ludovici Pii* temporibus, in hunc modum describitur: „Eo siquidem tempore rara in his regionibus castella ha-

oppida moenibus circumdari atque propugnaculis muniri coepta sunt; castella, arces turresque exstructae; neque id a principibus tantum viris, verum etiam a nobilitate atque sacerdotibus factum. Longum esset, omnia enarrare oppida castellaque, quae illo tempore vel moenibus circumdata, vel omnino a fundamentis exstructa fuère; liceat unius tantum alteriusve mentionem injicere. Cum Arabum potentia in Siciliâ magis magisque in dies invalesceret, et jam oppugnandae *Panormo* intenti essent, *Gregorius IV*, pontifex maximus, praevidens, quanta pericula a bellicosissimo illo populo Italiae quoque imminerent, urbem *Ostiam*, ad *Tiberis* ostia sitam, quae temporum injuriâ admodum labefactata erat, anno circiter 833 a fundamento instaurari, muris praealtis, fossâ, aliisque id genus munimentis circumdari jussit. Cui urbi, ut nomine suo instauratoris memoriam servaret, *Gregoriopoleos* cognomentum inditum fuit [122]). *Gregorii* exemplum imitatus est *Leo IV*, pontifex maximus. Etenim cum anno 849 Arabes Etruriam invasissent, rumorque spargeretur, eos propediem cum magnâ navium hominumque vi agrum Romanum invasuros, *Leo* basilicam *S. Petri*, quae tum temporis extra *Romae* moenia sita erat, castello firmissimo muniri curavit; cui castello in conditoris memoriam *civitatis Leoninae* nomen impositum fuit [123]). Cum autem *S. Pauli* basilica hostium incursibus adhuc exposita esset, *Joannes VIII*, pontifex M., eam quoque moenibus atque munitionibus cinxit; unde nova civitas enata, quam de conditoris nomine *Joannipolim* dixere [124]).

---

bebantur, sed omnia villis et ecclesiis plena erant. Nec erat formido aut metus bellorum, quoniam altâ pace omnes gaudebant usque ad tempora Saracenorum.“ Conf. Murat. Antiquit. Ital. t. II, dissert. XXVI, p. 464, 465.

122) Anastasii Biblioth. vita Gregorii IV, in Murat. S. r. It. t. III, p. 225, 226.

123) Chron. Vulturn. Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 390; Annal. Bertin. in Du Chesne S. h. F. t. III, p. 206.

124) Civitatis illius nullus quidem, quantum scimus, auctorum veterum

§. CCLXXV.

Sicuti autem Arabum in Italiam incursiones ansam dederunt, ut oppida munirentur castellaque exstruerentur, ita eorundem populationibus factum est, ut haud pauca loca vel minuerentur, vel omnino desolarentur. Cum anno 849 Arabes Etruriam invasissent, *Lunam* adeo vastarunt, ut ex eo tempore oppidum illud desolatum jaceret, episcopique sedes, quae illic locum habuerat, *Sarzanam* translata sit. Haud meliorem fortunam et *castellum Lucullanum* expertum est. Namque cum Africae princeps *Ibrahim ben Ahmed* anno 901 ingenti cum exercitu Italiam invaderet, castellum ab incolis, qui hostium metu *Neapolim* confugerunt, desertum, funditusque dirutum fuit [125]. Tot tantisque Arabum in Italiam incursionibus terram illam incolis haud parum nudatam fuisse, nemo est, qui non videat. Quare sufficiat, unum tantum in medium protulisse exemplum, ex quo adparebit, quantam incolarum jacturam Italia, grassantibus illic Arabibus, fecerit. Expugnato circa finem anni 900 per *Abulabbasum Rhegio*, magnâque inter urbis illius incolas strage editâ, ad XVII millia hominum, qui hostium gladios effugerant, capta et in servitutem abducta feruntur [126]. Qui hominum numerus etsi aliquanto exaggeratus videatur, tamen inde colligas, quantam incolarum jacturam temporibus illis Italia fecerit.

§. CCLXXVI.

Multo majorem, quam Italia, et ni fallimur, laetiorem etiam mutationem Siciliae facies, Arabum sub imperio, experta est. Namque in eâ insulâ, quam in provinciae formam Arabes redegerunt, ultraque ducentos quinquaginta annos tenuerunt, et haud pauca tum primum ab ipsis excitata

---

mentionem injicit; at laudatur in inscriptione, quam e codice msto. Cardinalis *Passionei* protraxit *Muratorius* in Antiquit. Ital. t. II, dissert. XXVI, p. 463.

125) Jo. Diaconi Martyrium S. Procopii, Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 269 — 273.

126) Jo. Diaconi Martyr. S. Procopii, l. c.

fuère oppida castellaque, et veterum facies atque nomina immutata. *Nowairio* teste, principis *Almoëzzi* jussu anno 966 plura in diversis Siciliae locis oppida exstructa fuère; quibus ne incolae deessent, populus in agris villisque dispersus, collectus eoque translatus fuit [127]). Superant nostrâ quoque aetate haud pauca in Siciliâ oppida, quae ab Arabibus condita fuère; in his *Alcamo*, quae *Segestae* antiquae locum occupat, *Marsala*, ad promontorii *Lilybaei* radices, aliaque. Sicuti autem Arabum beneficio plura in Siciliâ oppida condita fuère, ita alia ab iisdem diruta, aliis nova nomina imposita, vel etiam nominum antiquorum forma ad sermonis Arabici indolem immutata atque corrupta. Quodsi *Edrisii* descriptionem Siciliae percurras, omnium fere oppidorum, montium, fluviorum nomina Arabica deprehendes. Licet autem, donec insulam illam in potestatem suam redigerent Arabes, indigenarum numerus crebris, quae cum Arabibus ineunda erant, certaminibus haud parum deminutus esset, tamen mox novis colonis adeo frequentata fuit Sicilia, ut vix unquam majôrem hominum viderit multitudinem. Cujus rei fidissimus testis *Theodosius Monachus*, qui, expugnatis anno 878 *Syracusis*, ab Arabibus captus, vinculisque oneratus *Panormum* abductus fuit. Is cum principem illam Siciliae urbem ingressus est, tantam hominum frequentiam, tantamque omnium rerum magnificentiam illic invenit, ut omnes ex omnibus terrae partibus Arabes in eo loco confluxisse viderentur [128]). Neque tamen sola *Panormus* hominum superbiebat frequentiâ; quin et cetera Siciliae oppida, *Agrigentum*, *Catania* aliaque incolis abundabant. Imo etiam, expugnatâ jam a Normannis Siciliâ, tanta adhuc in eâ insulâ Arabum multitudo fuit, ut in *Rogerii* exercitu, quem anno 1096 contra Amalfitanos ducebat, ad viginti millia Arabum militarent [129]). In tantâ hominum frequentiâ fieri non potuit, quin

---

127) Nowairii hist. Sic. c. V, in Gregorii collect.

128) Theodosii Monachi epistola de Syracusar. expugnatione, in Murat. S. r. It. t. I, P. II, p. 257—265.

129) Lupi Protospatae Chron. Murat. S. r. It. t. V, p. 47; Romualdi Salernit. Chron. Murat. S. r. It. t. VII, p. 177.

Sicilia, Arabum sub imperio, omnigeno cultu conspicua esset, faciemque laetissimam prae se ferret.

§. CCLXXVII.

Tristior aliquanto Sardiniae Corsicaeque, dominantibus illic Arabibus, facies fuisse videtur. Jam medio seculo nono, cum insulis illis Arabes nondum potiti essent, magna Sardorum Corsorumqne turba, Arabum metu excitata, patrium solum reliquit, novas in Italiâ sedes qnaerens [130]). Quare cum insulas illas in potestatem snam redigerent Arabes, incolis admodum exhaustas fuisse probabile est. Neque Arabum dominatio talis fuisse videtur, quae tristem insularum illarum sortem meliorem reddere posset. Namque Arabes Sardi Corsique minns pacis, quam belli artibus incumbebant; ita ut utraqne insula stationis militaris magis, quam provinciae speciem prae se ferret. Tradit quidem Chronicorum Pisanorum auctor, ***Mugetum***, sive ***Modschahedum***, Sardiniae praefectum, anno **1017** urbem in insulâ illâ condidisse [131]); unde conjicias, Arabes Sardos non tantum belli, verum etiam pacis artibus intentos fuisse. At vero et urbem illam haud alio consilio ***Modschahed*** condidisse atque munivisse videtur, qnam ut et Sardiniae incolas facilius in officio continere et ab exteris hostibus insulam illam facilius defendere posset. Idem ***Modschahed***, cum a Pisanis atque Genuensibus ad ***Lunam*** fusus fugatusque esset, ulciscendae cladis studio incitatus, Christianos Sardiniae incolas iniquissime tractavit. Quibus rebus effectum est, ut, dominantibus in Sardiniam Corsicamque Arabibus, insularum illarum minus laeta, quam Siciliae, facies esset.

§. CCLXVIII.

Quodsi jam, quae hactenus de Arabum in Italiâ, Siciliâ, Sardiniâ Corsicâqne rebus gestis disputata sunt, rite perpendantur, haud quidem

---

130) Anastasii Biblioth. vita Leonis IV, Murat. S. r. It. t. III, P. I, p. **242**.

131) Chron. Pisanum, Murat. S. r. It. t. VI, p. **108**; Breviarium hist. Pisanae, Murat. S. r. It. t. VI, p. **167**.

diffitendum, multa mala ab hominibus illis Italiae maxime, Sardiniae atque Corsicae illata fuisse; verum concedendum etiam, haud pauca vicissim bona ab iisdem in terras illas earumque incolas redundasse. Quare falli omnino videntur, qui Arabes in Italiâ insulisque adjacentibus nonnisi praedonum latronumque more egisse, tristemque terrarum illarum conditionem, quam nostris quoque temporibus ex parte prae se ferunt, maxime ab illo populo repetendam esse existimant.

Rerum memorabilium

Index.

A.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

T.

U.

V.

Z.

Addenda et emendanda.

Pag. 7, lin. 8, 1331, 32, lege, 1331—32.

— 13 — 19, Relation de l'Egypte, adde, par Abd-allatif; lin. 24, Ephemerid. Asiat. adde, novis.

— 14 — 7 ab imo, Mohammedis, lege, Mohammedanis.

— 18 — 17, omissa l. amissa.

— 28 — 2, ab imo, Script. rer. Ital., adde, t. IV.

— 29 — 2 consilii, l. concilii.

— 31 — 2 ab imo, fin. l. inf

— 37 — 19, Arcivescoro, l. Arcivescovo.

— 38 — 3, Robertii, l. Roberti.

— 62 — 4, l. III, lege, l. II.

— 71 — 9 ab imo, l'Afrique, l. de l'Afrique.

— 75 — 14, tantem, tandem.

— 87 — 8, fuerunt, l. erant.

— 94 — 5 ab imo, 881, l. 871.

— 117 — 9, Garialianum, l. Garilianum.

— 118, quae sub numero 131 habetur nota, ad sequentem numerum referenda; illius autem loco legendum: Leonis Marsicani Chron. Cassin. l. 1, c. 43, Murat. S. r. It. t. IV, p. 316, 317.

— 125, lin. 4, videat, l. videt.

— 126 — 8 ab imo, inter, l. intra.

— 140 — 2 sb imo, 41, l. 4.

— 144 — 7 ab imo, Joreae, l. Ivreae.

— 151 — 16, injuria, l. incursio.

— 157 — 7, aliquando, l. aliquanto.

— 165 — 13, occidissent, l. cecidissent.

— 167 — 17, putaris, l. putares.

— 168 — 6, toleraverat, l. toleraverant.

— 172 — 21, duumviris, l. a duumviris.

— 195 — 16, Pisam, l. Pisas.

— 202 — 17, irruut, l. irruunt.

— 204 — 5 ab imo, dele, vero.

— 206 — 15 versantem, l. degentem.

— 215 — 21, traditit, l. tradidit.

— 235 — 6 ab imo, nec non p. 239, l. 15, juvarunt, l. juverunt.

— 237 — 8, debellati, adde, imperatorisque jussu popularibus suis, Luceriam incolentibus, adjecti.

— 248 — 8, decenderet, l. descenderet.

— 258 — 18, t. II, l. t. XI.

— 263 — 2 ab imo, 3511, l. 354.

— 291 — 9 ab imo, palii, l. pallii.

— 292 — 16, Facellus, l. Fazellus.

— 297 — 9, Harnuo, l. Harune.

— 302, adde: Abu Said Ibrahim Almoghrebi Assikili arti medicae operam dicavit, studiorumque suorum specimen edidit tractatu *de feliciter instituendâ sui ipsius curatione*, كتاب المنجح فى التداوى من صنوف الامراض والشكاوى cujus tractatûs exemplum habetur in biblioth. Bodlej. cod. Arab. DLXIV.

Pag. 304, lin. 8, domiciliam, l. domicilium.
— 308 — 4 ab imo, Phalaeriam, l. Phalacrium.
— 311 — 2, جُمْل, l. جُمَّل.
— 312 — 9, galeone, adde, triremis.
— 314 — 19, admodum, adde, ab eo.
— 318 — 10 ab imo, ab Arabibus, l. Arabibus.
— 323 — 6 fondaca, l. foudaco.
— 324 — 14, ad urbium, adde, arciumque.
— 325 — 3, quaenam, l. quinam; lin. 17, operimento, l. sine operimento.
— 329 — 3 حرام, l. حرم.
— 330 — 3 ab imo, l. 11, lege, t. 11.
— 333 — 8, castellum, adde, illud.
— 334 — 10 ab imo, Catania, l. Catana.

LIPSIAE, TYPIS GVIL. VOGELII, FILII.